J. can. P.
97
c

ADDENDA
LIBRIS
DE APELLIS

2°
7. Can. Reg. C.

CONVENTVS

MONACENSIS

g Can f

Conuentus Monacensis Carmel. Discalc.

ADDENDA
SUIS LOCIS
IN HISTORIA
CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS
SUB SUMMIS PONTIFICIBUS
CLEMENTE VIII.
ET
PAULO V.
CELEBRATARUM,

Anno M. DCC. edita.

BIBLIOTHECA REGIA MONACHENSIS

TYPOGRAPHUS LECTORI.

HUjus Hiſtoriæ Scriptor eximius dum ſuum Opus recognoſcit, ac virgâ pluſquam Cenſoriâ ipſe caſtigat, loca non pauca offendit, quæ vel additamentis nonnullis illuſtranda, vel etiam meliori ſtilo polienda emolliendave putavit, quo altera, quam propediem publicandam parabat, Editio tibi, Lector erudite, acceptior & publicæ rei utilior fieret. Eo conſilio Exemplar Hiſtoriæ ſuæ ad me tranſmitti curavit, ex his quæ ſubjicimus & aliis plurimis additamentis ornamentiſque longè concinnius ac locupletius, ſimul animos addens, ut ad Editionem alteram, priori jam propè exhauſtâ, properarem. Autoris conſilium, meis certè utilitatibus non incommodum, exoſculatus, illi exſequendo jam me accingebam. At ſtatim in mentem venit id quod proprio meo compendio conducturum erat, non parum detrimenti tuis rebus allaturum. Recuſâ enim cum tam multiplici acceſſione Hiſtoriâ, neceſſe foret ut qui primam editionem ſibi pretio comparaverant, vel alteram rurſus emerent, vel inſertis illìc ampliſſimis auctuariis fruſtrarentur. Rejecto igitur in aliam tempeſtatem novæ Editionis conſilio, annuente Autore, ſeorsùm hìc in unum velut manipulum collegimus publicoque damus quæcumque ſparſim variis locis inſerenda venient in Editione aliquando procuranda. Et hæc quidem, præter ea quæ modò prodeunt in lucem, alias particulas repræſentabit accuratiori diſpoſitas ordine, ſtiloque nitidiori exaratas.

IN PRÆFATIONE.

AD §. 1. *Paginâ* 111. *lineâ* 39. *post hæc verba* : contestati sunt aliàs *adde* :

HOc S. Congregatio sancti Officii significavit, cum Decretum in Comitiis Generalibus Religiosi cujusdam Instituti, à Generali Ministro & Definitoribus Romæ 28. Junii a. 1691. conditum rescidit, & à domesticis Ordinis Tabulis expungi jussit ; quo Decreto statuerant boni Patres, ut ad evitandas *quasdam*, ut aiebant, *doctrinas quæ quandam affinitatem cum propositionibus jam olim contra Baium, Jansenium aut similes per summos Ecclesiæ Pastores damnatis habere videntur, quæque in Provincia Flandrico-Belgica, si non explicitè & directè, saltem indirectè & implicitè sustineri à non paucis affirmabantur* ; ad illas, inquam evitandas statuerant, ut gratia purè Molinistica & prædestinatio à meritis prævisis pendula, à suis illarum Partium Professoribus docerentur ; quasi damnatis per Ecclesiam erroribus hærerent Thomistica dogmata, aut certè non longè inde distarent. Hoc nuper &c.

AD FINEM EJUSDEM. *Pag.* IV. *lin.* 19. *Post hæc verba*, religioni litasse.

Hoc præsentes testor, hoc posteros meminisse volo.

Orandus modò superûm Regnator & hominum, ut qui vicem Christi ejus in terris gerit, supremam intentatæ litî, cujus integram tractationem oculis subjicimus, diem imponat ; & oppigneratam vulgandi olim meditati judicii fidem exsolvat. Etsi enim decretam sententiam, tandem aliquandò promulgándam, non pauca olim momenta suadere viderentur, graviores tamen causæ usu temporis accessêre, ex quo Calvinianæ sectæ Professores injudicatam Auxiliorum controversiam, in Ecclesiæ Romanæ dedecus vertunt, tanquàm periisset lex à sacerdote, & consilium à senioribus : fiduciarium Pauli V. Rescriptum, quo partes dissidentes futuri judicii exspectatione suspensas silere interim jussit, jocum ludumque faciunt : litem demum in suspenso positam, uti nutantis Apostolicæ Sedis, & deficientis apud Pontificios, ut aiunt, Traditionis argumentum, petulantiùs obtrudunt. Audaciæ hujus specimen prodidit profugus Calvinianus, in libro gallicè inscripto : *Critique generale de l'Histoire du Calvinisme*, seu *Examen criticum Historiæ Calviniana*, pag. 206. secundæ Editionis, anno 1683. curatæ : ubi Clarissimi Thuani verba recolens, lib. 131. Historiarum, *A prudentissimo Pontifice Controversia ita * composita est, ut eam non motam ab initio optasse ostenderet ; & in ea decidendâ nihil existimationi illorum qui eam moverant detractum vellet* : ita demum in Romanam Ecclesiam stylum acuit vir illius desertor & fidei : (a) *Auxiliorum Controversiâ sub Clemente VIII. Thomistas inter & Molinianos ægris animis agitatâ, id unum ab indeficienti Apostolicæ sedis Tribunali extundi potuit, optandum scilicet, ut ne ipsa quidem quæstio mota fuisset, nil tamen illorum existimationi detrahendum, qui eam initio moverant. Ecquis unquàm decretum usque adeò festivum & joculare pronunciatum audivit ? Ut quid illud Ecclesiæ Tribunal falli nescium, lumenque Traditionis indeficiens, si lis anno 1604. judicata, partes inter dissidentes, longè quàm antehâc obstinatius recrudescit ? Verisimile porrò est, hanc non nisi cum Ecclesia Romana finem ultimum habituram.* Hæc ille, cujus inanem declamationem festinatâ sanciti judicii promulgatione cohiberi, bonorum omnium votum est ; ne filii segreges in spem novam erecti ; ob dolendum illud scholarum divortium, contumaci fronte minitentur, bellumque in Ecclesiam, non tam suo robore quàm nostris dissidiis, animosiùs instaurent.

* *Aberrat eò loci Thuanus, dum controversiam compositâ atque decisam innuit ; nisi fortè compositionem ac decisionem fiduciariam intelligi velit.*

(a) La question de *Auxiliis* aiant été vivement agitée à Rome sous le Pontificat de Clement VIII. entre les Thomistes & les Molinistes, toute la decision que l'on put tirer de l'infaillibité du S. Siége fut, qu'il eût été à souhaitter, que l'on n'eût point remué cette question ; mais que l'on n'entendoit pas neanmoins, que l'honneur de ceux qui l'avoient remuée reçût aucune sorte d'atteinte. Qui a jamais ouï parler d'une aussi plaisante maniére d'arrêt ? A quoi sert ce Tribunal infaillible de l'Eglise, cette lumiere infaillible de la Tradition, si le Procès decidé l'an 1607. regne encore plus que jamais entre les parties ? Il a bien la mine de durer autant que l'Eglise Romaine.

§. SECUNDUS.

De recentiorum &c.

Pag. VI. *lin.* 29. *post hæc verba*, pari utrimque confidentia. AD §. 3.

GIBIUEF. Gibieufum præsertim insectatus est Theophilus Raynaudus, in nova libertatis Explicatione : ejusque *de libertate Dei & Creaturæ* eruditissimum Opus, velut hæreseos Jansenianæ prodromum sugillavit, in syntagmate de libris propriis, numero 21. ubi perbellam hanc calumniæ suæ rationem prodit : quòd ab Abbate S. Sygirani rogatus Jansenius, ut suum vulgando Gibieufi libro calculum adderet, hoc ei per literas responsum dederit : *Son fait ne me semble, qu'une fantaisie d'esprit : & je ne me trompe point, si on lui donne sur les doigts. Il*

ne

ne me ſemble pas voir les racines de toute l'affaire : ce qui ſera, qu'il lui ſera mal aiſé de ſe tenir dans les bornes de la verité : & je ne doute point, qu'il ne faſſe des eſcapades, s'il ne fait rien de pis. Ita certè legere eſt, Epiſtolâ 126. inſertâ collectioni Epiſtolarum Janſenii & Abbatis S. Sygirani, ad Janſeniſmi natales detegendos, editarum; quòd ita latinè dixeris: *Gibieufi Opus, merum exerrantis ingenii figmentum eſt. Nec mirum ſi is contrariâ ſcriptione aliquando exagitetur: neque enim argumenti radicem attigiſſe mihi viſus eſt. Quamobrem non niſi ægrè intra veritatis limites continere ſe poterit. Nec dubito, quin ſæpè exerret, liberum quidpiam effutiens; niſi fortè quid peius ac deterius admittat.* Atnæ cachinnis omnibus dignus Raynaudus, qui Gibieufum, Janſenii Præcurſorem, ea ex Epiſtolâ colligit, unde oppoſitum maximè colligas! Eccur enim albos Gibieufi libro calculos hìc negat Janſenius, eumque velut exerrantis ingenii fœtum irridet, ſi is, ut Raynaudus quidem obtendit, Janſenianæ Hæreſeos ſummam complectebatur, ipſiúſque Janſenii libri prodromus erat? Itane ſecum ipſe, ſuòque cùm Præcurſore Janſenius depugnaſſet?

Feliciúsne &c.

Ad §. 4 *Pag.* XI. *lin.* 7. *à fine, poſt ſubſcriptionem Jeſuitarum.*

Hanc ſupplicis excuſationis formulam, ante diem alterum perſcripſerat Auguſtiſſimi Senatus Princeps; hujuſque exemplar, datis ad Illuſtriſſimum Archipræſulem, & ad Societatis Provincialem binis Epiſtolis, tranſmiſerat: ut rem totam concordi conſilio brevi conficerent.

Ad Societatis Provincialem ſcripſerat in hæc verba, die 21. Januarii. *Admodum Reverende Pater. Tranſmitto exemplar Formulæ à me, ſecundùm mandata Regia, perſcriptæ, meoque Chirographo communitæ. Ut illud exſcribi cures, propriaque manu obſignes; necnon etiam R. Patris Valeſii, ac Rectorum Collegii & Novitiatûs ſignaturâ muniri ſtudeas, rogo: tum ut illud quantocitiùs D. Remenſi Archiepiſcopo domi offeras: illumque iis verbis adeas, quæ tibi congruentiora & efficaciora prudentia ſuggeret, queis enata res ſedari omninò poſſit; ipſaque etiam ſemina, unde aliæ non abſimiles enaſcerentur, penitùs extingui. Rogo inſuper, ut quantum in autoritate tua poſitum erit, provideas, ne ullus è Societate ea de re quidquam deinceps ſcribat: neve ſupplicis Monitionis, quæ typis edita vulgataque eſt, exempla diſſeminet: immò potiùs omnes de ea ſobriè dicant, ubi dicendi neceſſitas acciderit. Nullus dubito, quin D. Remenſis Archiepiſcopus, pro parte ſua, omni humanitate atque prudentiâ oblatæ excuſationi reſpondeat, quanta à meritiſſimo Præſule exſpectari poteſt. Quia verò neceſſe exiſtimavi, ut quidam primæ notæ viri coràm adſint, qua tempore D. Archiepiſcopum Remenſem convenietis; in DD. Epiſcopos Sueſſionenſem & Laudunenſem, ejuſdem Comprovinciales, oculos conjeci, tamquam qui maximè congruant. Idcirco Verſallias mitto qui D. Epiſcopum Sueſſionenſem meo nomine roget, ut redeat quantocitius, unàque cum D. Archiepiſcopo de die & hora conveniat. Qua de re certum te facient, quò ſimul cum cæteris deſignatis Societatis Præpoſitis, præfatum Archipræſulem adeas, ultimam enato negotio manum impoſiturus: quod ut ne cœpiſſet quidem, optandum eſſet; ac ne quid inde ſiniſtrum eveniat, nuſquam ſatis præcaveri à vobis poterit.*

Hanc autem Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Epiſtolam dederat, hac ipſa die, tranſmiſſo etiam ſuperioris exemplo.

In eumdem faſciculum addo exemplar Formulæ à me perſcriptæ, meoque Chirographo communitæ, quam ad Societatis Provincialem tranſmiſi; necnon etiam tranſumtum datæ ad illum Epiſtolæ, qua eum ut propria manu ſubſcribat rogavi, & à cæteris Pariſienſium domorum Præpoſitis ſubſcribi provideat; eamque qua tibi die & horâ placuerit, demum exhibeat. Rogo pergratum habeas, DD. Epiſcopos Sueſſionenſem & Laudunenſem præſentes adeſſe, quo tempore Patres illos domi excipere dignaberis: quod quidem nuſquam ſat cito fiet, ut ultima emergenti negotio manus imponatur. Verſallias mitto qui D. Epiſcopum Sueſſionenſem meo nomine roget, ut huc quamprimùm fieri poterit redeat. Interim me ſumma cum reverentia profiteor humillimum & obſequentiſſimum ſervum. De Harlay.

Steterunt, &c.

Pag. XVII. *lin.* 11. *à fine, poſt hæc verba,* Ad §. 6.
Commentarios uſurpavimus.

Quocirca libros 2. 3. & 4. in duas veluti partes ſecare neceſſe fuit: alteram qua res in Congregationibus agitatas atque ſancitas exſequeremur; alteram qua litis urgendæ ac tractandæ modos, varioſque extra Congregationes eventus, referremus. Ne ſi omnia rectâ ſerie pro dierum ordine in Diurni modum, lectorum oculis ſiſterentur, ſejunctæ ab invicem Congregationes, disjuncta judicia, ac peregrinis ſæpiùs eventibus intermixta, dogmaticam Hiſtoriæ partem implicarent magis, noviſque ambagibus involverent.

AD EUNDEM §. 6. *Pag.* XXIV. *lin.* 5. *sic lege.*

Nec mirum cum die 8. Novembris, qua quinta hujus examinis Congregatio fuit, ægritudine detineri cœperit, & ab hujus anni congressibus abesse, uti passim in Actis legere est. Bossutii chirographum, &c.

AD §. 8. *Pag.* XXX. *ante Paragraphum nonum.*

Id clarissimi Augustinienſium Ordinis gloriæ debebatur, ut in ſacro conſeſſu, ubi de tuendâ ſanciendâque S. Auguſtini doctrinâ agebatur, ejuſdem Inſtituti Profeſſor, publici Actoris officio defungerentur: qui univerſo conſeſſui ab Actis & Commentariis eſſet; ad ea potiſſimùm ſtatuenda dogmata, quæ uti clariſſimus Doctor extremis operibus, diſcipulis ſuis velut ex aſſe hæredibus reliquit, ita religioſiſſimus Ordo filiis ſuis hæreditaria eſſe voluit. Sic enim in Generalibus Comitiis, anno 1679. habitis, definitione 13. ſtatutum legimus: *Pro feliciori ſtudiorum noſtri Ordinis progreſſu ac ſplendore, definitum fuit quòd quilibet ex noſtris Religioſis, tum privatim tum publicè diſcens vel docens, teneatur in omnibus ſequi & tueri inconcuſſam doctrinam SS. Patris noſtri Auguſtini, præſertim in materia de gratia primi hominis & Angelorum; quòd à primo inſtanti fuerint à Deo creati recti, & proinde bona voluntatis: Item de noſtra gratuita electione & prædeſtinatione in Chriſto, etiam ad gloriam, independenter à præviſione noſtrorum meritorum: necnon de gratia per ſe efficaci, quâ Deus operatur in nobis velle & perficere.* Cui publico ac generali Ordinis Statuto ſanciendo præluſerat Capitulum Provinciale, anno 1677. Francopoli in Gallia celebratum; ubi ita à piis ac Religioſis viris, ſancitum erat: *Nos infraſcripti Definitorii Patres ſtatuimus, definimus & ordinamus, ut quiſque in Provincia noſtra Theologiæ aut Philoſophiæ Profeſſor, immaculatam & inconcuſſam ſanctiſſimi Parentis Auguſtini doctrinam, juxta interpretationum fundatiſſimi Doctoris noſtri B. Ægidii Romani ſequatur, doceat, & defendat. Eiſdemque Profeſſoribus inhibemus ac prohibemus, ne ſequantur opinionem Ludovici Molinæ, circa Controverſias de ſcientiâ media, & Concordiâ Libertatis cum Gratia; utpote adverſantem, ſicut ipſe Molina teſtatur, Divi Auguſtini doctrinæ atque ſententiæ. Secùs facientes privamus in perpetuum gradu Doctorum in Provincia noſtra privilegiatorum. Datum Francopoli in Comitiis Provincialibus 19. Maii 1677.*

§. IX.

Pag. XXXIII. *lin.* 20. *poſt hæc verba*, ſententiam dixit. AD §. 10.

A Paulo V. unà cum aliis Cognitor datus, ad forenſia Status Eccleſiaſtici judicia reformanda, curam arduam ac perplexi moliminis, ingenti animo aggreſſus eſt, inexplicabiles ambages reſcidit, moras ſuſtulit, cuncta demum ad antiquum morem exegit. Ortâ Pontificem inter & Hiſpaniæ Regem contentione, de jure nominandi ad pinguia quædam Sacerdotia, ab utroque ſelectus Arbiter, nullâ Regis heri ſui ratione habitâ, jus Eccleſiæ Capiti adjudicavit: cujus arbitrio non modò ſtetit piiſſimus Princeps, ſed ob id potiùs ſubditi ſui, cujus judicio cauſâ ceciderat, integritatem pluris fecit, præmiis donavit. Hiſpaniarum Oratoribus, &c.

Pag. XXXV. *lin.* 5. *poſt hæc verba*, cauſa arripuerit. AD EUNDEM §. 10.

Sed & velim hìc obiter ſcire, cur clariſſimi Pegnæ ſuffragium hoc maximè nomine elevandum putet noviſſimus accuſator, quòd & Hiſpanus eſſet, & Galliæ ſubinfenſus, & in Henricum IV. minùs æquus? Itane Gallos in clariſſimum virum concitare libuit, ac cæcis illis accuſationibus occupare? Si ſic eſt, minùs prudenter cauſæ ſuæ commodis conſulit. Neminem enim Gallos inter fore puto, qui vanas illas criminationes, unâ gentium ac ditionum differentiâ nixas, aut commodatâ Principibus inter ſe diſſidentibus advocatione, non rideat, non exſibilet. Nemo quippe prudens ſubdito viro ſuccenſet aut vitio vertit, quòd Principis ſui jura pro ſua virili adversùs exteros tueatur, atque promoveat. Sic ſanè ſuum officium exſequitur, debitas viri probi partes implet, futurus etiam improbus, ſi ſecùs ageret. Id porrò unum hac occaſione tentavit clariſſimus Pegna; nec aliâ de cauſa adverſum Henrico IV. animum geſſit, quàm ut Hiſpaniæ jura, quæ illi juſta videbantur, vindicaret ac tueretur. Quamquam quid iſta moramur? Non uni Galliæ, ſed Eccleſiæ univerſæ noſtram hanc Auxiliorum Hiſtoriam conſecramus. Ac ſi quis fortè Gallos inter, minùs æquus rerum iſtarum æſtimator, adversùs Pegnæ ſuffragium, vel hoc uno nomine excipiendum duceret, quòd Hiſpanus eſſet, & Gallis fortè ſubiratus; longè aliter cæterarum omnium gentium eruditi nihiloſeciùs judicarent, ejuſque ſuffragium admitterent, uti omni exceptione majus; quòd nulla hìc quæſtio veniat, quæ Galliam cum Hiſpania commiſerit. S. Ignatii, &c.

9 AD EUNDEM §. 10.

Eadem pag. XXXV. *ante Paragraphum undecimum.*

Pegnæ famam non mediocriter obscuraret, quod scribit Cardinalis Ossatus, in sua ad Henricum IV. Epistolâ: illum nempè *adversùs Regis maximi absolutionem scripturientem, non paucas hæreses effutiisse, atque ob id ad fidei Tribunal vadimonium obiisse*: nisi certo certius esset, id ab eo Henrici auribus dari; ut illius genio respondeat, virumque deprædicet Majestati suæ minùs acceptum. Exstat enim verò in hanc diem, Libellus hac occasione à Francisco Pegna elaboratus, nimirùm *Responsio Canonica in Causa Henrici Borbonii.* In eo quidem adversùs ejusdem Canonicam absolutionem totis lacertis depugnat; qua parte probari à me non potest. At sis licet Argus, aut lynceos oculos habeas, nullum in fide nævum invenies: à vero licet abeat, attamen intra fidei limites continetur. Ad hæc, Pegnam nunquam sua Romæ fama deseruit, immò aucta indies pietatis ejus & Religionis opinio. Constanti Romanorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. gratiâ potitus, ea munia, nusquam sibi dissimilis, ad ultimas vitæ metas obiit, quæ illum nedum integræ fidei virum probent, sed ab omni quoque erroris suspicione remotissimum. Tantumque abest, ut illi ob procusos errores, coram supremis fidei Inquisitoribus dies dicta sit, ut contrà potiùs sederit posthæc eo in Tribunali Consultor & Judex; & adversùs hæreses, consiliis & scriptis locupletissimis depugnarit. Audi Alexandrum Marlianum Protonotarium Apostolicum: *In Tribunali Sacræ Rotæ ubi Decanus evasit, juri dicundo & decidendo præfuit, integerrimus & incorruptibilis, exemplaris. Mox ad sanctissimæ Inquisitionis Tribunal vocatus, sedit & consuluit, Consultoris officio fide & laude plenus fungens..... hæreticas pravitates confutare conatus, diu noctuque studuit, indefessè gnavam operam confutationibus dedit. Nulli labori propterea pepercit: pro defensione libertatis Ecclesiæ acerrimè pugnavit, & contra falsorum dogmatum Authores & Scriptores sanctissimè aque ac doctissimè scripsit, atque respondit..... Munia omnia ad amussim obivit, usque in finem omnis expers reprehensionis..... Christianæ & Catholicæ Religionis propugnator, pietatem, justitiam, charitatem coluit, &c.* Quibus paria habent Antonius Frances, in Præfatione ad Decisiones Rotales, Paulus Rubeus *in discursu* ad Juris studiosos; & ante omnes, Janus Nicius Erithræus, in sua Pinacotheca Imaginum virorum illustrium, parte 1. n. 80. ubi Pegnam *multùm apud omnes autoritate, existimatione & gratia valuisse* scribit; *virumque fuisse plane egregium, multa operâ atque industriâ in Romana Aula cognitum.*

5. Junii 1596.

Instrum. Erec. Cap.

Accedit quòd passim Scriptores Galli, clarissimo Pegnæ vitio vertunt, illum scilicet Inquisitionis Jura, autoritatem, dignitatemque præter fas & æquum, extulisse, commendasse. Non est hæc profectò virorum illorum indoles, qui tremendi Tribunalis virgam experti sunt. At quid ista moramur, ut Cardinalem Ossatum, humani quidpiam ea in Epistola passum demonstremus? Ipse se prodit, nihilque hujusmodi quidquam Pegnæ contigisse, vel nolens innuit, dum summum Pontificem, ad deferendam Pegnæ Purpuram inclinatum scribit: *Mais quand aujourd'hui Sa Sainteté voudroit promouvoir le Sieur Pegna, Auditeur de Rote, Espagnol, qui s'étoit tant distilé à écrire contre Votre Majesté pour empêcher l'absolution, avec tant d'ardeur, qu'il avoit écrit plusieurs heresies, & s'en étoit fait mettre à l'Inquisition; ce nonobstant Votre Majesté, ni pas un de ses Ministres ne voudroit avoir ouvert la bouche pour l'empêcher.* Hoc est, *Tametsi vellet nunc Sanctitas Sua, Purpuram deferre Domino Pegnæ, Rotæ Romanæ Auditori Hispano, qui Majestatem Vestram scriptis infectatus est, ingeniumque ut illius absolutioni Canonicæ obicem poneret, adeò torsit ut hæreses non paucas effutierit, ob idque ad supremum fidei Tribunal citatus sit; ne hisceret quidem Majestas Vestra, illiusve Ministri repugnarent.* Quis verò putet Pontificem de conferendâ Pegnæ Purpurâ cogitasse, ut Ossatus videtur illic significare, si is ante dies aliquot, ob procusos errores, coram supremo fidei Senatu, vadimonium obiisset? Minùs ergo secum ea in Epistola consensit Cardinalis Ossatus, mordaciorique sale virum Hispanum defricat Gallus, adversis studiis occupatus. Tametsi vel ob id veniâ dignus haberi possit, quòd hoc illi verbum exciderit obiter, ac minùs obloquendi animo, quàm flagranti in Herum zelo, ardentique in Regem Maximum studio.

§. XI.

Pag. XLII. *linea* 4. *sic lege.* AD §. 11.

Molanus è Divorum albo Faustum expunxit, quem S. Isidorus libro de Viris illustribus cap. 14. *Profundæ calliditatis virum* appellat. Eundem sacro titulo primùm exuit Cardinalis Baronius, donec Reiensis Ecclesiæ schedis acceptis, antiquum illi honorem restituit: constanter tamen, *vulpecularem*, *versipellem* nuncupat in Annalibus. Sed quid tandem? &c.

Pag.

Ad §. 12. *Pag.* XLIV. *linea* 14. *à fine poſt hæc verba*, non humanæ hiſtoriæ credulitatem.

Accedit Proſperi Fagnani ſuffragium obſervatione digniſſimum. Erat is, uti notum eſt, Juris Pontificii conſultiſſimus, utriuſque, ut vocant, ſignaturæ Referendarius, vir ingentium virtutum, atque in Sedem Apoſtolicam meritorum; qui cùm multos annos Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum à ſecretis eſſet, plurima in ſuis ad Libros Decretalium Commentariis, Decreta, Reſponſa, Conſulta laudavit, ut in publicis Congregationis Actis ac Tabulis legerat. Vix unam alteramve eruditi Operis paginam evolveris, ubi non aliquod hujuſce Congregationis Statutum aut Reſcriptum occurrat. Jam quis hæc amabo fabulis accenſenda putet, eo vel nomine, quòd illorum benè multa ſecundùm publicas juris formulas vulgata non fuerint, Cardinalis Præfecti & Secretarii ſubſcriptione ſigilloque communita? Eſſet id profectò lepidè feſtivum, viroque celeberrimo, qui tot illa Decreta ad Actorum & Tabularum fidem exegit, injurium nimis. Et is tamen, is ipſe Fagnanus ſingulari Præfatiunculâ lectorem initio monuit, nequaquàm pro authenticis haberi poſſe tot illa ab ſemetipſo laudata Reſcripta, niſi Cardinalis Præfecti Chirographo ſigilloque munita prodeant. *Quæ in his Commentariis*, inquit ille in Monito ad Lectorem, *Reſponſa S. Congregationis Eminentiſſimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum ſparſim pro re natâ referuntur, quamquàm ferè omnia exſcripta fideliter, dum eidem Congregationi eſſem à ſecretis; ea tamen minimè habenda pro authenticis, ſcire debes, quando Emin. Cardinalis Præfecti & Secretarii ſubſcriptione, ſignoque carent. Nec aliud mihi conſilium, aut voluntas alia, &c.*

Hoc ipſum ab Emin. Cardinali Albizio factitatum obſervamus, in libro *De inconſtantia in fide.* Ut enim Romanæ Inquiſitionis Generalis Aſſeſſorem diu egerat, infinita propemodum Sacri Senatus judicia, ſtatuta, reſcripta, ex ejuſdem publicis Commentariis eruta, pro re nata laudavit, ac ſæpiùs etiam exſcripſit: quorum tamen pars maxima nuſquam ex juris præſcripto vulgata fuit. Quis hìc Eminentiſſimum Virum, uti fabularum venditorem idcircò traducat? Id ergo certiſſimè ſtatuendum, poſſe ſcriptum aliquod publicæ authenicæ titulo ac dignitate defraudari, tametſi privatâ aliunde ſtet fide, & quavis ſuppoſitionis labe puriſſimum; eaque idcirco de cauſâ, Innocentium X. nonnullas Congregationis Auxiliorum ſcriptiones authentiæ titulo exuiſſe, ne certam & omnimodam in judicio fidem facerent, quòd illis publica juris ſolennitas nondum acceſſerit: tametſi fabulis accenſeri nullatenus poſſint. Sed certam Hiſtoriæ fidem faciant, omnemque ſuppoſitionis ſuſpicionem procul amoveant.

Addiderim, &c.

Ad eundem §. 12. *Idem longè potiori jure dicendum de prohibitione librorum omnium, qui ſpectat directè vel indirectè ad controverſiam exortam inter Chalcedonenſem Epiſcopum & Regulares Angliæ.*

Eadem pag. XLIV. *lin.* 7. *à fine poſt hæc verba*, & Patribus Societatis.

Quis dixerit in cauſa Veneti Interdicti, nihil ſani coloris aut editum hactenus, aut edendum in poſterum? Et tamen univerſis lucubrationibus hoc de argumento adornatis nigrum theta præfigit idem ille librorum vetitæ lectionis Indiculus: non ut univerſis ſcriptoribus in alterutrius partis ſtudia venientibus, invidioſam notam inurat; ſed ut pace Pontificem inter ac Rempublicam tandem inita, odioſæ litis documenta æterno ſilentio involvantur. At nihil, &c.

Pag. LI. *in fine adde.*

Quamquam ut eſt aliquid conditioni temporum tribuendum, nolim hodie duriores illas loquendi rationes à noſtratibus uſurpari, ſed alias mitiores quæ minùs invidiæ & calumniæ pateant.

Ad §. 13.

ADDENDA IN HISTORIA.

Ad Libri 2. cap. 1. *Pag.* 4. *lin.* 10. *à fine, poſt hæc verba*, eorumdem Actorum.

Quocirca Ambroſius Catharinus, liberioris ingenii Theologus, qui ab Auguſtini doctrinâ, in causâ juſtificationis, prædeſtinationis, & gratiæ procul abibat novaque in ſcholas inferebat, hoc de argumento paradoxa, reliquis Theologis inaudita, de Laynii ſuffragatione ſibi plaudit in ſuâ adverſus Dominicum Soto Apologiâ; ubi ſe illum ſuæ ſententiæ vindicem habere ſolitum ſcribit in Congreſſibus Tridenti celebratis; eidemque tenaciter adhæſiſſe ait, maximè dum de juſtificatione quæſtiones moverentur, in quibus illum turpiùs erraſſe notum eſt.

Fuerunt &c.

AD LIBRI I. CAP. I.

Pag. 6. *lin.* 21. *post hæc verba*, deformasset abjectio.

Hæc eâdem in gratiæ hostes usum indulgentiâ Divum Augustinum colligimus ex libro de Gestis Pelagii cap. 22. *Salubriùs sanè adversus illos agi putabam, si hominum nominibus tacitis, ipsi refutarentur & redarguerentur errores.* Et cap. 23. *Nec tamen operi meo, quo eundem librum refelli, Pelagii nomen inserui, faciliùs me existimans profuturum, si servatâ amicitiâ, adhuc ejus verecundiæ parcerem, cujus literis jam parcere non deberem.*

Nec solum &c.

AD CAP. 2.

Pag. 7. *lin. à fine post hæc verba*, instar canonis haberetur.

Hos die 8. Decembris 1594. quæ Deiparæ Conceptioni sacra erat, Gregorii XIII. vestigiis stitit Præpositus Generalis, Benedictionem Apostolicam percepturos, ut auspicatò negotium tam operosum inchoarent. Benè illis precatus est Pontifex, quòd eos ad reformanda, ut aiebant, Societatis studia conveniisse arbitraretur; sedulitatemque ac celeritatem operi adeò salutari ut adhiberent, est adhortatus. Neque verò Pontifex solùm, sed & Cardinales nonnulli, doctrinâ & autoritate præcipui, quos tantæ rei certiores fecerant, institutam, ut putabant, studiorum reformationem vehementissimè comprobarunt. Domicilium peropportunum & commodum selectis Theologis est attributum, ut semotâ turbâ in id opus intenderent; hybernis quidem sex mensibus, in Pœnitentiariâ S. Petri; æstivis autem caloribus, ad S. Andream in Monte Quirinali. Horæ ternæ singulis diebus in consultatione ponebantur: tempus reliquum legendis doctoribus & Commentariis, quos aliqui manu scriptos ex Provinciis attulerant, traducebatur. Novem mensium spatio integrum opus ad umbilicum perductum est: duplex scilicet confectus Tractatus, unus de opinionibus seligendis, alter de scholarum administratione. Uterque subinde ad incudem revocatus, relectusque omnibus audientibus, & emendatus, ac demum singulorum subscriptione munitus, jubente Generali Præposito in Collegii Romani Professorum manus traditus est; ut ab iis primùm, à reliquis deinde per Societatem Provinciis expenderetur. Anno vertente, sub finem mensis Augusti, cùm Decembris initio cœpisset, Theologorum deputatorum Conventus solutus est. Stephanus Tuccius, Joannes Azorius, Gaspar Gonzales in urbe relicti sunt; ut, sicubi desideraretur, eorum quæ constituta fuerant, interpretationem vel rationem redderent; cæteri domum quisque ad consueta munia rediêre.

Speciosam edendi Operis rationem legimus, in Tractatu de &c.

Pag. 31. *lin.* 19. *sic lege.* AD CAP. 4.

Quasi verò id Henriquesii verba postulent; virumque è sacro pulpito dicentem ad populum intelligere necesse sit, quoties quidpiam ab aliquo *prædicatum* legimus. Næ dignum Palæmone commentum! Nugacem ludimagistrum ad scholas amandare sat est, ut ancipitem hujusce vocabuli vim ediscat. At interim rogo nobis aperiat, quem alium loci ac temporis notæ ita minutatim expressæ nobis indigitent? Quis ea ætate temporum inconditas de prædestinatione opiniones Lovanii cuderit? Quis Academiam offenderit? Quis ad Sixti V. tribunal delatus sit? Quamquam nec de iis vitilitigare necesse est. Seu etenim Lessius aut Hamelius, seu quivis alius in scholastico suggestu docens, aut in Ecclesiastico pulpito dicens ad populum, Sixti V. severam animadversionem concitaverit, quòd contra gratuitam prædestinationem declamasset, perinde nobis est; perinde dogma Catholicum ab imprudenti declamatore sugillatum, summi Pontificis judicio vindicatur.

Nec verò &c.

Pag. 45. *lin.* 3. *post hæc verba*, perhibent testimonium. AD CAP. 7.

Unius Theophili Raynaudi verba dabo, qui ut rugosæ frontis & obducti supercilii Censor esse solet, in laudando viro minùs Societati propitio fidem sibi faciliùs conciliabit. In Clausulâ operis de libris configendis numero 571. de humilitate post justam confixionem tenendâ sermonem habens, *Quo in genere*, inquit, *Michael Bayus æternum quibusvis scriptoribus exemplum sapientiæ ac virtutis statuit. Cùm confixis à Francisco Toleto per Pontificem ad id delegato, nonnullis ejus libris, oblatâque Censurâ, an acquiesceret rogatus, malle se dixit, porcos pascere, quàm cujuscumque per Ecclesiam delecti judicio de scriptionibus suis, pervicaciter obluctari.*

Quare &c.

Pag. 54. *lin.* 34. *post hæc verba*, replicantibus Jesuitis. AD CAP. 8.

Qua loquendi ratione satis innuit quàm altè de Censura Lovaniensi sentiret, quove pretio

pretio ejuſdem Defenſionem haberet.

Sed & celeberrimæ &c.

AD CAP. 12. *Pag.* 83. *ante Caput* XIII.

Quò ergo ſe vertent Leſſianæ cauſæ Actores, ut vulnus illi celeberrimarum Academiarum Cenſuris illatum, quoquo pacto obliniant? Cœlum forte in partes trahent; & ſanctiſſimum Præſulem Franciſcum Saleſium Leſſio propitium jactitabunt. Extremam hanc tuendæ cauſæ viam init Philippus de Vos: Epiſtolam neſcio quam, Leſſio à piiſſimo Præſule datam obtendit, die 27. Auguſti 1618. ubi de prædeſtinatione meritis prævisis nixâ, ita fertur pronunciaſſe: *Sententia illa, antiquitate, ſuavitate, ac Scripturarum nativâ autoritate nobiliſſima, de prædeſtinatione ad gloriam, poſt prævisa opera, ſanè mihi gratiſſima fuit: qui nimirum eam ſemper, ut Dei miſericordiæ & gratiæ magis conſentaneam, veriorem ac amabiliorem exiſtimavi: quòd etiam tantiſper in libello de Amore Dei judicavi.* In Theſ. Nos ſpuriam Epiſtolam, & viro Dei ſuppoſitam dicimus; quam & alii antè nos, uti adulterinæ fœturæ partum exſufflarunt. Paul. Faſſ. in vanit. Triump. Eccur enim ſi genuina certaque eſt, ſuum etiam tot inter alias, ſummo ſtudio & accuratâ diligentiâ conquiſitas, locum nec habet, nec habuit unquam? Maximè cùm diligentiſſimi illius Operum Editores, cætera quæque vel minutiſſima Epiſtolarum fragmenta publicâ luce digna judicarint? Quamquàm ſi certâ & indubitatâ fide conſtaret, nullum inde Leſſianis paradoxis, ab Academiâ Lovanienſi & Duacenſi proſcriptis, præſidii accederet: cùm levem hìc ſcholæ difficultatem duntaxat attingat ſanctiſſimus Præſul, quæ de duplicis vocationis ordine, ad gratiam & ad gloriam, à Theologis innoxiâ fide diſputatur; atque id quidem obiter, pro officioſæ Epiſtolæ conditione: ab iis verò, de quibus maximè Leſſio intentata lis erat, ne verbulum quidem habeat.

Sed age, fac ſi lubet ſi libet, Tractatum integrum de agitatis ea ætate divinæ gratiæ Controverſiis, adornaſſe ſanctiſſimum virum; quod tamen nuſquam ab illo tentatum, certò liquet: fac, ſi eò uſque tabulari placet, Leſſium abſolviſſe, quod tamen nuſquam illi in mentem veniſſe compertum eſt: quid ni reponere liceat, quòd Eruditiſſimus Præſul Jacobus Benignus Boſſuetus, Meldenſium Epiſcopus ſcripſit non ita pridem, in Præfatione adversùs Inſtitutionem Paſtoralem, Cameraci datam, die 15. Septembris 1697. ubi hæc inter alia multa, de D. Franciſco Saleſio notat ſectione 11. §. 126. *Hoc primùm principii loco ponam, de quo nulla poſſit controverſia ſuboriri: honorem viris ſanctis, ſolenni apotheoſi cœlo adſcriptis, ab Eccleſia univerſa deferri ſolitum, quantuſquiſque ſit ille, non obeſſe, quominus ea damnari poſſint, quæ ſcripto forte reliquerunt.* Quod S. Cypriani, aliorumque benè plurium exemplo confirmat; quorum errores, ſalva ſanctitatis opinione, & nulla delati publici cultus injuriâ, proſcribuntur. Tum addit è veſtigio: *At inquies, eximiâ ſanctitate fuit Franciſcus Saleſius..... Sic certè: verùm non illi idcircò indeficientiæ privilegium arrogandum eſt. Neque enim quemquam fugere poteſt, quo pacto, poſt divini amoris initia, ingenitis humanì cordis viribus attributa (quin tamen ad Deum ſuper omnia diligendum aſſurgant, ut veræ dilectionis ratio poſtulat) æquiori quidem animo, quàm doctrinâ, probandum ſibi ſumat, naturalem illum amorem, nequaquam inutilem eſſe: ob id maximè, quòd etſi hæc una nativa propenſio, ad Deum ſicut oportet diligendum, aſſurgere nequeat, ſi tamen eâ fideliter uteremur, Deus nobis auxilio præſto eſſet, quo poſſemus ultrà progredi: atque ita nos ad ſupremum amorem ſenſim eveheret. Certè dum ſacros honores D. Franciſco Saleſio Eccleſia detulit, non illi mens ea fuit, ut vel dictum hoc autoritate ſua conſecraret, vel Theologis aliter ſentiendi facultatem adimeret; ſi quis fortè ſub ſanctiſſimi Præſulis umbrâ paradoxum iſtud in ſcholas rursùm induceret: Deum iis gratiam elargiri, qui naturæ viribus, quidquid in ipſis eſt operantur. Quæ porrò à Sanctiſſimo Viro hujus ſuæ ſententiæ ratio fertur; Deum ſcilicet iis ad virtutis profectum gratiam elargiri, qui fidem in minimis probant, quique pro viribus adnituntur, locum quidem habet in donorum gratuitorum uſu, non itidem naturalium..... Quid tandem? Pro ea quæ viro Theologo cenſendi libertas eſt, pronunciare auſim, D. Franciſci doctrinam, minùs ſibi cohærentem & accuratam, ei viſum iri, qui ejus veſtigia preſſerit, & calcem calce triverit. Nemoque non ſpontè fatebitur, eum pro ætatis & ſeculi genio, plus fortè in lectitandis recentioribus ſcholæ Magiſtris ſtudii poſuiſſe, quàm in evolvendis Eccleſiæ Patrum monumentis.* Lib. 1. de amore Dei cap. 16. 17.

Et hæc de Belgicarum Academiarum Cenſuris nimis fortaſſe multa. Sed hanc prolixè dicendi neceſſitatem nobis impoſuit, novus earum accuſator, qui vulgato non ita pridem Romæ *Veri ac falſi Thomiſmi Paralello*, hæreſeos labem eis aſperſit; ipſaque Literarum capita, viroſque ſuperûm cultu reverendos, integrâ lucubratione concidit, aſperiſque dicteriis jocum

jocum ac ludibrium facit. At amaras ipſe quoque hiſtorias audire coactus eſt. Nunc demùm ſermonem ad alia convertimus, noſtroque inſtituto propiora reſumimus.

Vide Præf. §. 1.

CAPUT XIII.

Liber &c.

Ad Cap. 13. *Pag.* 87. *lin.* 2. *poſt hæc verba*, Cenſurâ dignum.

Sed & ante Henriqueſium, Balduinus Rythovius, Regius in Academia Duacena Theologiæ Profeſſor, Joannem Deckerium, eamdem illam Ferreiræ approbationem ſuperbè jactantem retuderat, in publica Declamatione, anno 1589. *An quia unus Deputatus ſacræ Inquiſitionis, ac Librorum Cenſor teſtatus eſt, in Opere Molinæ nihil à ſe animadverſum eſſe, quod noſtræ Religioni adverſetur, &c. ideò nihil in eo eſt, quod ullo nomine mirari, aut improbare quiſquam poſſit, citra calumniam?*

Exſtat declamatio in Append.

Sunt quidem &c.

Pag. 89. *lin.* 4. *poſt hæc verba*, Ambitioſiùs efferre.

In quem idcirco illud Theodoreti de nonnullis meritò cadat: *Neminem volunt ex antiquis Patribus ſibi comparari, neque illos quibus nos ab ineunte ætate uſi ſumus præceptoribus, ſibi pares exiſtimari ſinunt: immò verò ne unum quidem Collegarum noſtrorum vel ad mediocrem ſapientiam perveniſſe cenſent: ſed ſe ſolos ipſos ſapientes, & ſibi ſolis ea doctrinæ patefacta myſteria, quæ in nullius unquam ſub ſole cognitionem ac mentem venerint, arbitrantur.* Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 4.

Ea de re &c.

Ad Cap. 14. *Pag.* 97. *lin.* 5. *poſt hæc verba*, Quantum poſſumus.

Si quid tandem in cenſendo autoritatis obtinet fama publica, clariſſimorum Virorum de novis Molinæ inventis acre judicium publicâ Cenſurâ roboratur. Quo etenim tempore Romæ Controverſia fervebat, pervagata apud exteras etiam gentes fama erat, Molinam Pelagianiſmum ſuſcitaſſe, in Auguſtinum petulanter inſurrexiſſe, iis etiam in capitibus, queis ſtat Eccleſiæ Catholicæ fides; nec ab ſummo Pontifice, niſi gravi Divinæ Gratiæ injuriâ irrogatâ, abſolvi poſſe. Audi Petrum Matthæum anno 1604. in Galliis ſcribentem, in Hiſtoria ſeptem annorum pacis, lib. 7. narratione 4. *Tertia demum Controverſia mota eſt occaſione libri Ludovici Molinæ Societatis Jeſu Profeſſoris, de Concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii, qui Pelagianam hæreſim maxima ex parte ſuſcitaſſe ferebatur: quique audaciùs quàm par eſſet adversùs S. Auguſtini ſententiam ſcripturierat; tametſi hæc uti Eccleſiæ Catholicæ fides habenda ſit, in his quæ ad Gratiam & liberum Arbitrium pertinent. Fratres Prædicatores, qui primas in Hiſpania & Luſitania Theologiæ Cathedras moderantur, Molinæ doctrinam velut erroneam traduxerunt. Lemos, quem nulli doctrinâ & eruditione ſecundum habent, multum in eo demonſtrando ſtudii ac laboris impendit. Res coram Pontifice maximo, Cardinalibus, & Generalibus Ordinum, Romæ publicis diſputationibus ventilata eſt, cujus definitio in annum alterum miſſa fuit. Tunc demùm experiri licebit, an Romani Pontificis judicium libero hominis arbitrio vires addet, & iſtud divinæ Gratiæ virtuti anteponet.*

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Molinæ Concordia, malè à multis habita ut quæ errores Petri de Rivo à Sixto IV. proſcriptos, denuò ſuſcitabat.

ID etiam Ludovico Molinæ vitio datum à multis, quod & Leonardo Leſſio crimini verterant Theologi Lovanienſes, in celebri Cenſura; quòd proſcripto aliàs ab Sixto IV. Petri Rivii Axiomate, ſuam illam indifferentem ac verſatilem gratiam ſuperſtrueret. Quippe qui divina Decreta atque Auxilia ſeipſis efficacia, ob id præſertim eliminabat, quòd humanæ libertati officerent: ratus nempe, id omne neceſſarium fore, quod ab antevertente atque indeclinabili principio certò flueret. Hoc enim araſſe vitulo Petrum Rivium, atque ob id virgam promeritum, ex Lovanienſis Academiæ tabulis diſcimus; totamque de divinis Decretis futuriſque contingentibus doctrinam polluiſſe, hoc uno poſito fundamento: *Quidquid per neceſſariam conſequentiam ſequitur ex inimpedibili, hoc eſt inimpedibile & neceſſarium.* Rem uti geſta eſt, paucis exponam. Erat is publicus Philoſophiæ Profeſſor in Academia Lovanienſi, anno 1470. Nonnulla de futuris contingentibus, de ſcientia Dei, deque decretis æternis, ſuis in prælectionibus habuit; ob quæ à doctiſſimis Viris Henrico Zoemerio, & Jacobo Scheluvaerto, Facultatis Pariſienſis Doctoribus, in Lovanienſem Academiam cooptatis, in judicium vocatus eſt. Res Lovanii primùm in ſacro Theologorum Conſeſſu ventilata, Romam coram Sixto IV. aſcita eſt. Cognitâ cauſâ, ad palinodiam, ex Pontificis juſſu, Novator adactus eſt: quam quia prono ac humili in ſpeciem animo decantavit, Brevi com-

commendatitio, ſuæ velut innocentiæ obſide donatus, ad Lovanienſem Academiam miſſus eſt. Verùm ut domeſticos lares attigit, Pontificis commendatione abuſus homo verſipellis, ejuratos errores Lovanii recudit : & quidem longè quàm antehac petulantiùs; quòd ſe ſub ea Pontificis umbellâ ab æmulorum inſultibus tutum crederet.

Rem ut didicit Sanctiſſimus Pater, novos in partibus Judices dedit, qui de nova Rivii molitione quæſtionem facerent, anno 1474. ſingulari miſſo Diplomate, in faſtis Academiæ Lovanienſis typis edito, pag. 351. quo Petrum Rivium non ob aliud abſolutum, ac Brevi commendatitio, ejus velut innocentiæ obſide, donatum ſignificavit, quàm quòd demiſſo ſupercilio, animoque in ſpeciem humili, palinodiam, uti ei juſſum fuerat, decantaſſet : cæterum datâ erranti veniâ, errores damnatos fuiſſe, ſeque illos ſecundò damnare profeſſus eſt. *Nos*, inquit, *qui Propoſitiones prædictas, velut ſcandaloſas, & à Catholica fidei ſemita devias, tunc damnavimus, prout etiam in præſentiarum damnamus, &c.*

Totum id ex Lovanienſis Academiæ Tabulis delibatum : queis etiam certò liquet, Petrum Rivium eo maximè poſito fundamento, ſuos illos de divinis decretis futuriſque liberis proſcriptos errores derivaſſe: *Quidquid per neceſſariam conſequentiam ſequitur ex inimpedibili, hoc eſt inimpedibile & neceſſarium.* Quo non abſimiliter nixus Molina, Decreta atque Auxilia ſeipſis indifferentia commentus eſt : ne ſi ea ſeipſis efficacia, atque (ut ſchola loquitur) inimpedibilia poneret, fatali neceſſitate evenirent, quæcumque inde in humanis voluntatibus ſequerentur.

Equidem invidiâ temporum excidit Sixti IV. diploma Pontificium, quo Viri verſipellis errores proſcripti fuerant. At quis illos idcircò proſcriptos neget? Aut quis novatorem eo principio nixum inficietur, facti fidem locupletiſſimam facientibus celeberrimæ Academiæ Commentariis; ipſis etiam Magiſtris hanc ipſam Sixti Cenſuram, in Leonardi Leſſii os illidentibus, in Defenſionis Præfatione? Fidem augent Balduinus Rythovius Profeſſor Regius, qui Joannem Deckerium hoc telo petiit in Declamatione Academicâ, in Appendicem miſſâ : Franciſcus Sylvius Duacenſis Academiæ lumen, Libro de primo Motore : Didacus Alvares Opuſculo de origine hæreſis Pelagianæ cap. 32. cui Actorum copiam fecerant Theologi Lovanienſes anno 1630. ut planè illiberalis ingenii ſit, ac ſtudio partium nimis abrepti, latam in Rivium damnationem in dubium vertere, aut rem aliter geſtam fabulari. Sed & dubitationem, ſi quæ fortè ſuboriri poſſet, amovet celebris Concertatio coram Clemente VIII. habita die 22. Martii 1604. ubi Dominicanus Interlocutor, Rivii Cenſuram in Molinianos regerens, inventa ad ſe Romæ damnationis Acta profeſſus eſt, Societatis Oratore nihil in oppoſitum muſſitante. *Sed quare iſti Patres*, aiebat ille, *non adducunt Bullam Sixti IV. qua damnavit Doctorem Petrum Rivium, qui negabat contingentiam rerum, propter efficaciam divini concurſus? Ex qua videtur damnata pariter ſententia horum Patrum, qui putant per efficaciam antecedentem divinæ Gratiæ tolli libertatem Arbitrii. Utebatur autem principio fundamentali Patrum Societatis, videlicet quòd præſuppoſitâ aliqua ſuppoſitione antecedenti, ex qua infallibiliter ſequitur hominem operari, tollitur contingentia rerum. Hanc Propoſitionem referunt Patres Lovanienſes, & dicunt damnatam fuiſſe à Sixto IV. & ego feci maximam diligentiam pro inveniendailla Bulla in alma Urbe, ſed inveni tantùm omnia Acta hac de re, non tamen inveni Bullam.* Cui nihil ab Societatis Oratore reſponſum legimus, quo vel Rivii Cenſuram elevaret, vel Molinam ſuum alio araſſe vitulo demonſtraret.

Ludunt igitur illuduntque Joannes de Lugo diſp. 26. de Incarnatione ſectione 6. & Paulus Leonardus parte 3. ſectione 8. dum rem aliter geſtam obtendunt, quàm ab Alvareſio ſcripta eſt : & Rivium alio principio nixum ſuos errores procudiſſe aiunt, ne Molinam iiſdem ventis enavigantem proſcribere compellantur. Quo etenim ſuffragatore, quo teſte Alvareſii fidem ſollicitabunt? Ab Guillielmo Mercero tranſmiſſâ privati cujuſpiam Theologi, qui Rivium fertur exagitaſſe, ſcripta venditat Joannes de Lugo, ut principium ab eo poſitum, ab ipſis ejus impugnatoribus quodam ſenſu admiſſum oſtendat. Verùm quis privati viri lucubrationem publicis Academiæ tabulis anteponat; queis certò liquet Rivii Axioma ab ſummo Pontifice unà cum derivatis erroribus fuiſſe proſcriptum? Quis incertas ſcriptiones, nec quidem typis vulgatas, ac ſine temporis nota, integræ fidei documentis præferenda putet; niſi qui Hiſtoriæ fidem pro nutu atque arbitrio metiri velit? *Vultis vera eſſe, quæ in veſtris comprehenſa ſunt ſcriptis? Et quæ in noſtris conſignata ſunt litteris, confiteamini neceſſe eſt, vera eſſe.* Arnobius libro 1. adversùs Gentes. Sed age, neglecto fonte, veri-

veritatem ab rivuliis derivemus; demùs integram fidem laudatis à Lugo quaterniombus; & ſic quoque confecta res erit. Lovanienſis ſiquidem Academiæ Propoſitiones, Rivii erroribus oppoſitas, recenſens Theologus ille, hanc tertio in ordine conſtituit: *Dei præſcientia de futuro rerum eventu contingentium ac futurarum, infert per neceſſariam conſequentiam, res illas fore: cujus tamen conſequentiæ neceſſitas, non tollit contingentiam conſequentis.* Oppoſito igitur errore laborabat Rivius: atque ex conſequentiæ neceſſitate, ab inevitabili ac ſeipſo efficaci decreto derivatâ, conſequentis neceſſitatem colligebat. Hac porro argutiâ millies uſum Molinam, ut decreta atque Auxilia ſeipſis efficacia exploderet, ſuaque illa indifferentia effutiret, is unus negabit opinor, qui ſe in ejus lectione peregrinum fatebitur. Quocumque ergo ſe vertant Molinæ Vindices, laqueum non effugient; nec novum illum indifferentis gratiæ Architectum à Sixti IV. Cenſurâ liberabunt.

Lege Joan. de Lugo loco laudato.

Sed quid vetera conſectamur? Certè, ſi quæ à nonnullis Molinæ Interpretibus fertur Decretorum indifferentium expoſitio Molinæ menti reſpondet, nil dubium, totam illam laſcivientis ingenii fœturam, noſtris demum temporibus damnatam eſſe. Nonnulli quippe, ut hanc Decretorum indifferentiam, ab humanâ voluntate pro nutu & arbitrio flectendam, & ad certum effectum determinandam, cum divina omnipotentiâ concilient, id demum effutiunt, ſuam Deum omnipotentiam, ſeu quod idem eſt, omnipotentiæ ſuæ vim, humanæ voluntatis arbitrio committere, ac veluti ſubdere, ut hanc homo pro nutu ſuo flectat, quove libuerit verſet atque convertat. Ita Molinæ ſui ſyſtema interpretatur ac defendit ex inſtituto Chriſtophorus Ortega, primi in Societate ſubſellii Theologus, Controverſia 3. de Decretis diſp. 2. quæſt. 4. Certamine 3. Deum ita decernentem inducens: *Decerno concurrere ad actionem etiam pravam, vel ejus oppoſitam, vel non concurrere ad illam, pro libito voluntatis creatæ: id eſt, meam illi omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum extrinſecùs præparo ſubdoque, ut eâ utatur creata voluntas, non ſecus atque habitibus infuſis, quos ad actus ſupernaturales ipſi inhærentes immitto.* Tum Certamine 4. num. 6. *Deus decreto ſuo activitatem omnipotentiæ ſuæ applicat ac ſubdit arbitrio voluntatis creatæ..... Et cum ea ſibi applicatâ, atque arbitrio ſuo ſubditâ activitate omnipotentiæ utitur.....* Subinde num. 7. *Deus ſuæ omnipotentiæ activitatem, & virtutem activam, creatæ voluntatis arbitrio ac liberæ determinationi ſubdit.* Ac demum diſp. 3. quæſt. 2. Certamine 1. num. 5. & Certamine 2. num. 1. & Certamine 3. num. 4. hunc prolixæ diſputationi Colophonem apponit: *Deus voluntatis ſuæ, ſeu quod idem eſt, omnipotentiæ ſuæ activam ad extra virtutem, quoad uſum applicat creatæ voluntati; ut eâ ſicut habitu ipſi infuſo utatur, ut diximus; nec concurſum ſuum aliter voluntate ſua proſequi ac præparare debet, aut poteſt.* Ita eruditus Interpres. Nec ſatis ſcio, an alia Molinæ mens eſſe poſſit. Ecquo enim pacto divinæ Omnipotentiæ decreta auxiliave humanæ voluntati committi, ſubdique poſſunt, ut ab ea pro nutu atque arbitrio flectantur, niſi ei quoque commiſſa ſubditaque omnipotentia cenſeatur, cujus & ipſa decreta ſunt, & auxilia? Certè Baſtida in Congregatione 10. coram Paulo V. non abſimiliter contendebat, Deum omnipotentiam ſuam noſtro arbitrio dimiſiſſe. Has porrò luxuriantium ingeniorum ineptias, ſolenni decreto damnavit Innocentius XI. poſt habitum accuratum Theologorum examen anno 1679. ut hic habes.

Feria quarta die 23. Novembris 1679.

In Congregatione Generali S. R. & univerſalis Inquiſitionis, habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. Innocentio Papa XI. ac Eminentiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in univerſa Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus, à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Cùm ſupradictis Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. delata fuerint duæ Propoſitiones, ſcilicet, Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut eâ utamur, ſicut aliquis donat alteri villam vel librum: *Et*, Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam; *eorumdem juſſu per Theologos ad id ſpecialiter deputatos diligenter examinatæ fuerunt. Quorum Votis auditis, & re Sanctiſſimo D. N. relatâ, & coram ſua Sanctitate propoſita, unà cum Votis ipſorum Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, Sanctitas ſua decrevit & mandavit, ut ambæ Propoſitiones omninò prohiberentur, ſicut eas præſenti Decreto damnat & prohibet, ut temerarias, ut minimum, & novas: mandatque ne quiſquam deinceps, cujuſcumque ſit gradus, ordinis aut conditionis, illas vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis aut etiam ore tenus docere, vel aſſerere; ſub pœnis & Cenſuris, in Indice librorum prohibitorum contentis,*

aliisque Sanctitati suæ benè visis. FRANCISCUS RICARDUS S. R. & Universalis Inquisitionis Notarius.

Die 2. Decembris 1679. supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii sancti Officii, & in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum SS. D. N. Papæ, & sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Vis aliud ad mensuræ cumulum? Rem dabo in Orbis theatro tractatam nuper. Palmaria duo scholæ Thomisticæ dogmata, de gratuitâ Electorum Prædestinatione, ac de Gratiâ seipsa efficaci, quibus oppugnandis totus incubuit Ludovicus Molina, suamque, quanta quanta est, Concordiam consecravit, usque adeo nuper supremæ Inquisitionis judicio vindicata assertaque sunt, ut non modò præcipites eorumdem accusatores Censorio stigmate confixerit sacer tuendæ fidei Senatus, sed & hanc communem Patrum doctrinam judicarit. Cùm enim anno 1692. die 27. Augusti, Adrianus Van Wick, vulgatâ per Hollandiam Epistolâ, Assertionem hanc, quâ severiorum Thomistarum sententia expressa est, multis conviciis proscidisset: *Deus omnibus jam hominibus ob Adæ lapsum æternæ damnationi obstrictis, per æternum Decretum meræ suæ misericordiæ, aliquos absque respectu tunc ad futura eorum merita, ex illis eligit, quos proposuit salvare; reliquis omnibus in damnatione relictis. Deus illis omnibus quos proposuit salvare, hujusmodi dispensat gratiam, quæ facit illos bonum velle & operari, subtrahens interea omnibus aliis gratiam, quæ ipsis est necessaria, ut bonum velle & operari possint. Adeo ut illi infallibiliter omnes salventur, & hi indeclinabiliter omnes pereant:* cùm hanc, inquam, assertionem conviciis proscidisset, Romam post Menses aliquot delata res est. Dedit sacer Ordo Theologos Viros, qui de vulgata Epistolâ sententiam dicerent. Sic illi de scripto censuerunt: *Nos infrascripti attentè consideravimus translationem Latinam Epistolæ Adriani Van-Wick Presbyteri, Belgico sermone impressæ die 27. Augusti 1692. & unanimi Voto judicamus, illam esse manifestè transgressivam Decretorum sanctæ Sedis Apostolicæ, gravissimè censurando sententiam communem sanctorum Patrum & Theologorum, de gratuita Prædestinatione, & Gratia per se efficaci: atque ex isto capite, nec non ex audaci & injurioso modo procedendi, turbando unionem & pacem inter Missionarios Catholicos, existentes in partibus hæreticorum, censemus esse valdè seditiosam & scandalosam, atque adeò prohibendam. Salvo tamen, &c.*

Ita censeo ego F. THOMAS MARIA BOSIUS *Commissarius S. Officii.*

Ita censeo ego F. PHILIPPUS A S. NICOLAO *Qualificatore S. Officii, Ord. Carmelitarum Discalceatorum.*

Theologorum Deputatorum judicium probavit, suumque fecit Eminentissimorum Patrum Consessus. Apostolico Internuncio Bruxellis commoranti injunctum, ut latum judicium Adriano significaret, eumdemque ad parendum & subscribendum adigeret. Quod cùm ille detrectasset, & in audaciæ suæ defensionem sacris fidei Quæsitoribus libellum supplicem typis editum obtulisset, sub hoc titulo: *Ad Eminentissimos & Reverendissimos S. R. E. Cardinales & Inquisitores supremos, Supplicatio Adriani Van Wick Presbyteri secularis, & in Hollandia Missionarii, ut non cogatur subscribere judicio Patris Commissarii, & alterius Qualificatoris;* meruit fulmen secundum. Iterato mandato jussum illi, ut judicio subscriberet: ejusque libellus, unà cum aliis ejusdem solenni Decreto confixus est, die 19. Maii 1694. Quidni verò totum id in Molinam regeramus, qui hæc ipsa Thomistica dogmata, mitioribus etiam verbis expressa, proscidit, modisque pessimis habuit? Legatur, si per otium licet, quæst. 22. art. 1. disp. 2. Item quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 3. Item art. 4. & 5. disp. 1. Mem. 6. ubi *duram, crudelem, Deo indignam*, ac etiam *in fide erroneam* sententiam appellat, quam nedum censurâ liberam voluit sacer Ordo, sed communem Patrum doctrinam judicavit. Quod enim à delegatis Theologis judicium latum est, suum fecit; atque ut illi præceps criminator subscriberet, iteratò jussit.

Sed & nunc tandem, atque hoc ipso anno 1700. sacer Cleri Gallicani Conventus, in Palatio San-Germano celebratus, Molinæ systema Molinianæque doctrinæ caput (De pacto inter Patrem æternum & Filium inito, ut quoties homo solis naturæ viribus id omne quod agere potis est adimpleverit, gratiam illi largiatur) gravi temeritatis & erroris notâ confixit. Abit igitur in fumum seu potius ad orcum relegatur commentitia illa lex gratiæ omnibus facientibus quod in se est conferendæ, in cujus defensione Gregorius de Valentia non operam modò, sed & animam posuit. Illi confutandæ magnam Institutionis suæ Pastoralis partem consecraverat Illustrissimus Remensium Archi-Præsul: quam uterque Cleri Gallicani Ordo in Comitiis Generalibus autoritate sua confirmavit, solennique sanxit Decreto 4. die mensis Septembris proximè elapsi, uti patet ex ejusdem Cleri Gallicani

licani Commentariis, quorum partem excerptam exhibemus.

Ex Actis quibus titulus:

CENSURA ET DECLARATIO

Conventus Generalis Cleri Gallicani

Congregati in Palatio Regio San-Germano anno milleſimo ſeptingenteſimo, in materia Fidei & morum, ejuſdem generalis Conventus juſſu publicata, & typis edita.

§. II.

DE GRATIA.

„ 5. AXioma illud Theologicum, *facienti*
„ *quod in ſe eſt Deus non denegat gra-*
„ *tiam*, non ſolùm veriſſimum eſt atque do-
„ ctrinæ Scripturæ, Conciliorum & Patrum
„ maximè conſentaneum: verùm etiam per
„ illud ſignificatur obligatio quam Deus ha-
„ bet dandi gratiam facienti quod in ſe eſt;
„ nec ſolùm facienti quod eſt ex ſe viribus
„ gratiæ, ſed etiam illi qui cùm non habeat
„ gratiam, facit quod in ſe eſt viribus naturæ.
„ 6. Quia tamen opera viribus ſolius natu-
„ ræ elicita omninò ſterilia ſunt atque inca-
„ pacia merendi dona intrinſecè & Theolo-
„ gicè ſupernaturalia: ideò dicimus obliga-
„ tionem quam Deus habet conferendi gra-
„ tiam facienti quod eſt in ſe viribus naturæ,
„ ſeu viribus gratiæ purè naturalis, ſive non
„ Theologicè ſupernaturalis, non oriri ex
„ bonitate talium operum, aut ex ullo me-
„ rito ſivè condigno, ſivè congruo, quod
„ inſit in illis operibus in ordine ad gratiam;
„ ſed ex pacto inter Chriſtum fidejuſſorem
„ noſtrum & Patrem inito, ad gratiam ho-
„ minibus conferendam propter Chriſti me-
„ rita, reſpiciendo ea naturalia opera ut pu-
„ rum terminum, non ut meritum ullum
„ aut rigoroſam conditionem.

CENSURA.

„ *Hæ duæ propoſitiones, quâ parte cauſam diſ-*
„ *cernendi inter juſtos & non juſtos in opera*
„ *merè naturalia referunt, Semipelagianiſ-*
„ *mum inſtaurant mutatis tantùm vocibus.*
„ *Pactum autem quod inter Deum & Chri-*
„ *ſtum aſſeritur, commentum eſt temerarium,*
„ *erroneum, nec ſolùm tacente, ſed etiam ad-*
„ *verſante Scripturâ & SS. Patrum tradi-*
„ *tione prolatum.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM. &c.

Pag. 99. lin. 19. poſt hæc verba, auxiliis gratiæ, *ſic lege*

Ea quippe gratuita Prædeſtinatio eſt, quam uti perennem Eccleſiæ fidem totis viribus aſtruit Auguſtinus, partim Apoſtoli autoritate victus, partim ſingulari Dei revelatione perfuſus: quamque citra erroris periculum negari non poſſe, conſtanter aſſeruit adversùs inficetos obtrectatores, qui ſententiam hanc, aut primùm ab illo invectam, aut opinione liberam dictitabant. *In cujus quæſtionis ſolutione*, inquit ille libro de Prædeſtinatione Sanctorum capite 4. *laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia. Nec niſi ad illud potuit perveniri, ut liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus*: Quis enim te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *Quod volens etiam Martyr Cyprianus oſtendere, hoc totum ipſo titulo definivit dicens*, In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. *Ecce quare dixi ſuperiùs, hoc Apoſtolico præcipuè teſtimonio, etiam meipſum fuiſſe convictum, cum de hac re aliter ſaperem, quàm mihi Deus in hac quæſtione ſolvenda, cum ad Epiſcopum Simplicianum, ſicut dixi, ſcriberem, revelavit.* Et libro de dono Perſeverantiæ cap. 19. *Hoc ſcio, neminem contra iſtam Prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* Et capite 20. libri ejuſdem: *Hæc eſt Prædeſtinatio manifeſta & certa Sanctorum, quam poſtea diligentiùs & operoſiùs, cum jam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas compulit*: nempè quòd unum ex fidei Capitibus eſſet, ſine quo vera Chriſti gratia ſtare non poteſt. Ac tandem capite 23. *Ille itaque dicat, Eccleſiam aliquando in fide ſua, non habuiſſe veritatem hujus Prædeſtinationis & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos, curâ diligentiore defenditur: ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet, aliquando eam non oraſſe, vel non veraciter oraſſe, ſive ut crederent infideles, ſive ut perſeverarent fideles. Quæ bona ſi ſemper oravit, ſemper ea Dei dona eſſe utique credidit, nec ab illo eſſe præcognita, unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova ſolicitudine nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.*

Hæc obiter notare libuit, ne quis Molinæ negotium faceſſitum exiſtimet, ob levioris momenti quæſtionem, quæ citra fidei periculum inoffenſo pede pro arbitrio percurri poſſet; neve quis falsò putet, Auguſtinianæ doctrinæ vindices, nimis in ea intentan-

intentanda lite obesæ naris exstitisse, nec satis ea inter sese Theologiæ dogmata feliciter discreviſſe.

Si quis tamen Bellarmini mentem scire avet, de altera quoque Prædestinatione gratuita, quæ videlicet electionem ad gloriam ipsi etiam absolutæ electioni ad gratiam præviam facit (quæ communis Thomistarum opinio est) in eam illum pedibus manibusque veniſſe, inveniet libro 2. supra laudato cap. 14. ubi nonnullis Scripturarum ac Patrum locis facit satis.

Bellarminum excipit Franciscus Cardinalis Toletus, alterum ejusdem Societatis lumen clariſſimum. Nullas quidem ille in Auxiliorum controversia partes habuit, utpote qui rebus humanis exemtus est antequàm Romæ lis moveretur: at ea in editis pridem operibus dogmata statuit, queis gratiam congruam & scientiam circunstantiarum exploratricem suffodit: atque id quidem adeò dilucidè, ut Molinam, jam ante typis editam Concordiam sua in scholis paradoxa mussitantem exerto digito demonstrasse, atque ex instituto confutasse, certò colligas. De Matthæi quippe vocatione sermonem habens, in suis ad Evangelium Lucæ Commentariis, cap. 5. annotatione 54. primo intuitu, S. Chrysostomi sententiam, quâ Molinianum Systema videtur astrui obviam sibi facit: *Cujus rei gratia, non cum Petro simul ac Joanne & aliis discipulis Matthæum vocavit? Certè quemadmodum tunc ad illos accessit vocavitque, quando obtemperaturos sciebat; sic Matthæum quoque nunc vocavit, quando miraculorum famâ perdomitum minimè reluctaturum videbat. Qua de causâ etiam Paulum post Resurrectionem piscatus est. Nam qui corda scrutatur & occulta mentium perspicit, is etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat non ignoravit. Propterea non continuò quando durior ferit, sed post mille miracula & insignem atque pervagatam de se famam, aptiorem jam ad obtemperandum vocavit.* Cui Chrysostomi sententiæ, objectionis loco positæ subinde satisfaciens Purpuratus Theologus, adversam Molinæ viam init; gratiamque congruam, & scientiam propitiarum circunstantiarum exploratricem, totis lacertis oppugnat.

Hom. 31. in Matt.

Huic doctrinæ, inquit, *adversari videtur, quod ipsemet Paulus de sua vocatione ad Galatas* 1. *scripsit*: Cum placuit ei qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret in me Filium suum, & Evangelisarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini. *Non dicit Apostolus, quando novit me obediturum, sed quando illi placuit, qui per gratiam me vocavit. Non exspectat Deus semper arbitrium nostrum; quia suâ gratiâ ipsum excitat, ipsique dat velle & perficere, qui etiam rebelles convertit & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit quando illi placuit: & si ante vocasset, utique respondisset & obtemperasset. Non ergo ratio aut tempus vocationis hujus & similium referri debet in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic visum est, sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysostomus sic, tunc vocasse discipulos quando sciebat illos obtemperaturos, nimirum per gratiam suam. Sciebat enim quando ipse operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit. Nisi sic intelligas, doctrinam non probo. Nec solùm doctrinæ huic Chrysostomi in hac parte non consentio, sed contrariam omninò veram existimo; nimirum tunc vocasse discipulos multos, & præsertim Matthæum, quando plus erant impediti, magisque distinebantur, ne venirent. Sic Petrum & Andream vocavit, quando retia mittebant in mare, nec exspectavit, ut jam essent missa, nec prævenit antequam mitterentur, sed dum mittebant: hoc enim majus adferebat impedimentum. Sic Paulum vocavit, quando in via erat, nec prævenit profectionem ejus, priusquam acciperet litteras à summo Sacerdote; & vocavit dum opus fervebat, minusque ad obsequendum paratus erat. Sic nunc Matthæum vocat, non antequam sederet, sed dum ad ipsum Telonium sedebat, & ipsi operi incumbebat. In hoc enim virtus vocantis magis clarescit, & magnitudo gratiæ revelatur; minusque homo de sua virtute meritisve potest præsumere. Totus est Augustinus in hac doctrina, quam in hac parte probo.* Ita Cardinalis Toletus.

Domesticis Molinæ &c.

AD CAP. 15.

Pag. 102. *lin.* 23. *post hæc verba*, consulere liceat.

Mihi tamen ingentis piaculi loco fuerit, si quod idem ille Franciscus Macedo memoriæ prodidit, silentio prætermiserim: *Cum Henrico*, scilicet, *omnes penè alios Hispaniæ Doctores idem sensisse.* Qua vel unâ gravissimi viri, iis temporibus & locis proximi, qui magnam in Societate vitæ partem exegit, adnotatione, Molinæ causa attonsa fractaque est: nisi quis fortè putet, universos penè Doctores, quasi in noctem datos, in erroris patrocinium conspirasse.

Coll. 10. pag. 368.

Verùm &c.

Pag. 106. *lin.* 20. *post hæc verba*, in Apologia Thomistarum art. 6. *adde:*

ab Antonino Reginaldo in Thesibus Apologeticis

logeticis, Theſi 7. à Joanne Cazalas in Candore Lilii vindicato §. 160. à Seraphino Piccinardo tom. 3. de approbatione doctrinæ S. Thomæ lib. 2. quæſt. 2. art. 2. nuper Illuſtriſſimus Remenſium Archiepiſcopus &c.

Pag. 107. *lin.* 13. *à fine poſt hæc verba*, & animo aliena.

Certè ſi qua Gaſpari Scioppio fides eſt, in Conſultatione quam anno 1634. ſub ementito nomine F. Juniperi de Ancona vulgavit, non eſt cur eam Marianæ lucubrationem vertamus in dubium; cujus exemplar cum Franciſco Cardinali Barberino, Nicolao Riccardio S. P. A. Magiſtro, nec non D. Conrio Thuamenſi Archiepiſcopo communicatum ſcribit; remque totam Urbano VIII. perſpectam obſervat. At ſcriptori minùs Societati propitio integram hoc in capite fidem dare, religio mihi eſt. Tantum quiſque ejus ſuffragio tribuat, quantum tribuendum judicaverit.

Quod alterum de morte & immortalitate &c

Pag. 109. *lin.* 20. *à fine*, *poſt hæc verba*, à fidei regula ſancta.

Sed & adeo libri hujus author φιλόνειχος eſt, ejuſque animo penitùs inſedit immoderatum ſtudium trahendi in contrarium, ut Auguſtinum novitatis reum egerit; quaſi qui in exponendâ Prædeſtinatione, viam cæteris Eccleſiæ Patribus imperviam aperuerit. *Auguſtinus*, inquit hoc ipſo in loco quem antè notavimus, *primus, quod ſciam, inter antiquos, in veteri ſpatio novam ſemitam excogitavit: nova impreſſit veſtigia. Videbat Paulum docentem*, Non ex operibus &c. *His victus argumentis novam Prædeſtinationis formam invexit poſt lapſum hominis, non fluxam quoad eventum & circunſtantiam; quippe non ex libero arbitrio, ſed ex gratia certam prorsùs & ratam, atque ex vocantis voluntate.* Quo telo, rubigine jam exeſo, à Semipelagianis appetitum fuiſſe D. Auguſtinum, ex literis S. Proſperi & Hilarii notum eſt. Quippe qui ſanctiſſimum gratiæ vindicem inductæ novitatis incuſabant; veteres tractatores aliter Apoſtolum interpretatos dictitabant; ipſiuſque Prædeſtinationis certitudinem non ex vocantis, ſed ex vocati propoſito repetebant. Itane verò ſcripturiiſſe Marianam exiſtimabimus; Marianam, inquam, *veritatis amatorem, ac pietatis cultorem optimum?* Abſit. Quidni potiùs interpolatum, aut affictum ex integro dicamus opus illud, quo Semipelagianiſmus, non obſcurè, ſed palàm ac detractâ larvâ ab autore inducitur? Id ni dicamus, Marianam profeſſum Semipelagianum habebimus. At de illo jam ſatis.

Pag. 111. *lin.* 33. *poſt hæc verba*, primi parentis &c. *ſic lege:*

Sed & annis ferè triginta antequàm Concordiam ſuam typis ederet Ludovicus Molina, atque hac ipſa ætate qua ſuum ipſe ſyſtema cœpit mente concoquere, anno nimirum 1560. in eodem illo Romano Collegio defenſæ fuerant Aſſertiones Theologicæ ex 1. parte Divi Thomæ, quas inter quatuor iſtæ habebantur, Auguſtinianis ac Thomiſticis dogmatibus conſentaneæ.

49. Prædeſtinati dicuntur ii &c.

Pag. 112. *lin.* 33. *poſt hæc verba*, omnes ferè remiſerunt, *ſic lege.* AD CAP. 15.

Quandoquidem autem ad antiqui ora Ludovico Molina tempora divertit oratio, præterire hoc loco nefas arbitror Alphonſum Salmeronem, è primis S. Ignatii ſociis unum: qui licet obliquas oppugnandi Calviniſmi vias in Concilio Tridentino iniiſſet primùm, paternis attamen monitis abductus, & frequentibus venerabilium Patrum Collationibus doctior factus, ea demùm in editis lucubrationibus fundamenta poſuit, quæ uti Calvinianam hæreſim rectà petunt, ita & oriturum Moliniſmum in anteceſſum occuparunt. De præſcientia etenim ſermonem habens ex inſtituto, diſput. 1. præliminari in Epiſtolam ad Hebræos, duplicem duntaxat in Deo ſcientiam agnoſcit; unam nimirum ſimplicis intelligentiæ, ut ſchola vocat, quam & is idealem interdum appellat; alteram viſionis, mediâ quacumque procul ablegatâ. Quin & ea ipſa futura libera, conditione ſuſpenſa, queis internoſcendis Scientiam-mediam Deo neceſſariam commentus eſt Ludovicus Molina, à Deo ſciri decernit ſcientiâ viſionis, ſi poſitâ demum conditione reipſa contingant; aut ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, ſi ſemotâ conditione non accidant: ut omnis planè Scientiæ-mediæ locus vacet. *Supra lib. 1. cap. 1.*

Scientia ſimplicis intelligentiæ ad primam idealem reducitur, qua non tantùm videt creabilia cuncta, quæ condidit; ſed etiam poſſibilia omnia, quæ condere potuißet, ſi voluiſſet, non autem condidit. Quando ergo B. Thomas docet, futurum contingens, ut contingens eſt, nulli ſubjacere cognitioni, aut Angeli aut etiam Dei ipſius, intelligendus eſt loqui de ſcientia illa viſionis, qua ab æterno res omnes ut in ſe ſunt prævidit: nam tali cognitione Deus non attingit futurum contingens, nec in

cauſis

cauſis quas non habet, quia contingens eſt, nec in ſeipſis, quia nullo tempore ſunt ſibi futura, ſed ſibi præſentia. Quod ſi aliquando Scripturæ dicant, eum prænoſſe quæ nec certas cauſas habent, nec in ſeipſis ſunt futura, ut ibi, Rap-
„tus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus,
„aut ne fictio deciperet animam illius: *&*
„*cum dixit David,* Si tradent me viri Cei-
„læ, & viros qui ſunt mecum in manus
„Saül? Dixit ei Dominus: Tradent: *ac rur-*
„*sùs Matthæi* 11. Si in Tyro & Sidone fa-
„ctæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in
„vobis, olim in cilicio & cinere pœniten-
„tiam egiſſent: *& cum ad Apoſtolum dixit:*
„An putas quia non poſſum rogare Patrem
„meum, & exhibebit mihi modò pluſquam
„duodecim legiones Angelorum? *Videtur ergo Deus futurum contingens ſub ratione futuri vidiſſe in libero arbitrio. Dicendum eſt, hæc & quæ ſunt hujuſmodi, in illa ſcientia viſionis non vidiſſe; quia viſibile non eſt in ſeipſo, quod nec in ſe nec in cauſa eſt, nec fuit, nec futurum eſt; ſed alia ſcientiâ, nimirum ideali, non qua res vidit ut conderet, ſed ut poſſibiles à ſe condi, in quibus habebant certas cauſas, ut aliquo tempore exiſterent. Nec enim tantùm Deus vidit ea, quæ nunc ſunt omnia, ſed etiam omnia, quæ aliter evenire potuiſſent, & quæ ex illis conſequerentur..... Quæ verò aſſerit ſe videre ut futura, quæ tamen reipſa nunquam exſtiterunt in rerum naturâ, ut in prædictis exemplis manifeſtum eſt relictum, non videt ſcientiâ viſionis, ſed tantùm ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, quæ pars eſt viſionis idealis.*

Quin & ea ſubjungit vir eruditus, queis facilè ſuſpicer, eum jam jam Molinam, cæteroſque Angelicæ doctrinæ Oſores inaudiviſſe, novi ſyſtematis ſemina privatis in ſcholis ſubtimidè jacientes, eoſdemque de induſtria confutaſſe; ne conceptos ignes latè diffunderent. *Hæc latiùs,* inquit, *proſecutus ſum, quia video quoſdam implicari, nec facilè modum aſſequi, quomodo Deus viderit futura contingentia, quæ nunquam futura ſunt: & propterea putant doctrinam B. Thomæ falſam, quòd dixerit futura contingentia ut futura ſunt, à nulla cognitione vel hominis, vel Angeli, vel Dei ipſius attingi: quia eſt ſermo de ſcientia viſionis, non de ſcientia ideali.*

Nil minùs eliquatè alterum Molinianæ Concordiæ ſyſtema petit Alphonſus Salmero diſput. 21. in cap. 8. Epiſtolæ ad Romanos; ubi Prædeſtinationem omninò gratuitam multis adſtruit, omnemque præſcientiam boni uſus gratiæ exploratricem eliminat, tanquam Deo prorsùs indignam, & ſacri myſterii dignitatem & vim omninò concutientem. Ut hinc noveris, quàm meritò in Inſtitutione Paſtorali obſervaverit Eruditiſſimus Remenſium Archiepiſcopus; Societatem eo dogmate, veluti primo nutricis lacte potatam eſſe eodemque à primis Inſtituti Magiſtris informatam, priuſquàm nova Molinæ commenta pleniùs ebiberet. *Quidam,* inquit Salmero peregrinam ſententiam exponens, *ad vitandam Pelagianam invidiam aſſerunt, Deum velle ex ſe, dare gratiam omnibus, unde & illam cunctis ex ſe offert: & quia vidit, qui eam recepturi & ea benè uſuri eſſent, ideò iſtis ſtatuit conferre gratiam & vitam æternam; cæteris autem non ita. Nec ex hoc ſequitur, quòd gratia detur ex meritis, quaſi Deus prævidens opera acceptaverit illa, tanquam digna gratiâ, ſed accipiuntur ut cauſa ſine qua non. Exempli gratia, Rex arma & coronam donat ex liberalitate ſua; ex prudentia tamen ea non vult dare, niſi illis quos novit armis eſſe benè uſuros.* Molinianos audire hîc mihi videor, idem omninò ſtatuentes, atque illa ipſa exempla ad inſtitutum uſurpantes. Quibus è veſtigio os ita verberat Salmero: *Sed & hoc falſum eſt, & multis rationibus perimitur. Quia etiam juxta hunc loquendi modum, gratia non eſſet Prædeſtinationis effectus, ſed potiùs cauſa Non enim prædeſtinatur quis, niſi gratia benè uſurus prævideatur: at hoc ſequitur gratiæ collationem. Nec enim videri poteſt bonus uſus gratiæ futurus, ſi in poteſtate ejus fuerit male uti, niſi ponamus ante Dei conſpectum, quod verè acceperit gratiam, & quod perſeveranter ea benè uſurus fuerit: quoniam futurum contingens, ſecundùm D. Thomam, à Deo non prævidetur ut futurum, ſed ut præſens. Si ergo prædeſtinatio requirit boni uſus gratiæ prævisionem, & hæc divina prævisio boni uſus gratiæ requirit collationem gratiæ; apertè infertur quòd collatio gratiæ, non eſſet effectus prædeſtinationis: quod eſt perplexum, & contra vim ipſius vocis, prædeſtinatio. Nam ſi in Dei Præſcientiâ collatio gratiæ præcedit bonum uſum ejus, quomodo ergo quod eſt poſterius, poteſt eſſe cauſa aut ratio prioris?* Ubi verò momentis benè multis inſtitutum illud exſecutus eſt Salmero, ita demùm colligit: *Infertur ergo prædeſtinationis certitudinem, non ab operum bonorum præſcientiâ, ſed à benignâ Dei providentiâ proficiſci. Nec ideò quia quis præſcitur ſalvandus, ſed contrà, quia prædeſtinatur ſalvandus, ideò præſcit eum ſalvandum ſub ratione futuri, & non ſicut in contingentibus. Ideo in prædeſtinatione continetur certitudo ſalutis; & in ea, certitudo conferendæ gratiæ, & bonus uſus gratiæ, & meritorum & perſeverantiæ in finem. Repugnat enim divinæ ſapientiæ, certò aliquid in finem ordinare, &*

non

non ad certa, & promoventia in finem media. Quo Salmeronis judicio Molinisмus in anteceſſum attonſus eſt.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Molinam, ejuſque recens inducta Paradoxa, pari zelo exagitant Galli è Societate Profeſſores, uti antiqua Patrum Traditioni, maximè verò D. Auguſtino injuria.

HIſpanis & Italis Molinianæ Doctrinæ Oppugnatoribus accinunt Galli: atque ii maximè, quos in Patrum Lectione verſatiſſimos fuiſſe notum eſt. Prodit primus in ordine Claudius Typhanius, anno 1593. Societatem ingreſſus; quo tempore à prelo recens Molinæ Concordia vulgabatur: Vir morum ſanctimoniâ & literarum cultu ſpectatiſſimus: Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſor emeritus: Academiæ Muſſipontanæ Cancellarius: Collegiorum Remenſis, Muſſipontani, Metenſis, Flexienſis Rector; ac demum Provinciæ Campaniæ Moderator: *Mitiſſimi ingenii vir*, ut loquitur Alegambe in Bibliotheca, *& ſedatis admodùm moribus.* Is libro De Ordine, deque Priori & Poſteriori, quem quo tempore ſummam in Campania apud ſuos Præfecturam obibat, typis edidit, Scientiam Mediam, Molinianæ doctrinæ Caput, unde cætera penè omnia derivantur, fuſiùs exagitat, tamquam Scripturis ac Patribus repugnantem, ac velut abortivum noviſſimæ fœturæ partum exſufflat; ejuſque parentem multo ſale defricat. Pauca hæc ex erudita lucubratione defloramus.

Capite 24. diſertè profitetur, *Nullum alium Theologum ante Molinam, ne per ſomnium quidem, de Scientia Media cogitaſſe; nec illam ullibi vel ſuppoſuiße vel adhibuiße, ad ullam ſive Scripturæ Sacræ, ſive Theologiæ Scholaſticæ difficultatem expediendam.* Tum ſub initium Capitis ſequentis, diſtinctè pronunciat, *Sententiam negantem Scientiam Mediam, & antiquitate & defenſorum numero ac authoritate longè eſſe meliorem.* Subinde Capite 26. poſt relata Molinæ verba, queis triplicem Scientiam in Deo diſtinguendam decernit, niſi periculoſè in concilianda libertate Arbitrii cum Divina præſcientiâ hallucinari velimus, hoc illis nigrum theta præfigit: *In qua Molinæ doctrinâ, multa occurrunt improbanda. Ac primùm id periculi, in concilianda ſine ejus diſtinctione noſtra libertate cùm præſcientia divina, quo minùs cautos minuſque intelligentes terrere ſe putat, non ego ſolus non video, ſed neque ulli ante eum Doctores Scholaſtici aut Sancti Patres animadverterunt. Quaſi verò Dei cum cauſis ſive liberis ſive neceſſariis agendi modus ex noſtra mente noſtriſque cogitandi & diſtinguendi modis pendeat! Nam voluntas creata in eo ſtatu, in quo Scientiâ Mediâ videri dicitur, ideo eſt libera, quia in eo, ſi vellet, re ipſa poſſet facere oppoſitum ejus, quod pro innata ſua libertate factura dicitur; cùm in in eo etiam ſtatu, in quo per ſcientiam viſionis videtur, pro ſua eadem libertate poſſit etiam, ſi velit, non facere quod facit, vel oppoſitum facere: quidni ſine additâ vel cogitatâ ulla Scientiâ Media, aut alia conditione poſitâ, verè & perfectè fuerit libera?* Ac tandem capite 41. Num. 3. Molinæ audaciam, quâ ſe cæteris Theologis feliciùs pervidiſſe, atque expeditiſſimum concordiæ modum excogitaſſe gloriabatur, retundit, ſtatuitque *Concordiam præſcientiæ, providentiæ, & concurſus divini cum noſtra libertate, ab antiquis & præſtantiſſimis Theologis, longè meliùs ſolidiuſque declarari, quàm ab ullis recentioribus.*

Accedit Joannes Phelippæus, altero poſt Typhanium anno Societatem profeſſus: vir, ut inquit Philippus Alegambe in Bibliotheca, *reconditiore doctrina, in Sanctorum Patrum & Conciliorum lectione admodùm verſatus; Rothomagenſis Collegii Rector.* Annum ille vigeſimum quintum duntaxat agebat, dum coram Clemente VIII. Molinæ cauſa tractabatur: atque idcirco junior erat quàm ut Principibus permixtus Achivis, intimis Societatis conſiliis admoveretur, qui de nova tentata lite ſententiam diceret, ſuoſque ab inſtituto dehortaretur. Verùm annis ac literis auctus, quid de novo invento ſentiret, in ſuis ad Oſeam Commentariis adeò luculenter expreſſit, ut nemini dubium eſſe poſſit, Molinam abSocietatis ſcholis eliminandum, ſi penes Phelippæum judicium ſtetiſſet. Liquet id maximè ex ejus ad Caput ſecundum Commentatione, ad verſus ſcilicet 14. 15. 16. & 17. ubi gratuitam Prædeſtinationem, & ingenitam divinæ gratiæ efficaciam multis adſtruit argumentis: tum varios exponendæ efficaciæ modos exponit. Quo officio feliciter exſolutus, ita in Scientiam Mediam & excogitatum à Ludovico Molina exponendæ efficaciæ modum ſtylum acuit, §. 11. *Non incluſi*, inquit, *in modis illis gratiæ efficacis aut ſtatuendæ aut declarandæ, ſcientiam conditionatam, quam poſt Molinam Theologi benè multi incluſerunt. Fulgentius eadem proximè ratione illam rejeciſſet, qua libro De veritate Prædeſtinationis*

deſtinationis & gratiæ, agens contra illos, qui aſſerebant, Deum ideò Parvulis quidem aliis, ante rationis uſum morituris, de Baptiſmo providiſſe, quod prævidiſſet, ſi viverent, futuros bonos: aliis non providiſſe, quòd præſciiſſet, ſi vixiſſent, malè victuros, quod eſt futurum conditionatum, Capite 7. ita ſcribit: Secundùm rectam itaque Fidem, ac „perſpicuam veritatem, quod attinet ad „parvulum qui ſine beneficio ſecundæ „Nativitatis huic vitæ ſubtrahitur; ſi„cut præſciiſſe fatendum eſt Dominum „parvuli futuram mortem, quæ verè tu„tura erat; ſic abſurdè dicitur, Domi„num præſciiſſe futura peccata, quæ fu„tura non erant. Neque enim Domi„nus rerum omnium conditor facienda „præſciiſſet, quæ facienda non eſſent, &c. *Quod probare pergit ex cognitione rerum, quas Deus præſentes habet in æternitate, ſeu futuræ nobis illa ſint, ſeu nobis fuerint præteritæ, Deo uni præſentes. Cùm in ea æternitate, quæ facienda aut futura non ſunt, nullam habeant præſentiam; qualia ſunt futura conditionata, verè non futura..... Quin etiam Auguſtinus libro de Prædeſtinatione Sanctorum ſcripſit, ut Epiſtolis duabus Proſperi & Hilarii faceret ſatis. In illa autem quæ Proſperi eſt, de reliquiis Pelagianæ Hæreſeos, refertur quorumdam Maſſilienſium de Infantibus opinio eadem, quam Fulgentius confutabat:* Tales aiunt perdi, taleſque „ſalvari, quales futuros illos in annis majo„ribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit. *Quod pariter refellit Proſper eadem uſus ratione, qua Fulgentius: quaſi futura hujuſmodi conditionata nulla ſint, nec proinde ſcientia ſeu præſcientia „conditionata:* Sed in tantùm quibuſcùm„que commentitiis meritis electionem Dei „ſubjiciunt, ut quia præterita non ex„ſtant, futura quæ non ſunt, futura con„fingant, novoque apud illos abſurdita„tis genere, & non agenda præſcita ſint, „& præſcita non acta ſint. *Ac cùm Auguſtinus capite 12. & ſequentibus Libri illius de Prædeſtinatione, variis rationibus iſtam opinionem delirationis & falſi arguat; tum iſtâ quoque, quòd nulla ſit in Deo futurorum conditionatorum præſcientia: Capite* „14. Hæc eſt tota cauſa cur dictum eſt à „quocumque ſit dictum, Sapient 4. *Rap„tus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus:* „Dictum eſt enim ſecundùm pericula vi„tæ hujus, non ſecundùm præſcientiam „Dei, qui hoc præſcivit quod futurum „erat, non quod futurum non erat: id „eſt, quòd ei mortem fuerat largiturus, „ut tentationum ſubtraheretur incerto: „non quòd peccaturus eſſet, qui manſu„rus in tentatione non eſſet. De hac quip„pe vita legitur in libro Job, ſecundùm „ſeptuaginta, *Nunquid non tentatio eſt „vita hominis ſuper terram?*

Quibus omnibus prolixè deductis, ſubjungit Phelippæus: *Quæ non affero, ut negem futura conditionata, aut ſcientiam illam Dei, quæ à recentioribus conditionata aut media appellatur, quam & adſtruxi hoc ipſo Capite 2. ad verſum 3.* ne fortè exſpoliem eam nudam: *ſed ut declarem, tres illos graviſſimos Patres, qui præ cæteris omnibus doctiſſimè & ſubtiliſſimè de gratia diſputarunt, longiſſimè abfuiſſe ab eo gratiæ efficacis ſenſu, qui per Scientiam Mediam & conditionatam, rationem reddit efficacitatis quæ eſt in gratia cum Libero Arbitrio cohærentis: cùm illam ipſam ſcientiam & futura conditionata reſpuerint.* Huc uſque vir eruditus. An Auguſtini, Proſperi, & Fulgentii mentem attigerit, nil moror hìc: mihi quidem non attigiſſe certum eſt; ſed in extremum planè abiiſſe, nimio profligandæ Scientiæ Mediæ deſiderio. Cùm enim hoc unum demonſtrandum illi eſſet, Deum futura libera, conditione ſuſpenſa, quæ nuſquam re ipſa contingent, Scientiæ Mediæ lumine noſſe non poſſe; venerandis Capitibus affingit, quòd omnem prorsùs futurorum illorum notitiam Deo eripuerint, qui tamen abſolutam duntaxat negarunt, ex qua ſola id poſſet fieri, quod Deum ex illa præſcientiâ facere, Pelagiani fabulabantur. Ii quippe à ſe ipſis turpiter diſſidentes, cùm præſcientiam illam verbo tenùs conditionatam facerent, re tamen & uſu abſolutam eſſe monſtrabant: cùm & ob eas culpas, quæ numquam eſſent futuræ, reos infantes conſtituerent; & ob eaſdem illos præſente multari pœnâ dictitarent: quaſi non & verum eſſe crimen oporteat, cui ſupplicium decernatur; & admiſſum ante, quod re ipſa plectatur. Hoc igitur unum inficiati ſunt Pelagianæ ſectæ Debellatores, locis à Phelippæo ad criſim vocatis; Deum futura hæc ita noſſe, ut illorum ad pœnas pueris infligendas rationem habeat: ſcire tamen aliter, non negarunt. Sed hæc ipſa falſi Interpretis aberratio, alienum ejus ab Scientia Media animum magis prodit; quod unum in præſentia poſtulamus.

Pergit Phelippæus. Inſtitutum efficaciſſima ratione exſequitur toto Paragrapho duodecimo, & Scientiam Mediam explicando, efficacis gratiæ myſterio inutilem probat, graviſſimiſque difficultatibus circumſeptam. *Secunda ratio,* ſubjungit,

git, *quæ probatur, ad explicandam rationem gratiæ efficacis, malè usurpari scientiam conditionatam, hæc est. Quia Deum per scientiam conditionatam videre hac in hypotesi: Si dem huic homini hanc gratiam, cooperabitur; aut, Quis sit cooperaturus isti gratiæ; idem est ac videre, an hæc gratia sit efficax: cùm aliud nihil sit efficax gratia, quàm illa cui homo cooperatur, in quocumque spectetur statu, sive absoluto, sive conditionato: & eodem modo & ordine bonus usus gratiæ conditionatus terminat scientiam conditionatam, quo bonus usus ejusdem gratiæ absolutus terminat scientiam visionis, seu absolutam: cùm neque scientia conditionata faciat illud suum objectum, sed æquè supponat ac scientia visionis. Ita ut si gratia efficax excitans adducens efficaciter cooperationem, sit prior saltem naturâ tanquam causa, prior, inquam, cooperatione & bono usu gratiæ, in statu conditionato, erit etiam prior in statu absoluto: & in conditionato, si gratia efficax adducat consensum, quocumque modo adducat, adducet similiter in absoluto. Quia quo ordine res se habent in statu conditionato, eodem se habent in absoluto, & vice versa: idque tum quoad objecta, tum quoad scientias. Ergo efficacia illa, quæ inest gratiæ in statu conditionato, æquè explicari debet, & æquas habet difficultates, undenam petenda sit, ac in statu absoluto. Porrò notio efficaciæ hujus absoluti ab isto conditionato peti nequit; cum æqualis concursus Dei & energia gratiæ æqualis in utroque requiratur.* Quæ omnia multis exsequitur toto Paragrapho, & variis Sanctorum Patrum momentis confirmat.

Ac tandem Paragrapho decimo tertio, invicto planè argumento Molinæ somnium exagitat, in hunc modum. *Ut scientia conditionata deserviat notioni gratiæ efficacis, scilicet cognoscendo hoc futurum conditionatum, si dedero huic homini talem gratiam, cooperabitur, oportet ut futura conditionata sint priora futuris absolutis, verbi causa, cooperatione illa determinatè futura; quod tamen verum non est. Quandoquidem nulla esse possunt futura conditionata, quin intelligatur prior voluntas Dei conditionata, quæ illa poneret. Proinde Patres ante producti voluntatem conditionatam negassent, sine qua nec conditionatus ullus homo, ut sic loquar, nec opera ejus ulla conditionata concipi potuissent, eadem ratione qua negabant futura* „*conditionata.* Futuræ enim ætatis, *ait* „ *Fulgentius lib.* 1. *De veritate Prædestinatio-*„*nis cap.* 8. non absurdè præscita dicun-„tur opera, vel bona, vel mala: absurdè „autem præscientia cujusquàm humani „operis in ætate asseritur, in qua futurus „homo ipse non esse monstratur. Sicut „autem non nisi concipiendorum exordia, „ita non nisi victurorum hominum actua-„lia rectè dicimus Dominum præscisse „peccata. Illius igitur præscius operum „rectè dicitur Deus, quorum in consummatione non negatur subsecuturus effectus. *Adeò ut qui negant voluntatem conditionatam Dei, debeant etiam negare futura conditionata, quæ sine illa esse non possunt: & proinde negare scientiam conditionatam, cujus illa sunt objecta. Atqui voluntas conditionata Dei est posterior voluntate Dei absoluta; cùm absoluta voluntas sit in actu, & illa ipsa quæ vult; nec ulla fuerit actu in Deo voluntas, quæ actu statuerit concurrere ad productionem futurorum, positis his vel illis conditionibus quæ numquam ponentur. Quod autem est actu in Deo, prius est illo quod esset, si hæc aut illa poneretur conditio. Unde & dicitur, voluntatem conditionatam Dei, quæ esset de productione illius futuri, cognosci à Deo tamquam in medio, in sua voluntate absoluta, quæ proinde prior est voluntate conditionata. Unde sic colligo: Nec futura conditionata nec eorum scientia inservire potest intelligendæ gratiæ efficaci, quatenus hæc pertinet ad futura absoluta, si & hæc priora sint conditionatis. At si voluntas absoluta Dei, quæ est voluntas futurorum determinatorum, sit prior voluntate conditionata, qualiscumque tandem ea intelligatur, necesse est ut futura conditionata sequantur naturam & ordinem voluntatis conditionatæ. Nam sicut futura absoluta esse nequeunt sine prævio De concursu, à quo futura pendent; ita futura conditionata intelligi non possunt sine prævio Dei concursu & decreto conditionato de concurrendo. Cùm in omni ordine verum sit illud Prosperi, quoad gratiam & Dei concursum:* „Si ergò in sanctitate vivitur, si in virtute „proficitur, si in bonis studiis permanetur, „manifestum Dei munus est, sine quo nul-„lius boni operis fructus acquiritur. *Ita ille Responsione ad Objectionem* 14. *Vincentianam.* Huc usque Phelippæus.

In eumdem censum venit Dionysius Petavius, indulgentis naturæ miraculum: cui parem in veteri memoria, Patrumque Lectione Societas semper optabit. Hunc ingens eruditio, totiusque retroactæ antiquitatis exculta notitia, ab domesticæ scholæ placitis abduxit; nulloque negotio deprehendit, quàm longè Concellitas suos, Molinæ adstipulatores, & ratio & Patrum authoritas fugeret. Quam interpretationem do gratuita Prædestinatione, fronte præferat Augustinus, integro libro declaravit; intimos Sanctissimi Doctoris re-

ceſſus pervaſit, fibras diſpunxit; nihilque intentatum reliquit, quo Thomiſticæ Scholæ Doctrina communiri poſſet & illuſtrari.

Rem præſertim exſequitur capite 6. libri 9. Dogmatum Theologicorum Tomo 1. cui hunc titulum fecit, unde totius lucubrationis ſummam intelligas: *Demonſtratur ex Auguſtini ſententia, electionem ad gloriam, ſive Prædeſtinationem ex nullis præviſis meritis à Deo fieri, ſed ex gratuita voluntate: ad idque, octo ex ejuſdem ſcriptis argumenta petuntur.* Tum ita integræ diſputationi præludit numero 1. ut certos Canones præfigat, ad quos certa Eccleſiæ doctrina, de Gratia & Prædeſtinatione, exigi debeat: *Cum de gratia, vel electione ac Prædeſtinatione diſputandum eſt, minor haberi ſolet antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam ortam hæreſim exſtiterunt, quàm eorum qui poſteà ſunt ſecuti: Latinorum verò multò major quàm Græcorum, etiam hæreſi illa poſteriorum. Propterea quòd magis aliquando Latinam Eccleſiam, quàm Orientalem exercuit hæreſis Pelagiana, quæ iis de rebus altercandi occaſionem præbuit. Sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarint funditùs, vel minùs accuratè perſpexerint. Omnium verò Latinorum, quorum hac in controverſia majorem dixi auctoritatem eſſe, Princeps eſt conſenſu Theologorum Auguſtinus: cujus de gratia ſententiam quotquot deinde conſecuti ſunt Patres ac Doctores, tum verò Romanæ Eccleſiæ Præſules, Præſulumque Conventus, ratam & catholicam eſſe judicarunt; ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Auguſtino poſitum ac decretum eſſe conſtaret. Paucos duntaxat recentiores excipio, qui in electione potiſſimùm ad gloriam, vel Prædeſtinatione pertractanda, ultrò ſe ab Auguſtini opinione diſceſſiſſe profitentur; ut præ cæteris Ambroſius Catharinus ac nonnulli de Scholaſticis Theologis fecerunt. Alii ne tantum à ſe pondus authoritatis abjudicarent, Auguſtinum quoquo modo trahere in partem ſuam conati ſunt, & contra quàm omnis retro antiquitas inſtituit, illius interpretati ſententiam: quod inter alios aggreſſus eſt Gabriel Vaſques.*

Pergit Petavius capite ſeptimo in eadem probanda Auguſtini ſententiâ, cujus ex ſcriptis alia quatuor argumenta profert, præſertim verò ex Perſeverantiæ dono, quod ex dandæ ſalutis propoſito tribuitur: tum ex Chriſti Prædeſtinatione, quæ Prædeſtinationis hominum typus eſt & imago. Alia ex eodem momenta congerit capite octavo; queis oſtendit Prædeſtinationis decretum ex nullis electorum meritis à Deo manaſſe. Tum Capitibus 13. 14. & 15. quæ à Molinianis in oppoſitum obtrudi ſolent, cumulatiſſimè diluit: illudque imprimis ſuffugium intercludit, quo Auguſtinum nuſquam de electione gratuitâ ad æternam gloriam locutum effutiunt, ſed de ea duntaxat quæ ad gratiam eſt, contra Pelagianos eorumque reliquias contendiſſe.

Ita planè doctiſſimus Petavius, cui Societas univerſa, tanquam litterarum Dictatori, venerabunda procumbere debuiſſet, Patrum ac præſertim Auguſtini doctrinam ex ejus manibus exceptura. At contrà res accidit. Petavio ab ſuis denunciatum eſt, ni novis tibiis caneret, è Societate egrediundum. Sic enim ille Abbati Marollio, quo familiariter utebatur, ſignificavit; dum palinodiam, libro qui proximè ſequitur, decantatam exprobranti, feſtivè repoſuit: Senior ſum, quàm ut vaſa colligam: *Je ſuis trop vieux pour déménager.*

Non itaque Petavii genio tribuenda veniunt, quæ libro proximè ſequenti, totus in ſui diſſimulationem compoſitus, in Auguſtinum effudit, ſed duræ obſequendi neceſſitati; ne videlicet provectâ jam ætate vaſa colligeret. Ecquis enim illum ea ex animo ſcripſiſſe putet, quæ toto paſſim libro decimo continentur, non modò Auguſtino injuria, ſed & jactis antea fundamentis omninò contraria? *Quæ fuerit*, inquit ille cap. 1. *Auguſtini de Prædeſtinatione ſententia, huc uſque demonſtravimus. Atque eſt illa quidem hujuſmodi, ut eam tutò Catholicus quiſque poſſit amplecti, & eſt à multis hactenùs defenſa, atque etiam hodiè ſummâ cum doctrinæ ac pietatis commendatione defenditur. Sed ſi quis ita tueri illam inſtituit, ut contrariam tanquam falſam ac Scripturis adverſam, repudiandam damnadamque cenſeat, magnoperè is errat, ac plurimorum qui hanc anteponunt alteri Theologorum conſenſione refellitur.* Quin & toto ſubinde libro probandum aggreditur, Auguſtinum Apoſtoli mentem minùs feliciter attigiſſe, atque ab ea toto cœlo aberraſſe. Quæ ſanè ſi vera ſunt, conſequens profectò erit, ut quotquot deinde conſecuti ſunt Patres atque Doctores, tum verò Romanæ Eccleſiæ Præſules Præſulumque Conventus, quos Auguſtini ſententiam amplexos Petavius dixerat, loco jam à me appellato, ab Apoſtoli Doctrinâ procul abierint. In hæc illum conjecit incommoda adverſæ fortunæ metus: ac ne cogeretur componere ſarcinulas ſuas, omnia miſcuit. At injuriam viro doctiſſimo fecerit, qui veram ejus de Auguſtini ſententia mentem judiciumque ex iis venari

nari velit, quæ in ſui diſſimulationem compoſitus, neceſſitati ſerviens ſcripto dedit: ac non potiùs ex illis quæ ſenſu & opinione liber, ex animo ſcripſit.

Plura addere facile fuerit, ſi propiora huic noſtro ævo conſectari velim, & propugnatas non ita pridem, à Societatis Profeſſoribus Theologicas Theſes in indicem cogere; queis perſpicuum fieret, quàm multis nova Molinæ commenta ſtomacho fuerint. Id mihi longè perſuaſum, quod Caramuel in Theologia fundamentali ſuos monuit, probavitque exemplo. *Molinæ Sectatores licet propria dialecto utantur, interdum quoad rem ſententiam Thomiſtarum defendunt. Anno* 1654. *in Univerſitate Viennenſi P. Heruvart Societatis Jeſu, magni ingenii Doctor, defendit iterum iterumque, eſſe poſſibilem qualitatem, quæ ex eſſentiâ ſuâ phyſicâ & reali infallibilitatem illæſâ libertate induceret. Fuit diſputatio celebris &c.* At minutias illas diſpungere non vacat, cùm non Theologicam, ſed hiſtoricam duntaxat Superioris ævi tractationem habeam.

Fund. 1. *Num.* 64. *Edit.* 2.

Non poſſum tamen &c.

Pag. 114. *loco*, DECIMUM SEXTUM, *lege*,

CAPUT VIGESIMUM.

Privata Molinæ cauſa, communibus votis à Societate ſuſcipitur, adversùs FF. Prædicatorum oppugnationes.

REdimus è diverticulo, in quod nos Domeſticorum Molinæ oppugnatorum concertatio deduxerat. Iis igitur inſuper habitis, quæ in novâ meditatâ Concordiâ non paucis nec ignobilibus Societatis Theologis ſtomacho fuere? acceſſit ad Molinæ cauſam, quinto poſt opus typis editum anno, Societas ipſa; nec jam privati hominis incauta velitatio fuit, ſed ampliſſimi Ordinis ſtudioſa contentio. Hieronymi dictum, diversâ licet ocaſione pronunciatum probarunt univerſi, *De parvulâ ſubdoläque Concordiâ, magnam in mundo ortam eſſe diſcordiam.* Ita porrò res accidit.

Lib. 1. *Com. Ruffinum.*

Regentis munus in Collegio &c.

Pag. 116. *lin.* 8. *à fine poſt hæc verba*, pro fide pugnavit.

Scholaſticæ velitationi Apoſtolicum zelum addidit Alfonſus de Avendaño. A Sacris Fidei Quæſitoribus concionem habere juſſus die Dominicâ, quæ diſputationem proximè ſecuta eſt, ut ſacri Senatus adversùs hæreticos illorumque fautores Edicta promulgaret, dixit de Fide Eccleſiæ, ad illa Evangelii verba: *O mulier, magna eſt fides tua*; quam & magnam & incorruptam oſtendit. Hinc natâ occaſione, in novellarum opinionum Authores ſermonem acuit, diſſimulato quidem nomine, ſed tam apertâ ſententiarum indicaturâ, ut omnes facilè intelligerent, in quos ille hanc fabam cuderet. Die alterâ, quæ Divo Thomæ ſacra erat, Panegyricam ſanctiſſimi Doctoris Orationem habuit: cumque plurima in ejus laudem protuliſſet, oſtendit demum D. Thomam Scholaſticæ Theologiæ clavem eſſe; illoſque idcircò ſibi totique Ordini ſapientiæ clavem non immeritò arrogare, qui eum uti proprium Doctorem habeant. Quibus petulantis Adoleſcentis audaciam perſtrinxit, qui Divo Thomæ & Ordini Prædicatorum nudiùs tertiùs inſultaverat.

Ex Relat. Dalm. Ama.

Apoſtolici viri zelo commoti plus juſto Societatis Profeſſores, Regem Catholicum & Apoſtolicæ ſedis Nuntium occuparunt, quaſi is plebem è ſacro ſuggeſtu in Socios commoviſſet. Mandata, queis Matritum vadimonium obiturus advocabatur, obtinuere: eaque, ut gravior illi injuria accideret, ipſo die Paſchatis è recenti pulpito madenti ſignificarunt; nè & in craſtino quam ſpoponderat Auditoribus ultimam concionem haberet. Omnem etiam operam poſuere, ut ſuorum unus abeunti ſufficeretur, quò mutuam vicem inter concionandum rependeret, & malè mulctatum Moliniſmum erigeret. At brevi ſpes illa decoxit. Alfonſo abeunti ſuccedaneus datus eſt P. Garcias Mondragonenſis Ordinis Prædicatorum, qui jacturam multo fœnore reſarſit. Alfonſus verò Regi Catholico & Apoſtolicæ Sedis Nuntio cauſam ſuam totamque agendi rationem probavit: reque intra tres menſes feliciter confectâ, Valliſoleti poſtliminio receptus, cunctorum in ſe ora circumegit, majori quàm antehac pietatis ac religionis famâ uſus: unde non leve æmulis accuſatoribus cordolium fuit.

Inter hæc, teſtinante &c.

Pag. 119. *lin.* 24. *poſt hæc verba*, ſatis patuit.

Hac eadem, immò & iniquiori fortunâ jactatos legimus primos Pelagianæ ſectæ delatores. Zozimus ſummus Pontifex in Pelagianorum gratiam initio circumventus, graviores ad Epiſcopos Africanos Epiſtolas dedit in cauſa Pelagii, queis Erotem & Lazarum, Novatorum religioſiſſimos delatores, vocat *ſolitos criminatores, leves ſuſurrones, quorum ſcripta pendenda non ſunt*: Pelagium verò & Celeſtium

uti viros absolutæ Fidei, ac perperam infamatos tueri videtur. Tametsi postmodùm re penitiùs inspectâ pristinum exuerit animum, & Pelagianos reipsa damnarit.

Rescripsit Cardinali Quirogæ Beatissimus Pater &c.

Pag. 125. *lin.* 16. *post hæc verba*, operam addituri.

Ferè per idem tempus, inquit Fuligatus libro 3. De Vita Bellarmini capite ultimo, *cœpta Romæ agitari Controversia fuerat inter Religiosum Ordinem S. Dominici, & Societatem nostram, circa opiniones Ludovici Molinæ de Concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii. Quam sententiam etsi aliqui, eo quòd unius privati Scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate universa; tamen ii qui tum præerant, aliter deliberarunt: tum quia nostrorum Professorum pars major in Academiis eam tuebatur; tum verò quia judicabatur in primis idonea ad nostri ævi hæreses pervincendas.* Rem paulò distinctiùs exponit Mariana, S. J. capite 4. de Regimine Societatis; monetque Præpositum suum Generalem totius accusationis invidiâ onerandum non esse; cùm & is qui ei Romæ Assistebat, & qui Provinciam Hispaniæ moderabatur, ac nonnulli juniores Hispaniæ Professores, suam etiam partem peccassent. *Vir aliquis perillustris ac rerum istarum apprimè conscius, Societatis Præpositos monuit, ne se liti huic altiùs implicarent. Nihil tamen obtinuit: tum quòd ad litem urgendam proprii honoris stimulo duceretur Præpositus Generalis, ob datam Molinæ typorum veniam; minúsque rei gravitatem persentirent juniores nonnulli Hispaniæ Professores: tum quòd qui Generali Romæ Assistebat, quique Hispaiæ Provincialatum obibat (quorum artibus n omnia hæc movebantur) viri essent prorsùs illiterati, qui publicatis Societatis munia hominum ejusdem moris & indolis gratiâ obtinuerant.* Ita Mariana Latinè redditus, ex Codice gallico, in celebri Remensis Archiepiscopi Censurâ laudato. *Sequitur*

CAPUT XXII.

Pag. 148. *lin.* 6. *post hæc verba*, dubitatum est.

Hinc Clarissimus Pegna, ad Clementis VIII. alloquium admissus die 31. Maii anno 1602. ut Inquisitionis Generalis Matritensis causam ageret, optimumque Pontificem, quarumdam assertionum Compluti defensarum occasione subiratum placaret, Decretum istud in memoriam revocans, interpolationem à supremo Senatu factam agnovit; quamquam errorem nullo malo animo admissum innueret, ac supremos Quæsitores veniâ dignos significaret. *Ideò autem*, inquiebat, *in hacce Auxiliorum controversia, ita blandè se gesserant, quia Sedes Apostolica, erga quam singulari veneratione ducebantur, Causam illam ad se se jam pridem advocaverat: postea verò licentiam dederat, ut eo de argumento rursùs in scholis ageretur: quamquam Sanctitatis suæ Mandata, sinistrâ, sed interim inculpatâ interpretatione, excepta fuissent. Cæterum eos in posterum majori sollicitudine acturos, tum agnitâ Sanctitatis suæ voluntate, tum perspectis periculis inde secutis. Nec dubitandum omninò, quin eam omnem sollicitudinem & curam Inquisitores adhibituri sint, quæ damnis resarciendis abundè sufficiat.* *Lib. 2. cap. ult.*

Ut ut est &c.

Eadem pag. 148. *lin.* 19. *sic lege.*

Ea enim arte Jesuitas tunc maximè usos observat Franciscus Pegna. Libros suos sacris Fidei Quæsitoribus consecrabant, ut claritatem illis circumfunderent. Iisdem à Confessionibus esse ambiebant, ut incautam plebem speciosis titulis alerent. At non iis se capi &c. *Ex Relatione 1602 die 10. Junii.*

ADDENDA
IN LIBRO SECUNDO
HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS.

AD CAP. PRIMUM. *Pag.* 160. *lin.* 32. *post hæc verba*, tacitè significant; *Adde*:

& expunctâ Thomisticâ, Molinianam sententiam insertam esse; quam eo maximè titulo tuendam suscepisse Societatis Præpositos, monet Fuligatus ipse lib. 3. cap. ultimo, quòd idonea in primis censeretur, *ad hujus ævi hæreses pervincendas.*

Quis eam interpolationem attentarit, pronunciare hìc certò nolim. Non erit tamen

men conjector imprudens, qui eam à Gregorio de Valentia tentatam ſuſpicabitur. Ingolſtadii enim publicum ea ætate Theologiæ Profeſſorem agebat : utque Molinianæ Doctrinæ patrocinium publicis Theſibus ſuſcèperat non ita pridem, ita eandem qua poterat arte atque induſtriâ promovere ſatagebat.

Prodierunt &c.

AD CAP. 3. *Pag.* 178. *lin.* 9. *à fine poſt hæc verba,* præconceptus timor.

Proſper in ſua ad ſanctiſſimum gratiæ Vindicem Epiſtola teſtatum reliquit : *Eò*
Num. 3. *poſtremò pervicacia tota deſcendit, ut fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſſe definiant : ac ſic, etiamſi vera ſit, non promendam : quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeunt, conticeantur.*

In octavo &c.

Pag. 180. *lin.* 14. *à fine poſt hæc verba,* jure tueri liceret.

Has ipſas compoſitionis ac pacis conditiones, ſibi alia tamen in causâ à Pelagianis oblatas, ſcribit Auguſtinus lib. 2. de Peccato Originali cap. 23. *Volentes hæreſeos aſtutè invidiam declinare, aſſerunt iſtam præter fidei periculum eſſe quæſtionem : ut videlicet, ſi in ea fuerint exorbitaſſe convicti, non criminaliter, ſed quaſi civiliter erraſſe videantur..... Perſpicitis id eum egiſſe hac prælocutione præmiſſâ, ut ſi quid in illo apparuerit erroris, non in fide, ſed in quæſtionibus quæ ſunt præter fidem, videretur erraſſe : ubi etſi corrigendus eſt error, non tamen tanquam hæreſis corrigatur ; & qui correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen tanquam hæreticus judicetur.*

Reſpondit &c.

AD CAP. 4. *Pag.* 183. *lin.* 10. *poſt hæc verba,* amotus fuerit.

Vanæ huic ac futili de judicibus expoſtulationi id unum reponere ſatis fuerit, quod aliàs Auguſtinus non abſimili prorsùs occaſione reponebat : *Si tales judices, quales definivit Saluſtius quæreretis, ſanctis Epiſcopis, qui de hac re, ab odio veſtri, vel amicitiâ, vel irâ, vel miſericordiâ pro vobis, vel contra vos vacuum pectus habuerunt, quando de hac re veras tranquillaſque ſententias protulerunt, utique cederetis. Quos nùnc vobis parum eſt judices nolle, niſi etiam reos facere inſuper audeatis.* Lib. 3. contra Julian. cap. 1.

Addunt viri &c.

Pag. 186. *lin.* 14. *poſt hæc verba*, propè diem deferenda, *ſic lege :* AD CAP. 4.

Utque ante annos aliquot non ita unctum caput extulerant, ex Hiſpanicarum Academiarum Conſultatione, à quibus Moliniſmus Pelagianiſmi notatus erat, Germanicas obſcuri nominis Academias in auxilium invocarunt, quæ edito ſcripto calculos adderent : ut hac arte committerentur variarum nationum Academiæ, & Jove in Troiam pugnante, pro Troia ſtaret Apollo. Academias igitur Ingolſtadienſem, Græcenſem, Dilinganam, Wirceburgenſem, Moguntinam, Trevirenſem, Viennenſem, ac etiam Muſſipontanam occuparunt, quæ tranſmiſſam lucubrationem editis ſuffragiis comprobarent. Academiaſne dixerim, an veriùs Societatis ipſius publicas ſcholas ; quibus ſcilicet præſunt, ubi Cathedras moderantur, Theologicos gradus diſpenſant, omnia pro nutu & imperio agunt ? Id ſaltem exploratum nobis, quod fuſiùs libro 4. cap. 18. exſequemur, Theologorum ſcilicet, qui iis ſcholarum judiciis ſubſcripſere, partem quadruplo majorem Jeſuitas fuiſſe ; qui diſſimulatâ in ſyngraphis Religiosâ Profeſſione, ſub honeſto Academiarum titulo latitantes, domeſticæ cauſæ judicium affectabant. *Lib.* 1. *cap.* 23.

Hanc tamen cautionem ſuffragiis ſuis addiderant qualeſcumque illæ Academiæ, ut ſicut &c. *lin.* 25.

Pag. 187. *lin.* 13. *poſt hæc verba,* Theologi ſubſcripſiſſent. AD CAP. 4.

Quorum etiam pars maxima, utpotè Societatem profeſſa, ferendi hac occaſione judicii jure deciderat.

Hoc ergo &c.

Eadem pag. 187. *lin.* 21. *poſt hæc verba,* ratio eſt habita.

Nec haberi verò poteſt, ſi qua fides : cùm totum, aut certè maximâ ex parte, penes Jeſuitarum quorum res agebatur, ſuffragationem ſteterit. Hos quippe ſi demas, tot fortè ſcholæ Thomiſticæ minùs propitios cenſores invenies, quot *Thebarum portas, & divitis oſtia Nili.* Sed de his pleniùs libro 4. cap. 18.

Cæterùm &c.

Pag. 219. *lin.* 22. *à fine poſt hæc verba,* novoque diſcrimini Eccleſia committeretur. AD CAP. 9.

Sic ſuam illi cauſam agebant, porrecto Libello ſupplici, quem nos hìc Latinis auribus damus.

BEATISSIME PATER,

Ex Italico Latinè redditur.

„ Significavit nobis Cardinalis Bellarmi-
„ nus inſtantes Hiſpaniæ preces, Sanctitati
„ Veſtræ nuper oblatas pro maturandâ atque
„ vulgandâ Molinæ Cenſurâ: quòd magna
„ ex eo libro incommoda ac diſſidia in dies
„ acciderent, non ſine ſanæ doctrinæ peri-
„ culo. Verùm cùm author, vir utique Ca-
„ tholicus, ac huic S. Sedi in primis obe-
„ diens, audiri per ſeſe poſtularit; ut vel
„ objecta diluere, vel mentem, ubi opus eſ-
„ ſet, aperiret: nec tamen ullus è Societate
„ latas Cenſuras obtinuerit, tametſi non ſe-
„ mel ab Cardinali felicis memoriæ Ludo-
„ vico Madrucio per Generalem noſtrum
„ poſtulatas: de Sanctitatis Veſtræ benigni-
„ tate ſperare licet, ut pro more in ſcrip-
„ tores Catholicos atque in vivis degen-
„ tes ſervari ſolito, ſi quid fortè emen-
„ dandum occurreret, id ab ipſo authore
„ emendari permittat. Interea ut certò norit
„ Sanctitas Veſtra, nolle nos de induſtriâ
„ moras nectere, uti nonnulli inſuſurrant;
„ ſincerâ & integrâ fide proponemus, quid
„ facto videretur opus, ut res brevì confici
„ poſſet.

„ Quocirca in memoriam revocandum
„ Sanctitati Veſtræ, RR. PP. Dominica-
„ nos ratos ſe plauſum faciliùs aſſecuturos,
„ ſi Controverſiæ caput, quo eorum Theo-
„ logi benè multi cum noſtris committun-
„ tur, declinarent, eò perpetuò ſe contu-
„ liſſe, ut dicerent, nihil ſibi cum nobis eſſe,
„ ſed cum unico Ludovico Molinâ. Qua de
„ re Sanctitas Veſtra certior facta eſt, uti eis
„ Cardinalis Madrucius ſignificavit; ac de-
„ mùm ex mutuâ Collatione, Sanctitatis
„ Veſtræ juſſu habitâ, & ſcriptis ultrò ci-
„ troque datis, in rem indubitatam abiit.
„ Jam verò cùm paſſim in Hiſpaniâ, Polo-
„ niâ, aliiſque ultra montes Regionibus evul-
„ garint, Societatis doctrinam in uno Moli-
„ na damnatam eſſe, id in præſentia adni-
„ tuntur, ut vel minimo ſaltem titulo, le-
„ vique Cenſurâ in Molinam ferenda, id de-
„ mùm obtineant, quod optabant: ac per
„ ſpeciem privati duntaxat authoris proſcri-
„ bendi, in graviſſimos ſimul Theologos,
„ ac etiam Academias damnationem extor-
„ queant: quandoquidem Aſſertionem in
„ ſcriptore aliquo malè ſanam, talem ubivis
„ eſſe, neceſſe eſt.

„ Cùm itaque, Beatiſſime Pater, ex ipſa
„ illorum profeſſione (cujus & fidem facit
„ Patris de Avila nuper editus liber) certò
„ conſtet, Molinianæ doctrinæ ſummam &
„ fundamenta, nihil à præfatorum Theolo-
gorum ſententiâ differre; conſequens pro-
tectò eſt, integrum de libro Molinæ ju-
dicium ferri non poſſe, niſi priùs commu-
ne doctrinæ caput expeditum fuerit. Id
porrò cum à multis, iiſque graviſſimis
authoribus Ultramontanis excipiatur, uti
hæreticis è diametro magis oppoſitum, ac
decretis ſacræ Synodi Tridentinæ magis
conſonum; intelligit dubio procul, pro
ſummâ ſua prudentiâ Sanctitas Veſtra, diffi-
cilè admodùm, octo duntaxat aut decem
Theologorum audito ſuffragio, definiri
illud poſſe, niſi etiam Catholicarum om-
nium Academiarum judicia exigantur.
Quippè res in controverſiam vocata, talis
tantaque eſt, ut dignam eam nonnulli ju-
dicent, quæ in Generali Concilio pertra-
ctetur; ut & nos eam in Concilio Tri-
dentino pertractatam exiſtimamus.

Ut ergo compendio rem agamus, tria
in Molinæ libro ſecernimus. Primum,
doctrinæ ſummam, in quo ſcilicet ſita ſit
efficacia divinæ gratiæ, quove pacto vo-
luntatem moveat: quo capite, nihil eum
à laudatis Theologis diſtare exiſtimamus.
Alterum, nonnullâ inde derivata conſecta-
ria, cæteris fortè minùs communia, qui-
bus ea ſententia probatur. Tertium non-
nullas loquendi rationes, minùs fortè in D.
Auguſtinum ac D. Thomam reverentes,
quæque nimiam arrogantiam, ac ſui de in-
ventâ nitidiori doctrinæ expoſitione jactan-
tiam indicarent. Porrò eliquato ſemel Con-
troverſiæ capite, quod illi cum cæteris
commune eſt, cætera duo nullo negotio
componi poſſent. Quandoquidem nedum
Cenſores, ſed & nos ipſi ad ea limanda
ac temperanda, quæ fortè offenſioni eſ-
ſent, curam noſtram & operam impende-
remus. Hanc ſi deputati Cenſores judi-
cii rationem, ex Sanctitatis veſtræ man-
dato ineant; ut ſuâ doctrinæ capiti pro-
babilitate adjudicatâ (uti Sanctitas veſtra
in Hiſpania præſcripſit) ſententiam de-
mùm ferant, quâ parte aberret, aut mi-
nùs ſtatutæ doctrinæ hęreat, res tota bre-
vì ad exitum perducatur. Siquidem aut
pauca ſupererunt, aut hæc levioris mo-
menti, queis caſtigandis ac temperandis,
facilem ſe præbebit Author ipſe, aliis uſur-
patis loquendi rationibus.

Id verò pro certò habeat Sanctitas ve-
ſtra; fore ut vocatis tandem ad criſim
S. Auguſtini & S. Thomæ teſtimoniis
innoteſcat, non ita illos Prædicatorum
ſententiæ adfavere; tametſi eorum ſibi pro-
pitia nomina ſæpiùs oſtentent: quod eru-
ditè ſatis & apertè à Suareſio demonſtra-
tum arbitramur. Neque id dictum teme-
rè:

» rè : quippe qui, quod attinet Auguſti-
» num, Complutenſis Academiæ ſuffragium
» habemus, Apoſtolici Nuncii juſſu datum,
» quo id ipſum diſertè ſignificatur : quod
» ſpectat D. Thomam, *Prædeterminationis*
» vocem, maximè verò *phyſicæ* vocabulo
» adjunctam, nuſpiam apud illum invenire
» licuit, quamquam diu multóque ſtudio
» conquiſitam.

» Verùm Sanctitati Veſtræ fortaſsè vide-
» bitur, eò univerſa hæc collimare, ut rei
» exitum protendamus in longum; qui ta-
» men nolle nos moras nectere initio pro-
» feſſi ſumus. Non alius tamen nobis eſt
» animus, quàm ut Sanctitas veſtra rei ca-
» put attingat, eamque litis expediendæ
» rationem ineat, quâ privatam Molinæ cau-
» ſam ab ea ſecernat, quæ illi cum cæ-
» teris communis accidit : ut demùm ſeriò
» perpendat, eâ neglectâ Conſultatione,
» Molinæ Cenſuram minùs æquè inſtrui
» poſſe : aut certè fore illam minùs utilem
» ad pacem inter commiſſos Ordines conci-
» liandam, & afferendam, quæ maximè
» quæritur, Hiſpaniæ tranquillitatem. Immò
» verò res longè aliter cederet. Quotquot
» enim Scriptores ſeſe per Molinæ latus pe-
» titos arbitrarentur, ac cæteri quique Re-
» ligioſi Ordines, & Academiarum Profeſ-
» ſores, qui ſe tametſi numquam auditos,
» eâdem cum illo Cenſurâ notatos exiſtima-
» rent, inclamarent haud dubiè ; hæreti-
» cos non modicâ lætitiâ afficerent, turbas
» cierent in Eccleſia, veſtræque etiam San-
» ctitati moleſtiam crearent longè maximam.

» His ergò poſitis, expediendi negotii
» ratio, quâ res tota brevì conficeretur ac cer-
» tò, iniri facilè poſſet ; utpote quæ jam
» ex parte inita eſt. Si nempe Sanctitas ve-
» ſtra Breve Apoſtolicum ederet, quo nar-
» ratis curis in hanc diem poſitis, celebratis
» Congreſſibus, & Scriptis ultrò citróque
» datis, aliquanto fuſiùs confirmaret quod
» pridem in Hiſpania præſcripſit : nimi-
» rum, ut donec Sanctitas veſtra rem ul-
» timò definiat, utraque Sententia defendi
» poſſit, abſque tamen adverſæ partis mor-
» ſu atque Cenſurâ. Hoc quippe ſemel con-
» ſtituto, brevì dignoſceretur, quid in Mo-
» lina probabile ſit, quidve minùs. Ac
» tum ille, ut eſt humilis, ſingula emen-
» daret. Nihil erit quòd Patres Prædicato-
» res conquerantur : horum nulli vulgare
» fas erit, Societatem damnatione petitam
» eſſe : Theologi non pauci & Academiæ,
» quibus ea Sententia probatur, nihil habe-
» bunt quod muſſitent in oppoſitum : at-
» que ita Sanctitati veſtræ ſatis otii dabitur
» conſultationis in re tanti momenti inſti-
tuendæ, nec Molinæ Libri emendatio, "
ſi fortè ſit opus, feretur in longum. Aliàs "
Molinæ cauſam, verbis quidem privatam "
faciunt Prædicatores, at re ipſa cæteris "
Theologis communem. Illi ipſi nolentes "
litem protrahunt ; cùm contrà nos finiri "
eam optemus, ſalvo utriuſque Ordinis no- "
mine, ac bona totius Eccleſiæ pace, ſum- "
maque Sanctitatis veſtræ voluptate : cui "
rem totam Cardinalis Bellarminus, & Præ- "
poſitus Generalis pacis amantiſſimus, fu- "
ſiùs exponent, cùm primùm illos audire "
non gravabitur. "

Sic certè viri juris & æqui tenaciſſimi, Prædicatorum ſententiam probabilem à ſummo Pontifice pronunciari precabantur, quam nudiuſtertiùs traduxerant ut hæreticam ; modò tamen probabilitatis jure donaretur & ſua. Conſulendas totius Orbis Academias ſignificabant : hancque finiendæ litis, expeditiſſimam viam obtendebant, quâ nulla unquam, vel majoribus difficultatibus circumſepta, vel diuturnioribus dilationibus involuta fuit. Quare non eam modò deſpexit ſummus Pontifex, ſed & ipsâ die ſequenti delegatos Molinæ Cenſores acciri juſſit, qui ſecum de finienda Controverſiâ mutuò conferrent.

Actum ea de re trium & ampliùs horarum ſpatio : ac tandem Superiorum Congregationum geſtis compendio narratis, lectiſque Catholici Regis Epiſtolis, queis cauſæ definitionem urgebat, quatuor ſtatuit Beatiſſimus Pontifex. Primò ut maturiori examine Cenſuram à Secretario, totius Congregationis nomine adornatam, recognoſcerent. Secundò, ut Molinæ Propoſitiones, Cenſurâ notatas, cum ejuſdem propriis verbis conferrent, ne quid illis vel detraheretur, vel adderetur. Tertiò, ut eam ſemel recognitam in breviorem ſubinde formam, diſtinctis propoſitionibus contraherent. Quartò demum, ut illam (ſi priſtino judicio ſtandum decernerent) propriis chirographis munitam, ſibi traderent. Subjunxit, atque etiam tertiò conteſtatus eſt, ſe cauſam omninò Pontificiâ authoritate definire velle ; quòd ſcilicet res ſummi momenti & ad Catholicam fidem attinens ageretur.

Priorum etiam Cenſorum numero adſcripſit P. Hippolitum Maſſerium, Lucenſem, Epiſcopum Montis-Peluſii, quem ſervandi ſilentii juramento adſtrinxit. Ac ne hujuſce Examinis curam omnem apud Cenſores deponere videretur, Cenſuram à Secretario jam pridem inſtructam, per juratum Inquiſitionis Scribam

sibi quàm primùm transcribi voluit, ut eam ipse per sese legeret atque expenderet.

CAPUT DECIMUM.

Stat Pontifex in incepto : Tertium Causæ hujus examen, seu veriùs novam primi examinis recognitionem edicit. Interea multa Jesuitæ moliuntur, ut litem implicent.

Ex 5. Relat. D. Pegnæ.

VIx dici queat, quantâ bonos omnes lætitiâ affecerit religiosa illa Clementis VIII. voluntas; quam nec vani terrores frangere, nec speciosæ adversariorum artes deludere potuerunt. Accessit totius Ordinis nomine, gratias acturus Prædicatorum Generalis, die 24. Aprilis. Spopondit Ordinem suum, futuræ definitionis exspectatione suspensum, id omne lubenti pronoque excepturum animo, quod Pontificia authoritate sanciret. Obsequii fidem pergratam habuit SS. Pater, aitque eandem se in Jesuitis vehementer optare. Tum familiari sermone habito, præconceptum ex oblatâ sibi nuper Societatis supplicatione dolorem significavit; jussitque ut illam quantocitiùs ab aliquo è suis Theologis confutari curaret. *Si vede assai chiaramente*, inquit, *che li PP. Jesuiti vogliono tirar questo negotio alla lunga, volendo far mi temere un gran fracasso, se io fò publicare la Censura del Molina, senza haver inteso le loro difese. E per tanto, sono già due anni, che li sentiamo ogni giorno.* Hoc est : *Sat clarè perspectum habetur, Patres Jesuitas velle huic negotio moras injicere, conantes timorem mihi incutere de magnis turbis inde orituris, si Censuram adversùs Molinam in publicum emittam, ante auditas omnes illorum Apologias : cùm tamen jam per duos annos integros eorum Actores quotidie audiverimus.*

Prolixam itaque hujus supplicationis confutationem elucubravit Didacus Alvares, Clementi VIII. à Generali Ordinis Procuratore, die undecima Maii traditam, addito Libello supplici, quo fusiorem scriptionem in pauca contulerat. Hunc Latii jure donatum subjicimus.

BEATISSIME PATER.

Ex Italico latinè datur.

„ Sanctitati Vestræ quàm humillimè supplicamus, ut certa capita in Patrum Societatis Libello exposita, attento animo reputare velit.

1. *Pro more*, inquiunt, *in scriptores Catholicos, atque in vivis degentes servari solito, &c.* Mos servari solitus ille est, ut Libri ab institutis Congregationibus, aut aliis quibusvis ab Apostolica Sede deputatis, priùs Censurâ notentur, quàm citentur Authores : tum si quæ notata sunt, emendari possunt, præsertim ubi fidei res agitur, suspenduntur : ac demùm ultrà pergitur, ut doctrinæ ratio postulat.

2. *Dominicanos ratos se plausum facilius assecuturos &c.* Equidem si virorum eruditorum ac religiosorum plausus ambire Prædicatores, innuant, benè est : at si gregis auriti, & extremæ concionis acclamationes captare illos, intelligant; nusquam Prædicatores hujusmodi quidquam quæsiisse invenientur : quod in Patres Societatis æquiori fortassè titulo regeri posset.

3. *Si controversiæ caput declinarent. &c.* Controversiæ caput in hoc semper devolutum est, ac etiam hodie devolvitur; nimirùm in efficaciam Divinæ Gratiæ, illiusque exponendæ modum, à Molina inventum atque vulgatum. Nusquam difficultatem illam Prædicatores effugerunt. Immò cùm illorum Sodales Provinciæ Hispaniæ, conscientiæ stimulo ducti, causam hanc totam ad Tribunal Inquisitionis Hispanicæ detulerint, in hoc deinceps continuò institerunt, ac in præsentia etiam instant, ut ea doctrina proscribatur. Idque ipsum est, quod Patres Societatis perpetuò declinarunt, ac declinant etiamnum hodie.

4. *Nihil sibi nobiscum esse, sed cum unico Ludovico Molinâ &c.* Equidem inter utriusque Ordinis Theologos, alias ab ea quæ Molinæ doctrinam attinet, enatas esse controversias, novit Sanctitas vestra, norunt Illustrissimi Cardinales, norunt & Theologi universi : quandoquidem & in publicis scholis, & in editis Libris, ac in ipsis quoque in D. Thomam Commentariis (quæ res præsertim stomachum movet) illibatam Sanctissimi Præceptoris doctrinam frequentiùs oppugnant. Uni tamen Molinæ in Generali Hispaniarum Inquisitione litem intentarunt Provinciæ Castellanæ Prædicatores, religione ducti; quòd ejus doctrina & pejor & periculosior eis visa sit. Idcircò apertè atque ingenuè declararunt sæpe numero, in hunc unum actionem in præsentia instructam esse; in unam, inquam, doctrinam ejus, de efficacia divinæ gratiæ, ejusque quot-quot fuerint Sectatores.

5. *Jam verò cùm passim in Hispania, Polonia &c.* Cum bona venia Sanctitatis vestræ, debitaque veneratione, reponimus, totum id ab iis temerè dictum. Nihil quippe hujusmodi quidquam, aut ab Generali nostro, aut à deputatis Theologis,

» logis, aut quovis alio quem sciamus, di-
» ctum vel scriptum, intra vel extra Italiam.
» Si verò fortè fortunâ inaudivere, id ab
» nostrûm aliquo in Hispania, Polonia aut
» alibi dictum esse; eodem loco rumores il-
» li ab eis habendi erant, quo nos alios lon-
» gè plures, ac fortè veriores, de nonnul-
» lis illorum vulgatos habuimus: nec cæci
» rumores ad Sanctitatis vestræ aures teme-
» rè & inconsideratè deferendi ab eis erant.
» 6. *In præsentia adnitimur, &c.* Id pro
» viribus pariter adnitimur & adnitemur,
» ut Ludovici Molinæ doctrina emendetur,
» & hujusce S. Sedis Censurâ configatur,
» si eam Censurâ dignam deprehenderit.
» At non eo quidem animo, ut hujus unius
» judicio Societatem universam aut quam-
» vis Academiam involvamus; nisi fortè So-
» cietas universa vel Academia in ejusdem
» doctrinæ defensionem conspirarent. Idem
» nobis animus inest, voluntas eadem, in
» quemcumque Doctorem, aut Studium
» generale Societatis, si eamdem illam pro-
» pugnandam sibi sumerent. Perinde cum
» illis res nobis erit, Charitatis studium cum
» errorum odio probaturi.
» 7. *Certò constat Molinianæ Doctrinæ sum-*
» *mam &c.* Missis quæ à Patre Avila, uti
» privato Doctore scripta fuerint, profes̃os
» scilicet Prædicatores, Molinianæ Doctri-
» næ summam & fundamenta nihil à cæ-
» terorum Societatis Theologorum senten-
» tiâ differre. Immò & ex Libris eorum be-
» nè multis, & ex celebratis Congressibus,
» & ex scriptis Illustrissimo Cardinali bonæ
» memoriæ Madrucio datis, certò colligi-
» mus, eos multis capitibus, iisque gravissi-
» mis, à Molinæ doctrina procul abesse,
» uti Sanctitati vestræ facilè demonstrabi-
» mus. Verùm tametsi ita res esset, uti ef-
» futiunt; cùm harum opinionum vexil-
» lum extulerit Ludovicus Molina, eaque
» se scribere professus sit, quæ nulli antè
» mortalium, ac ne ipsi quidem Augustino,
» alterive Ecclesiæ Magistro in mentem ve-
» nerint; de illo præsertim instituendum
» examen arbitramur, petendumque censè-
» mus totius causæ initium ab ejus novi-
» tatum emendatione.
» 8. *Cùm à multis iisque gravissimis Au-*
» *thoribus &c.* Certè in hanc diem minùs
» liquet, tot graves Scriptores Ultramonta-
» nos Molinæ doctrinam approbasse; nisi
» fortè aliquos Societatis Professores, eorum-
» que discipulos; ac illos quidem nec tam
» multos, nec tantæ authoritatis viros, ut
» exponitur in libello. Hoc & addimus,
» nobis in hanc diem vitam doctrinam il-
» lam, non paucis hæresibus admodùm af-
finem, minimè verò iis ex diametro repu- "
gnantem : Decretis autem Concilii Tri- "
dentini, si penitiùs perpendantur, non ita "
consonam, ut obtenditur. Quæ duo, ab "
octo illis aut decem Censoribus, à ve- "
stra Sanctitate deputatis, observata fuisse, "
spes nobis est. Nec idcircò eò fiduciæ ve- "
niendum, ut etiam Concilium œcumeni- "
cum indicendum innuant, quò privati Do- "
ctoris & inferioris notæ Commentatoris "
Liber ad examen vocetur. Quandoqui- "
dem post collata hactenus studia, post "
accepta, ut fertur, Academiarum, Epis- "
coporum ac Theologorum suffragia, po- "
test Sanctitas vestra veritatem Catholicam "
sancire extremo judicio, cui nemo Ca- "
tholicus repugnabit. "
9. *Quo capite nihil eum à cæteris memo-* "
ratis distare existimamus &c. Quod attì- "
net efficaciam Divinæ gratiæ, de qua ser- "
mo venit, censet Ludovicus Molina, "
uti multis in locis apertiùs exponit, gra- "
tiam prævenientem, ut à Deo est, non "
esse efficacem; sed suam sortiri efficaciam, "
ut ait, ab eventu, à consensu nimirum & "
cooperatione Liberi Arbitrii : qua in re "
à celebrioribus Societatis suæ Theologis "
impugnatur; uti & in aliis gravissimis do- "
ctrinæ suæ Capitibus. "
10. *Nonnullas loquendi rationes, minùs* "
fortè in D. Augustinum & D. Thomam reve- "
rentes &c. Immò loquendi rationes admo- "
dùm injurias : quippe qui eò devenit au- "
daciæ, ut dixerit, ex disputationibus Au- "
gustini contra Pelagianos, ejusdemque "
doctrinâ, totius Ecclesiæ judicio conse- "
cratâ, tot fideles fuisse turbatos, & ad "
Pelagianorum castra transiisse. Tametsi "
oppositum planè in S. Prospero & Rufi- "*Fortè le-*
no legere est. "*gendum.*
11. *Controversiæ Capite, quod illi cum* "*In S.*
cæteris commune est &c. Et id iteratò re- "*Prosper.*
ponimus, Molinæ doctrinam, quoad ip- "*Ep. ad*
sum Controversiæ caput, unde sit efficà- "*Rufin.*
cia Divinæ Gratiæ, nequaquam ei cum "
cæteris communem esse, sed singularem, "
& à multis etiam Societatis Theologis "
impugnatam. "
12. *Uti Sanctitas vestra in Hispania pra-* "
scripsit &c. Decretum Sanctitatis vestræ "
in Hispaniam transmissum, datis ad Nun- "
cium Apostolicum litteris Illustrissimi Car- "
dinalis S. Severinæ, die 26. Februarii 1598. "
ita habet : *Sanctitas sua, temperato pristi-* "
no interdicto, FF. Prædicatoribus facultà- "
tem concedit, ut liberè possint de materia "
Auxiliorum Divinæ Gratiæ, & eorum ef- "
ficacia, juxta doctrinam D. Thomæ, lege- "
re ac disputare, ut antea fecerunt : & pa- "

„ riter *Patribus Societatis, ut possint & ipsi*
„ *legere & disputare de eadem materia, le-*
„ *gendo nihilominus semper sanam & Ca-*
„ *tholicam doctrinam.* Ex quibus Decreti
„ verbis, nullo pacto extundi potest, iuſ-
„ fisse Sanctitatem vestram, ut ea sententia
„ in Hispaniâ uti probabilis haberetur.
„ 13. *Id verò pro certo habeat Sanctitas ve-*
„ *stra &c.* Ostendent Prædicatores Sanctitati
„ vestræ, aut aliis pro arbitrio delegandis (quod
„ & hactenus datis scriptis demonstrarunt)
„ ab D. Augustino & D. Thoma procul
„ aberrasse, qui novas illas opiniones in scho-
„ las intulerunt; quod & Molina ipse sin-
„ cerè atque ingenuè vulgatis Libris pro-
„ fessus est. Aliter si sensit Academia Com-
„ plutensis, scriptove testata est, (quod
„ tamen ex ejus Censurâ minùs colligi exi-
„ stimamus) potuit & illa aberrare, uti &
„ aberravit aliàs Academia Parisiensis, al-
„ tioris longè authoritatis & famæ, dum
„ in doctrinam D. Thomæ Decretum edi-
„ dit. Ut ergo Theologi Parisienses, rebus
„ maturiùs expensis, Decretum illud suum
„ rescinderunt; ita & Censuram rescinde-
„ rent Complutenses, ubi affulgente veri-
„ tate, Molinæ librum notari cernerent &
„ castigari. Quamquam & id addi posset;
„ omnes penè hujus Academiæ Magistros,
„ studiorum tyrocinia sub Societatis Pro-
„ fessoribus posuisse, nec non etiam Sal-
„ manticensem Academiam aliasque Hispa-
„ nicas sentire longè aliter.
„ 14. Prædeterminationis *vocem, maxi-*
„ *mè verò* physicæ *vocabulo adjunctam, &c.*
„ Et hæc ipsa *Prædeterminationis* vox, &
„ sensu & sono in D. Thoma inventa est:
„ uti etiam *Physicæ* vocabulum quoad sen-
„ sum in ejusdem doctrina reperitur mani-
„ festè; quatenus nempe reale quidpiam si-
„ gnificat, *ex parte potentiæ motæ, applica-*
„ *tæ, ac determinatæ*, pro naturæ suæ con-
„ ditione ac modo, seu necessaria illa sit,
„ seu libera. Has ipsas *Physicæ* & *moralis*
„ voces usurpant Interpretes D. Thomæ
„ benè multi, aliique Theologi non pauci,
„ ac ipsi quoque Societatis Professores.
„ 15. *Verùm Sanctitati vestræ fortasse vi-*
„ *debitur &c.* Ea excusatio nusquam petita,
„ sed sponte data, plus satis probat, eos
„ dubio procul suspicatos, Sanctitatem ve-
„ stram id ipsum æstimaturam, quod &
„ Prædicatores æstimarunt hactenùs, ac re
„ ipsa tandem experti sunt; id unum scili-
„ cet Societatem perpetuò spectasse, ut Mo-
„ linæ causam singularem, ac peculiari ju-
„ dicio eliquandam, aliis peregrinis involve-
„ rent, ne unquam emendetur: nullum-
„ que non movisse lapidem, ut judicium
morarentur. Sed & id stupendum magis, "
tantâ eos fiducia jactare, privati Autho- "
ris Librum notari Censurâ non posse, ni- "
si ingens periculum subeat universi Or- "
bis commovendi. Prædicatores contrà cer- "
tò statuunt, Catholicorum neminem re- "
pugnaturum, si quid ab Apostolica Sede, "
aut in eo quod vertitur fidei capite, aut "
quovis altero, sanciretur. Id probatum il- "
lis, hæreticos nusquam ex latis fidei de- "
finitionibus lætitiâ affectos, nusquam Ec- "
clesiam earum occasione perturbatam; "
quin potiùs ex iis & depressos hæreticos, "
& Ecclesiam pace donatam. Hoc demum "
illis alta mente repostum, ubi semel San- "
ctitas vestra Catholicam veritatem de "
controversâ Quæstione definierit, nemi- "
nem planè repugnaturum, nisi qui Ponti- "
ficiam authoritatem in dubium verterit "
Petro datam, cui à Christo dictum est: "
Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides "
tua. "
16. *Si Sanctitas vestra Breve Pontifi-* "
cium ederet &c. Quod attinet proposi- "
tam expediendi negotii viam, ut nempe "
Sanctitas vestra Breve Pontificium edat, "
quo utramque Sententiam suâ frui proba- "
bilitate sinat, & unumquemque suo sen- "
tiendi committat Arbitrio, exponunt, "
qua par est reverentiâ FF. Prædicato- "
res, fidei causam hìc agi, quam à San- "
ctitate vestra opportuna definitione cer- "
toque judicio eliquatum iri, bene sperant. "
Interim uti obsequentissimi Apostolicæ "
Sedis vestræque Beatitudinis filii, judi- "
cium suum omne Sanctissimis pedibus "
subjiciunt: Deum optimum adprecantur, "
perpetuóque adprecabuntur, ut in hoc, "
aliove quocumque negotio, vestræ San- "
ctitati suggerat, quid melius è re Catho- "
lica fuerit, Christi obsequio, Ecclesiæ- "
que tranquillitate ac pace: utque illos "
emendet ac deprimat, qui turbas agere, "
motusque excitare molirentur. "

Ea Prædicatorum supplicatione, alio- "
que prolixiori scripto dato, & dissutæ &c. "

pag. 220. *lin.* 12. *à fine.*

Pag. 223 *in fine post hæc verba*, Molinæ- "
que damnationi subscripserit. "

Æquiori stetit animo Benedictini Or- "
dinis Procurator generalis, commendati- "
tiis licet Epistolis lacessitus à suis. Ab Vi- "
ro Instituti sui primæ notæ, Antonio "
Cornexo, Abbate S. Jacobi in Gallæcia, "
primariæ olim Cathedræ in Academia Sal- "
manticensi Moderatore, scire voluit, quid "
rei esset, quove animo in Molinæ defen- "
sionem suorum aliqui consensissent. Re- "
scripsit

ſcripſit eruditus Abbas totum id à nonnullis privato in Societatem ſtudio factum, nulla cum cæteris habita collatione : Inſtituti Benedictini Profeſſores, maximam partem, in Prædicatorum ſententiam conſpirare : atque idcirco nec audiendos Romæ Societatis Actores, ſi fortè vagos illos de impenſo ſibi ab Hiſpanis Benedictinis patrocinio rumores evulgarent ; nec ferendum omninò, univerſum Ordinem Molinæ partibus addictum effutirent, ob pauculos illos ſuffragatores, quorum ſtudia à cæteris minimè probarentur. Do Epiſtolam integram, cujus autographum inter Clariſſimi Pegnæ Adverſaria videre contigit.

Ex Hiſpano Latinè redditur.

Reverendiſſime Pater. Caſtellam atque inde Salmanticam profectus, ad examen religioſæ noſtræ juventutis, quæ in Collegio noſtro S. Vincentii Theologiæ tyrocinia ponit, rem didici permoleſtam, quæ mihi, ut verum fatear, dolorem intulit longè maximum. Romam ſcilicet miſſas audivi Theſes aliquas, in Comitiis generalibus proximè habitis Præſide M. Salazario propugnatas, privato nomine atque ſententiâ : queis tota videtur Molinæ Doctrina de divinis Auxiliis, actuumque liberorum Prædeterminatione contineri. Has Romæ palàm ab Jeſuitis oſtentatas audio, qui etiam hanc communem Magiſtrorum & Profeſſorum Inſtituti noſtri ſententiam eſſe, dictitent. At ſi ſic eſt, temerè prorsùs id effutiunt. Novit quippe Paternitas veſtra, Inſtituti noſtri Profeſſores inter divi Thomæ Diſcipulos cenſeri, communi Scholarum noſtrarum ſuffragio : atque adeò Thomiſticam Sententiam, communem Inſtituti noſtri doctrinam reputari oportere. Quamquam verò in ea, quæ Dominicanos inter ac Jeſuitas movetur hodie controverſia, variæ circumferantur opiniones, tutierem nihilominus viam init Profeſſorum noſtrorum pars nobiliſſima, eam nempe quæ D. Thomæ ejuſque Diſcipulorum eſt. Primariam Cathedram Veſpertinam annos non paucos occupavi : Thomiſtarum Sententiam & ab aliis ſemper traditam audivi, & tradidi ipſe, non eo ſolùm nomine, quod mihi ex Academiæ Statuto S. Thomæ Doctrina legenda eſſet, ſed quòd ea mihi ſemper ſententia probata ſit, quam mihi Magiſtri veteres velut ex aſſe hæredi reliquerunt. Atque ita noſtri communiter ſentiunt. Quare ſi quid fortè Romæ hac occaſione moveri atque attentari contigerit, iis firmiter hæreat Paternitas veſtra, quæ reſcribo. Ita quippe ſe res habet. Quid de Molinæ doctrina ſentiam, fuſius ſcripto ſignificarem, niſi ex publico Edicto S. Officii vetitum eſſet, ne quis interim pendente lite Cenſuram ferat. Per gratum mihi faciet Paternitas veſtra, ſi quo loco Auxiliorum Controverſia ſit hodie, reſcribat ; numne certa ſpes affulgeat, ut brevi rem totam Sanctiſſimus Pater judicio dirimat. Vale. Datum Compoſtellæ die ultima Julii 1603. ANTONIUS CORNEXO, *Abbas S. Jacobi in Gallæcia.* Sequitur

CAPUT UNDECIMUM.

Pag. 226. lin. 15. poſt hæc verba, per totum orbem publicetur. AD CAPUT 10.

Sic ille de ſuſcitatis controverſiis blandè loquebatur. Eâ interim fiduciâ rem urgebat, ut illum Reipublicæ litterariæ dictatorem nemo non crederet. Novi, ut putabat, inventi beneficio, in Pontificis ſacrarium irrepſit, deſideratam pacem partibus diſſidentibus allaturus. Expanſâ hilariter fronte atque ore renidenti à Clemente exceptus, de meditata pace, cum veniæ præfatione, dixit paulò prolixiùs. Quare bis terque admonitus ut ſermonem in pauca contraheret, demum ad Cardinalem Bernerium Epiſcopum Aſculanum miſſus eſt, ea de re majori otio tractaturus. At abfuit &c.

Pag. 229. lin. 16. à fine poſt hæc verba, eſt inſtrumentum.

De novo, ut putabat, invento ſibi plaudebat bonus homo, tanquam cœli convexa digito tetigiſſet : cum contra palàm omnes aſſererent, eum in muſtaceo gloriolam quæſiiſſe. Quot enim capitibus aberret, quámque Jeſuitarum perinde ac Prædicatorum doctrinæ repugnet ſubleſtus ille conciliationis modus, nemo non videt ; ut planè illius inventori S. Proſperi dictum accomodare nobis liceat, lib cont. Collat. cap. 5. *Tu informe neſcio quid, & utrique parti inconveniens reperiſti, quo nec inimicorum conſenſum acquireres, nec in noſtrorum intelligentia permaneres.*

Tantus tamen &c.

Pag. 230. lin. 12. poſt hæc verba, ſuffragium emendicabant.

Quibus etiam ut faciliùs ora ſublinirent, dolum duplici falſitate cumulabant : Galliæ ſcilicet Academias in Molinæ ſententiam veniſſe, mentiebantur ; jactato unius Academiæ Muſſipontanæ ſuffragio, quam nil niſi Societatis Gymnaſium eſſe, nemo neſcit ; atque illud quidem, non in Galliis, ſed in Lotharingia ſitum. Ipſos quoque Theologos Lovanienſes, Sixti V. judicio à priſtina ſententiâ revocatos, in Societatis doctrinam conſenſiſſe, dictitabant. *Immò & Doctores Lovanienſes,* (in-

quiebant ſuo illo tranſmiſſo Scripto) *quamvis olim contrarium ſenſerint, poſtquam intellexerunt, juſſu Pontificis Sixti V. hanc ſecundam ſententiam fuiſſe examinatam, & judicatam ſanam doctrinam, nunc ei adhærent, ut ex eorum Theſibus & ſubſcriptionibus apparet.* Quod quàm falſum abſonumque ſit, ſatis me aliàs arbitror demonſtraſſe. Lib. 1. Capitibus 4. 5. 6. 7.

Verùm non diu &c.

Eadem Pag. 230. *lin.* 28. *poſt hæc verba*, dicendi locus.

Intereà notare obiter juvat, non abſimili calliditate uſos olim Maſſilienſes in Auguſtinum. Quindecim Sententias breviores, & has prorsùs abſurdas, vulgarunt, velut ab illo aſſertas; *ut quæ in Libris ejus damnabilia ſe reperiſſe jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent; talique commento, & deteſtationem ejus, quem impeterent, obtinerent; & ab his quæ infamaſſent, curam exterriti lectoris averterent.* Ita S. Proſper in Præfatione ad Capitula calumniantium Gallorum. Idem in Proſperum ipſum alioſque Auguſtinianæ doctrinæ vindices tentavit Vincentius ille, cujus objectiones ſolidè diluit Sanctiſſimus Doctor. Abſurda ſcilicet aſſerta vulgavit verſipellis homo, quaſi ab Auguſtinianis eadem illa defenderentur, ut communem illis invidiam concitaret. Qua de re, ita in ſua ad Objectiones Vincentianas Reſponſione præfatur doctiſſimus Aquitanus. *Quidam Chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquo modo ſtudent lædere, ut ſuam ſe evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt, ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo: quæ falsò in nos ad excitandam invidiam jactitari &c.*

Sequitur

CAPUT DUODECIMUM.

Ad Cap. 12. *Pag.* 238. *ad finem Capitis*, prætuliſſet.

Romam ſub idem tempus nuncius perlatus eſt, qui Ludovicum Molinam Madriti exſtinctum retulit. Obſervatum ab omnibus eſt, illum ea ipſa die 12. menſis Octobris fato ceſſiſſe, qua Romani Cognitores Cenſuram ejus ſecundis curis elaboratam obtulerant Clementi VIII. eodemque momento Pontificis ſimul ac Dei judicium ſubiiſſe. Hæc de illo ſcripſit P. Oieda, Societatis in Curia Matritenſi Procurator. *Vocatus ad Curiam Regiam è civitate Conchenſi, ex qua receſſerat menſe Septembri, paulò poſtquam adventaſſet, incidit in gravem febrim. Mox acciti Medici, omnem curam & medicinam opportunè adhibuerunt: ſed ægritudine invaleſcente, memoriam omnium rerum humanarum amiſit. Sed nec Librorum nec Scriptorum ſuorum eſt recordatus, nec Libri de Concordia liberi Arbitrii cum gratiæ donis: quaſi ipſe non fuiſſet, qui tot propterea tumultus in Eccleſia concitaſſet. Itaque cum nulla medicamenta profuiſſent, poſt aliquot dies obiit.* Nimirum die 12. Octobris 1600. Cæterùm Oiedam ſpiſſigrado uſum Tabellario, neceſſe eſt, ac tardiori quàm ſint Corbitæ in tranquillo mari: quæ enim vertente Octobri ſcriptæ fuerant, exeunte demum Februario Romæ ſunt redditæ.

Sequitur

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Pag. 317. *lin.* 19. *poſt hæc verba*, publicè declamarint. Ad Cap. 24.

Hac arte uſos Pelagianos S. Hieronimus monet, Epiſtolâ ad Cteſiphontem, & Dialogo 1. contra Pelagianos, ut errores ſuos latè diffunderent, & aurito gregi, ut minimum, fucum facerent. Hinc illa Sancti Doctoris verba: *Quid volunt miſeræ mulierculæ, oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes: & cæteri muliercularum ſocii, prurientes auribus & ignorantes quid audiant, quid loquantur; qui vetuſtiſſimum cœnum quaſi novam ſuſcipiunt temperaturam?*

Cæterum &c.

Pag. 330. *lin.* 7. *à fine*, *poſt hæc verba*, & judicia dignetur. Ad Cap. 27.

Plenum id calliditatis atque aſtutiæ. Idcircò enim Germanicarum Academiarum judicia audiri poſtulabant, quòd eas Jeſuitæ moderarentur, Theologicas ac Philoſophicas Cathedras occuparent, gradus literarios diſpenſarent, omniaque pro nutu atque imperio regerent; ut non tam Academiæ, quàm Jeſuitarum Gymnaſia cenſerentur. Proſtratis quippe Hæreticorum perfidiâ antiquis Catholicorum ſcholis, ſtudia publica Sodalitii Jeſu viri magnâ ex parte excitaverant, ac retento priſtino Academiæ titulo univerſa penè Gymnaſia occupabant. Quamquàm & hoc familiare Societati ſit, ut ſua Gymnaſia Academiæ nomine cohoneſtent, uti 4. Conſtitutionum Parte, & paſſim in Congregationum

gregationum Generalium ſtatutis, videre eſt. Suum ergò de ſua iplorum doctrinâ judicium auſcultari poſtulabant, dùm Germaniæ Academias audiri precabantur. At de his plura damus Lib. 4. Cap. 18.

In eumdem &c.

AD CAP. 30. *Pag.* 348. *lin.* 31 *poſt hæc verba*, in re pergravi aſſeruerat.

Breve Pontificium, inter Clariſſimi Pegnæ & Thomæ de Lemos adverſaria inventum, damus ex integro, quòd nuſquam illud typis editum videre contigerit.

Dilecto filio FRANCISCO ZUMEL *Ordinis B. Mariæ de Mercede Sacræ Theologiæ Magiſtro.*

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTE FILI, *Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Et jam antea nobis nota erat virtus tua, & inſignis doctrina, & quod caput eſt, ardor Catholicæ fidei tuendæ, & devotio erga Nos & erga hanc Sanctam Apoſtolicam Sedem, in qua nos humiles & indigni, autore tamen Spiritu Sancto, præſidemus: quod etiam venerabilis Frater Dominicus Archiepiſcopus Sipontinus, noſter in Hiſpania Apoſtolicus Nuntius cumulatè & multa cum tui laude teſtatus eſt. Sed hæc omnia manifeſtiùs agnovimus & perſpeximus ex tuo Commentario, quem & tuo zelo incenſus, & ejuſdem Nuntii noſtri cohortatione permotus nuper ſcripſiſti, ut quorumdam hominum novitates amantium parùm conſideratas, ne quid graviùs dicamus, opiniones confutares, & veritatem in re pergravi aſſereres & roborares. Laudamus, Fili, pietatem tuam, & te meritò in Domino commendamus; quòd ſcientiam, quam à Patre Luminum accepiſti, totam confers & adhibes ad ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia: & re ipſa oſtendis, te non ſolùm ſcientiam habere, quæ ſæpè inflat, ſed etiam charitatem, quæ ſemper ædificat. Scito igitur laborem hunc tuum, & eruditam lucubrationem, pergratam nobis fuiſſe. Idque tibi his quoque literis noſtris ſignificare placuit, ut ſcias te à nobis amari. Atque ut tanto ſtudioſiùs & ardentiùs pro virili tua labores in vinea domini Sabaoth, & talenta à magno Patrefamilias tibi credita, fideliter & fructuosè negotieris, tibi etiam noſtram Apoſtolicam Benedictionem benignè impertimur. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 10 *Martii* 1603. *Pontificatus noſtri anno duodecimo.* SILVIUS ANTONIANUS *Cardinalis.*

Quid hoc in &c.

ADDENDA
IN LIBRO TERTIO
HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS.

AD CAP. PRIMUM *Pag.* 354. *lin.* 12. *poſt hæc verba:* aſſiſteret.

Nihil ſcilicet veritus in ſuprema totius orbis procuratione & ingentium curarum multitudine, Theologicarum diſputationum tædium ferre, & ſedentariam Actoribus per plures horas verba facientibus operam præſtare.

AD CAP. 3. *Pag.* 365. *lin.* 8. *poſt. hæc verba:* Capuam diſceſſit.

Audiat & Fuligatum concellitam ſuum, qui hanc ipſam fabulam, de Bellarmino honoris ſpecie Româ pulſo, ab inficetis duntaxat conſiliorum ſcrutatoribus vulgatam & creditam dicit; qui audaciori & malignâ ſagacitate aulæ arcana rimarentur, ac in ipſum Pontificis ſacrarium irrumperent, ut ex levi ſpecie monſtra fingerent. Ob id ſcilicet unum, quòd Bellarminum ob nimiam dicendi libertatem ardentiuſque Molinianæ cauſæ tuendæ ſtudium ab optimi Pontificis gratiâ excidiſſe, rumor eſſet. *Libertas hæc*, inquit ille Lib. 3. de vita Bellar. Cap. ult. *ſentiendi adversùm ea quæ Pontifici prima erant, fuit aliquibus occaſio interpretandi, Bellarminum ex eo tempore ſpeciem magis in amicitia Pontificis, quàm vim tenuiſſe; nec poſitum eſſe, ſicut priùs, æquabili apud ipſum gratiâ. Crevitque rumor in Aula, quæ eſt rimandis offenſionibus nimis interdum ſagax, cùm viderunt non multò poſt, eum Capuæ Archiepiſcopum renunciatum, & Româ emigrare; tamquam Pontificis abalienata mente diſcederet, amovereturque de induſtriâ,*

ſtriâ, ne promeret quæ ſentiret.

Sequitur

CAPUT QUARTUM.

Ad Cap. 5. *Pag.* 374. *lin.* 20. *à fine poſt hæc verba:* poſt horam vigeſimam.

Unde & in Actis Congregationis duodecimæ, in qua de tota iſta concertatione ſententiam dixere Cenſores æquiſſimi, id à Notario obſervatum legimus : *Id evidenter conſtitit, tam Argumenta defenſorum Molinæ eſſe captioſa & fallacia, quàm Doctorum ſententias falſò interciſas & corruptas, ab illis fuiſſe allatas*, ut infra lege- Cap. 15. re eſt. Quid hæc porro ſibi velint, doceant nos qui Valentiæ cataſtrophen, fabulæ loco haberi vellent.

Accedit &c.

Pag. 376. *lin.* 18. *poſt. hæc verba* : concidiſſe.

Cæterum, totum id ſi libuerit naturæ dabo; ut contumeliæ impatiens, brevi mœrore citra miraculum contabuerit : quod nedum Diodono Crono dialectico, verùm etiam Homero ingeniorum Principi contigiſſe, haud obſcuri Scriptores prodidere. Hunc etenim pari ſorte mœrore confectum ajunt, quòd jocoſum piſcatorum ænigma ſolvere neſciviſſet. Scilicet in littore, cùm mare turbatum ferias daret, novæ capturæ intenti piſcatores, ſordentium tunicarum rugis animalcula quærebant, quæ reperire nollent : viſoque Homero, per ludibrium tamquam de tripode ſententiam explorarunt. Nodus tanto vindice dignus hìc erat, *Quos cepimus non habemus, quos non cepimus habemus.* Quem nexum cùm expedire non poſſet Vatum maximus, ingenti pudore ſuffuſus brevì contabuit. Ita planè Valentiæ caſum ſecundùm naturam accidiſſe, Ziliolo dabo ; nec eruditum Theologum irato numine malè mulctatum obtendam; modò (quod hìc unum in animo eſt) facti fides in tuto ſit.

Verùm &c.

Pag. 378. *lin.* 10. *poſt hæc verba* : immunis eſt.

„ Quin immò dicamus, eum ab Augu-
„ ſtino occiſum eſſe, quòd ejus propoſitio-
„ nem falsò allegaſſet. *Non l'ho amazzato io, ma il Papa, quale non è capace d'irregolarità : ò pure diciamo che l'have ucciſo S. Agoſtino per haver portato falſamente la ſua propoſitione.* Adeò ſcilicet aperta res erat, ut ludis palàm ac facetiis circumferretur.

Et tamen, ſi ſuperis placet, Gregorium de Valentia, *Doctorem Doctorum* à Clemente VIII. vocari ſolitum, ſcribunt viri ſuis amplificandis unicè intenti. Qua fide, qua veri ſpecie, dixerint alii. Ego quidem tantùm abeſt, ut Societatis pugilem ſuperbis apud ſuos efferri titulis ægrè patiar, ut potiùs gaudeam magis : hinc quippe reportatæ de illo victoriæ ſplendor accedit. Quibus enim titulis Lemoſium coronare par erit, à quo Doctorum Doctor, in Litterariâ concertatione, atque in ipſo Orbis theatro, proſtratus eſt? Quibus notis excipienda Molinæ cauſa, quam ne ipſe quidem Doctorum Doctor feliciter peroravit? Certè

Si Pergama dextrâ Virgil.
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

Sequitur

CAPUT SEXTUM.

Pag. 382. *lin.* 22. *poſt. hæc verba* : verſa- Ad cap. tus eſſet. 6.

Hinc factum arbitror, ut Jeſuitæ Galliarum, veriti ne pius Pontifex, toties de finiendâ Controverſiâ rogatus, ſententiam tandem pronunciaret, quæſtiones de indeficienti Romani Pontificis judicio, ea ætate in Galliis excitarint : ac eâ quidem calliditate, ut maximam Clementi VIII. injuriam irrogarent, ejuſque autoritatem veluti de induſtriâ luderent. Certè ſi quæ ab iis tanto ſtudio vulgata eſt, Henrici IV. Reſponſio, ad Harlæum Galliæ Senatus Principem, de Societate non admittendâ perorantem, genuina eſſet, uti eam illi genuinam obtendunt, liqueret profectò, Galliæ Jeſuitas, ſub id tempus defendiſſe, cæteros quidem Pontifices indeficientiæ privilegio frui, minimè verò Clementem VIII. Ita quippe Regem inter alia reponentem exhibent : *Vous ne dites pas, que ces jours paſſés les Jeſuites ont ſoutenu, que le Pape ne pouvoit errer, mais que Clement pouvoit faillir.* Hoc eſt, *Id verò omittis, Jeſuitas elapſis proximè diebus, propugnaſſe, Pontificem errare non poſſe, Clementem nihilominus poſſe.* *Exſtat tom. 4. Seu in Additionibus ad documenta D. de Villeroy.*

Ego quidem prolixam illam Henrici IV. ad Harlæum Orationem, quâ alia non pauca Auguſtiſſimo Senatui injuria recenſentur, ſpuriam habeo, ob Clariſſimi Thuani, qui præſens tunc aderat, teſtimonium omni exceptione majus. Is quippe Libro 132. Hiſtoriarum, recenſitâ Senatus Principis ſupplicatione, & Henrici IV. Reſponſo, ſic addit : *Quæ omnia, ego qui actioni* anno 1604. 2. Januar.

actioni cum multis aliis interfui, eò diligentiùs perſcribenda curavi, ut vanitas Relationis Italicâ linguâ ſcriptæ, & Turnonii in Vivarienſi pago, anno poſt publicatæ pateat: in qua pleraque contumelioſa contra ampliſſimum Ordinem addita, quæ nunquam tunc Regi optimo ex ore exciderunt, quædam etiam ex rumuſculis collecta, pro reſponſo inculcata, ad ea quæab Harlæo minimè dicta fuerant. At cùm prolixiorem illam Regis Orationem Jeſuitæ de induſtriâ vulgarint, uti Societatis Panegyricam, minùs certè moleſtè ferent, ſi quid inde repetamus. Aut enim inſulſam illam aſſertionem re ipsâ tunc propugnarunt; aut ſi minùs, eam ſaltem propugnaſſe, videri volunt, qui ita Regem maximum loquentem inducunt.

Sequitur

CAPUT SEPTIMUM.

AD CAP. 7. *Pag.* 383. *lin.* 38. *poſt hæc verba :* Pontificem Maximum.

Dirimendæ controverſiæ ſpecie, purum putumque Moliniſmum Pontifici inſtillabat, nec longè à Pelagianiſmo abibat. Gratiæ diſtinctionem in ſufficientem & efficacem, uti prorsùs inſufficientem, inutilem, & à Sacris Literis, Conciliis, Patribus, ratione alienam explodebat, Capite 3. Tum non longè digreſſus pag. 17. Gratiâ ſe ipſa efficaci procul ablegatâ, rem totam ita demum dirimendam ſtatuebat, ut ſola Gratia indifferens ſanciretur: *Ergo cum fieri potuerit, ut aliqui converſi fuerint, aliqui non; aliud genus gratiæ cenſendum eſt, nimirum indifferens; cuique pro arbitrii libertate liceat conſentire.*

Fama fuit &c.

Pag. 386. *ſic lege :*

CAPUT OCTAVUM.

Diſtincta quinti hujus Examinis Hiſtoria texitur. Quis in celebrandis Congreſſibus ſervatus ordo : quæ lex à Clemente VIII. antiquæ Traditionis hærede, diſputantibus data ; ut videlicet ad S. Auguſtini mentem Controverſiæ omnes exigerentur.

GRegorius Coronellus, Auxiliorum Congregationi à ſecretis jam pridem à Clemente datus, univerſa quinti hujus Examinis acta duplici volumine complexus eſt. Primo diſputationes omnes, Cenſorumque, ad decimam quartam Congregationem, Judicia comprehendit; altero, lata ad finem uſque Judicia retulit. Servatur utrumque autographum in Angelica Auguſtinienſium Bibliotheca: Illud quidem numero 1. ſub hoc titulo: *Diſputationes habitæ à Patribus Dominicanis & Societatis Jeſu, ſuper doctrina Molinæ de Auxiliis habitæ, coram Sanctiſſimo D. N. Clemente VIII. ab anno* 1602. *uſque ad annum* 1605. Iſtud ſub ſigno † nullâ præmiſſâ Epigraphe. Ex hoc duplici fonte, univerſa delibabimus, quæ ſecutis capitibus referemus.

Congregationibus ſexaginta ſeptem ſtetit Examen iſtud, coram Clemente VIII. celebratis. Has inter, ne vel &c.

Pag. 387. *lin.* 12. *à fine poſt hæc verba :* examinatæ conveniebant, *ſic lege.*

Primaria ab Clemente VIII. poſita lex illa fuit, ut cuncta ad S. Auguſtini mentem exigerentur : quòd is in eliquandis divinæ gratiæ Controverſiis, Conciliorum ingenium omni retrò ætate ſit habitus ; cæterorumque Patrum exaggeratum altiùs nomen obtriverit, ac veluti minora ſydera obſcurarit. *Quamvis*, inquit S.S. in Proluſione Diſputationum, *nemini niſi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen inpræſentiarum rationes propter quas adſtringere ſtatui totam hanc diſputationem ad normam Doctrinæ Auguſtinæ de Gratia. Prima eſt, quòd ſi teſte B. Proſpero, ferè initio Libri contra Collatorem, viginti annorum ſpatio Eccleſiæ Catholicæ acies ita dimicavit pro Gratia, contra Pelagianos, ut tandem Auguſtino Duce vicerit ; oportet etiam ut in cauſa conſimili, eumdem Ducem agnoſcamus & ſequamur. Secunda eſt, quòd idem Sanctus nihil videtur præteriiſſe eorum, quæ ad præſentes controverſias pertinent &c. Tertia tandem ratio eſt, quòd cùm multi Pontifices & Prædeceſſores noſtri Doctrinæ S. Auguſtini tam acres fuerint aſſertores ac vindices, ut quaſi hæreditario jure eam in Eccleſia relinqui voluerint, æquum non eſt, ut patiar illam hac hæreditate privari.*

Ac re ipſa quidem Auguſtini ingenium, quod uti demiſſum cælo ſolem Eccleſia Catholica & Apoſtolica Sedes nunquam non coluit, ac tantùm non adoravit : fatigatiſque omnium Pontificum linguis, conſumptáque veneratione, omni præconio majus ſemper agnovit.

Sic Innocentius I. quo ſedente Pelagiana hæreſis caput extulit, uno eodemque judicio naſcentem errorem proſcripſit, ac primas Auguſtini in eo confutando lucubrationes conſecravit. Cùm enim Patres Concilii Carthaginenſis, variis Canonibus ex S. Auguſtini libris paſſim expreſſis,

preſſis, veritatem Catholicam aſſeruiſſent, extremum iis ſigillum poſuit Sanctiſſimus Pontifex; remque ita cumulatè confectam pronunciavit, ut nihil illi addendum supereſſet. *Satis*, inquit, *veſtris monitis, ſic abundantibus noſtræ legis exemplis, probatur eſſe reſponſum; nec quidquam ſupereſſe duximus, quod dicamus; cùm nihil prætermiſſum à vobis, nihil conſtet eſſe ſuppreſſum, quo illi refutati, & penitùs cognoſcantur eſſe convicti. Ideóque à nobis teſtimonia nulla ponuntur, quia & his plena Relatio eſt, & ſatìs conſtat, tot Doctiſſimos ſacerdotes cuncta dixiſſe; nec decet credere vos aliquid, quod ad cauſam poſſit proficere, prætereiſſe.* Quibus non abſimilia reſcripſit Milevitanæ Synodi Patribus; quorum Epiſtolam Sanctitati ſuæ datam, adversùs Pelagii & Celeſtii primos impetus, totius Sacri Ordinis nomine exaraverat idem Auguſtinus. *Multifariis equidem, ad deſtruendum tale Pelagii Magiſterium, uti poſſemus exemplis; niſi ſciremus Sanctitatem veſtram ad plenum ſcripturas omnes callere divinas: præſertim cùm veſtra Relatio talibus ac tantis teſtimoniis ſit referta, ut his ſolis valeat præſens dogma reſcindi; opuſque non eſſe reconditis, cùm & iis qua facilè vobis occurrentia poſuiſtis, nec audeant obviare nec poſſint.* Ac tandem ad Auguſtini Epiſtolas, quatuor Collegarum, Aurelii ſcilicet, Alipii, Evodii, & Poſſidii ſubſcriptione munitas, reſcribens, has catholicæ fidei plenas cenſet, & magnoperè celebrat. *Fraternitatis veſtræ literas, plenas fidei, totoque Religionis Catholicæ vigore firmatas à duobus miſſas Conciliis, per Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Julium, pergrato ſuſcepimus animo; quòd earum tenor omniſque contextio eſt in conſideratione quotidianæ gratiæ Dei; & in eorum correctione, qui contra ſentiunt, integra ratione conſiſtit: ut & illis omnem tollere poſſit errorem, & idoneum dato quovis noſtræ legis exemplo, quem ſequi debeant dignum poſſint præbere Doctorem..... Nam hoc loco latiùs de lege diſputare, velut coram poſito repugnanteque Pelagio, neceſſarium eſſe non duximus: cùm vobiſcum totam ſcientibus, parique nobiſcum conſenſione gaudentibus colloquamur.*

Epiſt. 91. inter Aug. nunc 182.

Epiſt. 93. nunc 182

Epiſt. 96. nunc 183.

Neque verò communes duntaxat Epiſtolas, ab Auguſtino, ſuo & Collegarum nomine miſſas, probaſſe cenſendus eſt Innocentius; verùm etiam privatas ab eo datas, ac ipſum etiam librum de Natura & Gratia, unà cum cæteris cauſæ Inſtrumentis tranſmiſſum, Apoſtolicæ Sedis ſuffragio confirmaſſe. Cujus rei locupletiſſimam fidem facit Auguſtinus ipſe, Epiſtolâ 106. ad Paulinum: *Scripſimus etiam*, inquit, *ad Beatæ Memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum Relationes, literas familiares, ubi de ipſa cauſa aliquantò diutiùs egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eodem modo quo fas erat & oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* Tametſi vel id unum S. Auguſtini gloriæ conſecrandæ plus ſatis eſſet, quòd earum Synodorum Canones extremo veluti ſigillo muniverint Innocentius, ac tum poſtea Zozimus, quarum ille os fuerat & ingenium; eumdemque uti primum contra Pelagianos Chriſtiani exercitus Imperatorem venerati ſint.

Non abſimiliter Bonifacius, Innocentio ac Zozimo proximè ſuccedens, Auguſtinum non coluit modò, ſed uti Eccleſiæ oraculum habuit, à quo etiam adversùs divinæ Gratiæ hoſtes, reſponſa peteret. *S. Memoriæ Papa Bonifacius*, inquit D. Proſper contra Collatorem cap 41. *cùm eſſet doctiſſimus, tamen adversùs libros Pelagianorum B. Auguſtini Epiſcopi reſponſa poſcebat.* Pelagianorum ſiquidem ſcripta Romam delata, in Africam Auguſtino refellenda tranſmiſit; quorum & refutationem, in quatuor libros diſtributam, ad Bonifacium direxit Sanctiſſimus Doctor, ejuſdem ſuffragio muniendam. Unde conſequens exiſtimavit S. Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus, in Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum, ut nullius erroris calumniæ patere poſſit Auguſtini Doctrina, ex quo tam illuſtri Apoſtolicæ Sedis ſuffragatione communita eſt: *Si eam Doctrinam*, inquit ille, *adverſam fidei orthodoxæ in quoquam conſpiceret, nequaquam eam Romanæ Eccleſiæ Antiſtes venerabilis Innocentius, cum totius Orbis Epiſcopis ſuſcepiſſet: neque Bonifacius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Præſul Epiſtolas Pelagianorum ſibi delatas, ei ad reſpondendum miſiſſet, aut Reſponſionem ejus, quatuor libris editam, probabiliter & honorabiliter ſuſcepiſſet.* Quin & Suares, Proleg. 6. de Gratia cap. 1. n. 6. Bonifacium ipſum, quatuor illis libris adversùs Pelagianorum Epiſtolas elaboratis, Auguſtini ore locutum ait; ut non minùs Romæ Pontifex quàm Epiſcopus Hipponenſis, contra Julianum Pelagianum decertaſſe putandus ſit. *Bonifacius*, inquit ille, *conſtantèr Juliano reſtitit, & per Auguſtinum, ut ſic dicam, contra illum ſcripſit. Adeo ut jure merito S. Auguſtinus dicatur eſſe os & lingua Eccleſiæ; cùm per eum Eccleſia & ſummi Pontifices locuti ſint.*

Longè

Longè luculentiùs Celeſtinus I. Auguſtino humanis rebus exemto, atque ad ſuperos vocato, epinicium cecinit; doctrinam ejus elogio ære digno celebravit, illiúſque calumniatores datis ad Gallicanos & Epiſcopos efficaciſſimis Epiſtolis repreſſit ac fudit. Monitus ſcilicet ab Proſpero & Hilario, qui Romam idcircò ſe contulerant, nonnullos Galliæ Presbyteros in controverſiam vocare, quæ à Sancto Auguſtino ſcripta eſſent, & à Romanis Pontificibus, Innocentio, Zozimo, & Bonifacio confirmata, ac Synodorum Decretis ſtabilita; magnificentiſſimo Sanctiſſimi Doctoris encomio petulantium obtrectatorum audaciam fregit, æternoque ſilentio damnavit. *Auguſtinum, Sanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergò de eo omnes in communi ſenſerunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. Unde reſiſtamus talibus, quos malè creſcere videmus. Nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, quia membra noſtra ſunt, nos quoque convenit macerari, quamvis maneat hos beatitudo promiſſa, quicumque probantur perſecutionem propter juſtitiam ſuſtinere.* Et paucis interjectis (ſi tamen altera illa Epiſtolæ pars, Celeſtini re verâ eſt, ut eruditi nonnulli opinantur.) *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum ſenſibus ſeu pravitate ſeu malitiâ demorantes, piiſſimis diſputatoribus obviare præſumunt.* (Auguſtino ſcilicet ejuſque diſcipulis) *Et cùm Pelagium atque Celeſtium anathematizare non dubitent, Magiſtris tamen noſtris, tamquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur &c.*

Cæterum cùm nonnulli, quibus ſtomacho erat ſolennis adeo Auguſtinianæ Doctrinæ commendatio, ſubleſtè reponerent, priores duntaxat illius libros, non itidem poſteriores approbatos eſſe, quòd eorum titulus hac in Epiſtola Celeſtini non fuiſſet expreſſus; malignam hanc calumniantium interpretationem datâ operâ confutavit D. Proſper lib. contra Collatorem cap. 43. omneſque Sanctiſſimi Doctoris libros æquo jure probatos oſtendit; quòd *idem omnibus eſſet doctrinæ ſpiritus, eademque prædicationis forma:* ac propterea nulli fas eſſe, *contra iſtam clariſſimæ laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſſimi teſtimonii dignitatem, maligna interpretationis murmur emittere; & perſpicuæ ſinceriſſimæque ſententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere.*

Si quid tamen huic Celeſtini oraculo obſcuritatis ineſſet, ne extremos Auguſtini libros videretur approbaſſe, nebulas omnes diſcuſſit Hormiſdas PP. in Epiſtola ad Poſſeſſorem. Cùm etenim univerſus Oriens ob Fauſti Regienſis Epiſcopi libros in partes diſciſſus eſſet, quidve de divinæ Gratiæ controverſiis Eccleſia Romana ſentiret, à quibuſdam ambigeretur; reſcripſit Sacrorum Præſes, id ex Auguſtini libris, atque iis maximè quos ſub vitæ finem adornavit, eſſe cognoſcendum, ipſamque Auguſtini doctrinam, hac ultima divini ingenii fœturâ exaratam, Eccleſiæ veluti dotem ac patrimonium declaravit. *De libero Arbitrio & Gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur & ſervet Eccleſia, in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Proſperum & Hilarium, abundè cognoſci poteſt.* Quo ſingulari præconio permoti Africani Præſules, in exilium ab impio Rege pulſi, eoſdem illos Sanctiſſimi Doctoris libros præ cæteris conſulendos pronunciarunt Epiſtolâ ſuâ Synodicâ: quòd iis maximè Catholicam fidem adversùs novas Maſſilienſium cavillationes aſſeruiſſet. *Præ omnibus ſtudium gerite libros S. Auguſtini, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere; quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes, in Epiſtola quam conſulenti ſe Sancto Fratri Conſacerdoti noſtro reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit.*

Suffragatur ac novo quidem gloriæ cumulo Felix IV. qui varia Auguſtinianæ doctrinæ capita, ex pleriſque ac præſertim ex ultimis libris delibata, in Canones tranſtulit. Lites quippe de divinæ gratiæ Auxiliis, queis per annos plus minùs centum Eccleſia Gallicana jactata fuerat, ſupremâ authoritate compoſiturus, ſententias viginti quinque ex Auguſtini lucubrationibus excerptas, ad S. Cæſarium Arelatenſem tranſmiſit, in Canones transferendas, & ab univerſis Eccleſiæ Præſulibus ſubſcribendas. Liquet id ex Actis ſecundæ Synodi Arauſicanæ, cujus Canones pleroſque à Felice IV. tranſmiſſos, ex Auguſtini ſententiis conflatos, nemo non videt. Qua de re lege, ſi vacat, Binium & Sirmondum in Notis, Baronium in Appendice ad tomum 10. Annalium, Bellarminum lib. 2. de Gratia & Libero Arbitrio cap. 11. Cardina-

lem de Noris lib. 2. Hiſtoriæ Pelag. cap 23. Notanda verò præ cæteris Bellarmini verba, queis gratuitæ Prædeſtinationis Sectatores hac occaſione potiſſimùm carpit. *Poſt illa*, inquit, *Celeſtini tempora, cùm nondum factio illa Gallorum quieſceret, S. Leo Pontifex* (immò veriùs Felix IV.) *miſit ad Concilium Arauſicanum, certa Capitula de Gratia & Libero Arbitrio ex libris S. Auguſtini verbatim decerpta, quæ voluit ab Epiſcopis illis recipi atque ſubſcribi, ut etiam factum eſt. Porro in illis Capitulis continentur omnia fundamenta ſententiæ de Prædeſtinatione gratuita, ut non poſſit ullus Prædeſtinationem negare, niſi velit illis Capitulis contraire.*

Felici IV. in conſecrandâ S. Auguſtini ſententiâ accinunt Bonifacius II. & Joannes II. ille quidem Epiſtolâ ad Cæſarium Arelatenſem datâ, qua Synodi Arauſicanæ Decreta confirmavit: *Atque ideo*, inquit, *cùm de hac re multa Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & majores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſſimè, ut nulli ulteriùs deberet eſſe ambiguum, fidem quoque ipſam nobis venire de Gratia; ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici.* Iſte Epiſtola 3. ad Senatores, *Sanctus Auguſtinus, cujus Doctrinam ſecundùm Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta Romana ſequitur & ſervat Eccleſia, &c.* Quo ſuffragio nedum Auguſtini doctrinam approbat Joannes II. verùm etiam quæ antea retulimus ſummorum Pontificum, de illius authoritate Decreta certiſſima eſſe pronunciat. Quid porro ad S. Auguſtini gloriam luculentiùs dici poteſt, quàm quòd hanc ſecundùm ſummorum Pontificum ſtatuta, Romana ſequatur & ſervet Eccleſia?

Suffragantur & alii Romanæ Sedis Antiſtites, quos exſcribere longum eſſet: Gregorius Magnus Epiſtolâ ad Innocentium Epiſcopum, Joannes XXII. Conſtitutione 2. Urbanus V. in diplomate Tranſlationis S. Thomæ Aquinatis, cujus potiſſimam laudem in eo poſitam dicit, quòd Auguſtini veſtigia inſecutus ſit: ac demum Martinus V. in altero, de tranſferendo S. Monicæ Corpore, Diplomate Pontificio.

Tot ergo Romanorum Pontificum exempla ſecutus Clemens VIII. Auguſtinum lydium lapidem eſſe juſſit, ad quem in ſolennibus hiſce Comitiis, vera de divinis Auxiliis ſententia probaretur. Nemini cuiquam licitum arbitratus, ab ea doctrina deflectere, quam tot ſupremi Hierarchæ, uti ſacram Sponſæ dotem, continuata ſerie exceperant, cuſtodierant, conſecraverant.

Sed ecce eximiam illam Doctori Sanctiſſimo gloriam invidet Franciſcus Annatus libro 8. ſui Auguſtini vindicati cap. 4. mutanſque quadrata rotundis Auguſtino palàm inſultat, quaſi non tam Molina ſuus, quàm ipſe Gratiæ vindex, coram Clemente VIII. ad examen vocatus eſſet, ac velut in ordinem miſſus. *Nam quod objicere ſolent*, inquit ille, *Clementem VIII. juſſiſſe tempore Diſputationum de Auxiliis, ut Auguſtini potiſſimùm ſententia inquireretur, facilè ſolvitur. Neque enim id præcepit eo præjudicio, quaſi nefas duceret ulla in re diſſentire ab Auguſtino, repudiata etiam Celeſtini diſtinctione illa, inter Propoſitiones quas eſſet, & quas non eſſet opus adſtruere. Neque idem eſt, velle ut diſputantes Auguſtini ſententiam inquirant, & velle omninò ut in omnibus eam ſequantur.* Non itaque, ſi Annato credimus, ſedit hoc in Judicio Arbiter Auguſtinus & Judex, ſed reus cauſam dixit, manumque ferulæ ſuppoſuit. Heu quàm ima ſummis atra dies miſcuit! Ille ille Conciliorum olim os ingeniumque, ſuâ nunc turpiter ſede dejectus, cauſam coram Pontifice ſuppliciter dicit! Proh ſuperi, mites animos! Num hæc Clementis VIII. mens fuerit, dicant qui præmiſſam publicis diſputationibus Auguſtinianæ Doctrinæ commendationem, de qua paulò antè dicebamus, vel obiter legerint. Ut quid enim *totam hanc diſputationem ad normam Doctrinæ Auguſtini de Gratia adſtringere* ſtatuit? Ut quid *Eccleſiam Auguſtini doctrinâ hæreditario jure acceptâ privari* noluit; ſi (quod novus criminator obtendit) id non illi erat in animo, ut agitandæ Controverſiæ Judices Auguſtini ſententiam in omnibus ſequerentur? Annati ceſpitationem caſtigat Leonardus Sherlogus, alter ejuſdem ſcholæ Magiſter, ſub Pauli Leonardi larvâ deliteſcens, in Apologia pro Scientia-media Part. 2. num. 39. *In Diſputationibus Romæ agitatis coram Sanctitate Clementis VIII. & Pauli V. ſæpè & diligenter interrogatum eſt de mente S. Auguſtini, quòd eo ſpeciatim in genere quæſtionum exploratum eſſet, ab iis optima proferri, quibus tantus Gratiæ Hyperaſpiſtes faveret. Quare anno 1602. tractatum, Quis majores vires ad bonum libero Arbitrio tribuat, an Auguſtinus, an Molina? Continetur ille Articulus ſeptem Quæſtionibus, in quibus ſingulis de mente Auguſtini diſceptatur cum Molina &c. Ex quibus liquet altercationis*

penè omnem ſcopum fuiſſe, quidnam Auguſtinus ſentiret.

At, inquiet importunus Auguſtiniani nominis oſor : Ergone Celeſtini diſtinctionem repudiavit Clemens VIII. qua videlicet, poſt ſtatuta certa fidei capita, Auguſtinianæ doctrinæ ſummam complexa, atqué ex variis Romanorum Pontificum ac Synodorum ſanctionibus delibata, cætera omnia fidelium opinationi permiſit ? *Profundiores verò*, inquit Celeſtinus ad calcem Epiſtolæ laudatæ ad Galliæ Præſules, *difficilioreſque partes incurrentium Quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.* Abſit ut Clementem cum Celeſtino committamus; diſtinctionemve ab uno poſitam, ab altero reſciſſam exiſtimemus. Verùm hæc duo Annato probanda erant, ut quidpiam ſuâ illâ laſciniâ conficeret. Primum, certa fidei capita, Epiſtolæ Celeſtini adnexa, ultimamque illam de profundioribus Quæſtionibus clauſulam, Celeſtini ipſius eſſe: Alterum, controverſias in Auxiliorum Congregatione ventilatas à certis illis fidei capitibus longè eſſe diſſitas, & *incurrentium Quæſtionum* loco numerandas. Primum etenim diffitentur, haud levibus argumentis, benè multi : duo in primis Purpurati Senatus lumina, Cæſar Baronius, in Annalibus, ad annum 431. & Henricus de Noris in Vindiciis cap. 7. Laurentius Surius in Hiſtoria ſacra, Gerardus Voſſius lib. 1. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 30. Curatores Editionis Conciliorum Colonienſis ac Sixtinæ; Quenellius in Notis criticis ad opera Sancti Leonis magni : quin & ipſi etiam Societatis Profeſſores Franciſcus Suares Proleg 6. de Gratia cap. 1. num. 11. Jacobus Sirmondus tomo 1. Conciliorum Galliæ : Quibus omnibus viſum eſt, Celeſtini literas in hæc verba deſinere : *Dominus incolumes vos cuſtodiat, Fratres chariſſimi*; cætera verò Capitula Epiſtolæ adnexa, vel à Proſpero, vel ab altero quopiam fuiſſe addita. Alterum, quod ab Annato feſtivè ſupponitur, id ipſum eſt, quod in ea prægravi lite in controverſiam vocabatur : annon videlicet Molinianæ doctrinæ paradoxa in hæreſeos ſuſpicionem adducta, contra fidei capita re ipſa peccarent; & an *incurrentium quæſtionum* loco, de quibus pro arbitrio ſentire liceat, haberi poſſent ?

Philippus Labbæus in Notis.

Quamquàm itaque adnexa Capitula, adeóque ipſam quoque Clauſulam in controverſiam adductam, Celeſtini eſſe fateremur, quod viri pariter eruditi perſuaſſum habêt; nihil ab eo alienum ſtatuiſſet Clemens VIII. dum pendentem litem ad Auguſtini mentem expendi ac definiri voluit: ſed Celeſtini ipſius cæterorumque Romanorum Pontificum veſtigia ſecutus, non eſſe incurréntibus quæſtionibus, opinione liberis, accenſenda cenſuit, ſed fidei Capitibus annumeranda, quæcumque Auguſtinus datâ operâ, certò & incunctanter velut Eccleſiæ fidem ſtatuiſſet ac propugnaſſet.

Immò verò omnium cachinnis, ut mitiùs loquar, excipiendi veniunt, qui pauca illa Celeſtini Epiſtolæ adnexa fidei Capitula, ex Auguſtini Libris deflorata, uti fidei Dogmata de divinis Auxiliis duntaxat accipiunt; cætera verò vniverſa, ab Auguſtino contra Pelagianos de induſtriâ licet ac firmiter propugnata, uti liberas opiniones excipiunt, quas uti contemnere non eſt auſus Eccleſiæ Pontifex, ita neceſſe non habuit adſtruere. Egregios ſanè Pontificiæ mentis Interpretes ! Ut quid ergò, ſi ſic eſt, vocato ad ſuperos Celeſtino, Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos, quatuor ejuſdem Auguſtini ſententias inculcat, & ſacris dogmatibus accenſet? Quorſum Felix IV: uti paulò antea notabamus, Canones viginti quinque ex Auguſtini libris digeſſit, & ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum tranſmiſit, ab Eccleſiæ Gallicanæ Præſulibus ſubſcribendos ? Itane ſe geſſiſſent ſupremi Eccleſiæ Hierarchæ, ſi pauculis illis exceptis Celeſtini Capitulis, reliqua Auguſtini dogmata inter adiaphora numeraſſent?

Iis itaque Articulis Celeſtini Epiſtolæ adnexis, veluti principiis ac primigeniis fontibus ſtat Catholicæ fidei ſumma, doctrinæque ab Auguſtino contra Pelagianos aſſertæ veluti baſis; unde alia ad fidem pariter attinentia dogmata derivantur. Unde & Celeſtinus declarat, velle ſe ea ſuſcipi, non ſolùm quæ illis Articulis expreſſa ſunt, verùm etiam quæ ſunt iiſdem adnexa. *Quod ſi quis*, inquit, *non nimiùm eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum authoritatum brevitate pendere*, Capitulorum ſcilicet, quæ ſubjungit. Quare Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Gratia & lib. Arb. cap. 11. ex hac ipſa Celeſtini Epiſtola colligit, Prædeſtinationem gratuitam defendi à Catholicis oportere, non uti opinione liberam, ſed uti Eccleſiæ Catholicæ fidem; licet expreſsè atque diſtinctè in dictis capitibus

minimè recenſeatur: ob id videlicet inter alia quòd ex iis derivetur facilè; & ab Auguſtino, cujus doctrina totâ paſſim Epiſtolâ commendatur, inter fidei dogmata recenſeatur.

Et certè, niſi totius Epiſtolæ contextus pervertatur, fieri omninò nequit, ut Celeſtinus aliquas Auguſtini ſententias, ab eodem veluti Catholicæ fidei dogmata adversùs Pelagianos & Maſſilienſes conſtanter aſſertas, ad ſententias opinione liberas amandarit, & à ſuis illis ſtatutis articulis diffitas pronunciarit.

Primò enim, Semipelagianorum audaciam reprehendit Sanctiſſimus Pontifex, quòd Auguſtinum debitos diſputationis limites prætergreſſum effutirent: *Magiſtris noſtris, tamquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur.* Non itaque neceſſarium modum exceſſit, judice Celeſtino, immò *nullus eum ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit.* Exceſſiſſet porrò maximè Auguſtinus, & ſuſpicione admodùm ſiniſtrâ laboraſſet, ſi quid velut Eccleſiæ dogma poſuiſſet, quod Eccleſiæ dogma re ipſa non eſſet, & à quo procul abire liberum foret. Eo momento, gratuitæ Prædeſtinationis impugnatores exagitat Bellarminus loco paulò antè laudato: *Deinde Celeſtinus*, inquit Purpuratus Theologus, *in ea Epiſtola cap. 2. ita laudat Auguſtinum, ut dicat eum ſemper habitum à Romana Eccleſia pro Magiſtro optimo, & nunquam eum fuiſſe ſaltem rumore ſiniſtræ ſuſpicionis aſperſum. At quomodo iſta dicere potuiſſet Celeſtinus, ſi Auguſtinus falsè ſcripſiſſet, fidem Prædeſtinationis in Eccleſia Catholica ſemper fuiſſe; & contra eam neminem niſi errando diſputare potuiſſe? Nam ſi Auguſtini de Prædeſtinatione ſententia falſa eſſet, non poſſet idem Auguſtinus ab ingenti temeritate defendi: quippe qui non ſolùm tam acriter pro falſitate certaſſet, ſed etiam pro fide Catholica venditare auſus eſſet. Quomodo igitur Celeſtinus eos qui pro hac ipſa re Auguſtinum temeritatis & erroris damnabant ita reprehendit, ut dicat nefas eſſe talia audire, & Auguſtinum pro Magiſtro optimo ſemper habitum, nec unquam fuiſſe ſaltem rumore ſiniſtræ ſuſpicionis aſperſum; niſi hanc ipſam de Prædeſtinatione doctrinam, ſecundùm Auguſtini ſententiam, veram eſſe credidiſſet?*

Rursùs, ſi profundiorum Quæſtionum nomine, quas neceſſe non erat adſtruere, ſententiæ nonnullæ ab Auguſtino pro certiſſimis contra Pelagianos & Maſſilienſes aſſertæ, intelligerentur, cur id adversùs Auguſtini doctrinam nuſquam objecêre Maſſilienſes? Cur ad ea excipienda, quæ ſibi in Sancto Doctore diſplicebant, hâc Celeſtini Epiſtolæ clauſulâ nuſquam uſi inveniuntur? præcipuè cùm omnia molirentur, ut hujuſce judicii Pontificii vim effugerent. Monet equidem D. Proſper, objeciſſe illos, priores duntaxat Auguſtini libros eo Judicio probatos eſſe; at nuſpiam legimus, veniſſe illis in mentem, ut dicerent, nonnullas ab ſummo Pontifice ſententias exceptas eſſe, quas ille quidem uti certas ſtatuiſſet, & tamen adſtruere non eſſet opus. Quo reſponſo longè facili Pontificiæ approbationis authoritatem imminuiſſent, & S. Auguſtini gloriam non mediocriter decurtaſſent.

Accedit, ſummos Pontifices Celeſtini Succeſſores, S. Auguſtini Doctrinam de Gratia univerſim probaſſe, commendaſſe, conſecraſſe, quavis diſtinctione poſthabitâ. Quod ſanè minùs prudenter geſtum videri poſſet, ſi quas in Auguſtino ſententias reperiſſent, contra hæreticos de induſtria propugnatas, uti Catholicæ fidei capita, à quibus diſſentire liberum eſſet.

Ecquæ ergo, inquies, ſunt illæ *profundiores difficilioreſque partes incurrentium Quæſtionum*, quas uti Celeſtinus contemnere non eſt auſus, ita neceſſe non habuit adſtruere? Sunt illæ dubio procul Quæſtiones profundiores difficilioreſque obſcuritate rerum, & incertitudine veritatis atque ſententiæ, quæ de illis ferri certò non poſſit: quæſtiones, inquam, non per ſeſe ac directè ad Gratiæ defenſionem, controverſiaſque Pelagianorum ac Maſſilienſium attinentes; ſed ex occaſione tantùm ab Auguſtino tractatæ; quæ idcirco *incurrentes à* Celeſtino vocitantur: quæſtiones tandem, *quas latiùs*, ut loquitur idem Pontifex, *pertractat*, & multis variiſque rationibus agitat Auguſtinus; de illis tamen vix quidquam definiens: quales ſunt hæ, Quomodo traducatur peccatum Originale? Quæ ſit concupiſcentiæ natura? Quænam animæ origo? aliæque id genus. Has ſicut non eſt auſus contemnere ſummus Pontifex, ita nec neceſſe habuit adſtruere; uti nec illas adſtruxerat Sanctiſſimus Doctor. At de his pleniùs lib. 4. c. 4. & 5.

Cæterùm dum univerſam de divinis Auxiliis tractationem, ad Auguſtini mentem exigi juſſit Clemens VIII. non ideò cæteros Eccleſiæ Patres miſſos voluit, aut ſummorum Pontificum, ac Synodorum Statuta negligi paſſus eſt. Immò & hæc omnia, ad Controverſiæ eliquationem, ſæpiùs advocabantur. At Auguſtini nomine,

De quibus Auguſtinus ipſe lib. de Dono Perſeverantiæ cap. 11. inquit *Operoſiſſimas quæſtiones incidentes enucleatè ſolvere nolui, ne nimium longum opus eſſet.*

Patres ejus doctrinæ vindices & hæredes, Pontifices ejusdem approbatores, Synodos demum, quæ illius & verba & sensus in Canones transfuderunt, intellexit eruditissimus Pontifex, fontem unum indigitans, unde sequentium sæculorum Patres, uti minores rivuli derivarunt: cujus aquas salutares Pontifices & sacræ Synodi consecrarunt.

CAPUT NONUM.

Argumenta disputationum quinti Examinis, à CLEMENTE VIII. *pro nata difficultate, identidem designata.*

Primùm scriptum Clementis VIII. &c. *Pag.* 389.

AD CAP. 9. *Pag.* 402. *lin.* 40. *post hæc verba :* à Congregatis Patribus; *adde.*

A Tridentinæ quoque Synodi Præsulibus usurpata legitur, apud Gasparum Cardillum in Disputationibus adversùs protestationem 34. hæreticorum Augustanæ Confessionis, *Disp.* 7.

Pag. 474. *lin.* 3. *sic lege.*

AD CAP. 23. Ut Concilium de dolore ex motivo fidei intelligendum, Molinam autem de dolore tantùm quoad substantiam actûs, &c.

AD CAP. 43. *Pag.* 563. *lin.* 5. *post hæc verba* : Studio refricari.

Hujus accusationis invidiâ, potiori jure onerandus esset Joannes Phelippæus, Societatis Theologus, de quo plura diximus libro primo. Is etenim Scientiam-mediam confutaturus, in suis ad Oseam Commentariis, sanctissimos Ecclesiæ Patres, Augustinum, Prosperum, & Fulgentium, usque adeo ab illo Molinæ commento procul abiisse ait, ut omnem Deo notitiam sustulerint futurorum liberorum, quæ semotâ conditione, è qua pendere dicuntur, nusquam re ipsa contingent: nihil scilicet veritus, hanc ipsam extremam opinionem tam caris cælo capitibus adscribere; in quam Prædicatores nimio oppugnandæ Scientiæ mediæ ardore prolapsos commenti sunt alii. *Tres illi gravissimi Patres*, inquit ille, *qui præ cæteris omnibus doctissimè & subtilissimè de gratia disputarunt, longissimè abfuerunt ab eo gratiæ efficacis sensu, qui per Scientiam mediam & conditionatam, rationem reddit efficacitatis, quæ est in gratia cum libero arbitrio cohærentis: cùm illam ipsam scientiam, & futura conditionata respuerint.* At de his plenius Libro primo, ubi Phelippæi mentem intimiùs expendimus. *Sequitur*

Cap. 2. *v.* 14. 15. 16.

Cap. 19.

CAPUT XLIV.

Pag. 564 *lin.* 14. *post hæc verba* : voluntatis affectu.

Probat quotidiana penè benevolentiæ significatio; dum quidquid illi in hujusce causæ tractatione præter jus & æquum concedi sibi precabantur, lubentiùs indulgebat, malebatque ex abundanti gratificari, quàm nimiâ Juris tenacitate solutos animos exacerbare. Probat longè feliciùs paterna illa veréque Pontificia sollicitudo, qua Societatem è Gallia pulsam, Henrici IV. benevolentiâ restitui, & ad Clementiæ sacra admitti providit: nec non zelus ardens, quo se apud Regem eumdem sequestrum exhibuit, ne qui ex priori naufragio sospites evaserant, in exilium pellerentur. Quantùm enim Pontifici optimo enitendum fuerit, quàm crebris ac repetitis officiis certandum, ut hanc à Rege Maximo gratiam obtineret, iis manifestum fore arbitror, qui aversum Henrici IV. animum noverint, qualem is suis in Romanâ Curiâ Oratoribus, non semel aperuit, dum de restituendâ Societate rogaretur, Sanctitatis suæ nomine. *Sur la demande pour les Jesuites* (scribebat ille Duci *de Luxembourg* die 17. Augusti 1598.) *j'ai répondu au Legat ingenûment, que si j'avois deux vies, j'en donnerois volontiers une au contentement de Sa Sainteté : mais que n'en ayant qu'une, je la devois menager & conserver pour mes Sujets, & pour faire service à Sa Sainteté & à la Chrétienté. Puis que ces gens se montrent encore si passionnés & entreprenans, où ils étoient demeurés en mon Royaume, qu'ils étoient insupportables, continuant à séduire mes Sujets, à faire leurs menées, non tant pour vaincre & convertir ceux de contraire Religion, que pour prendre pied & authorité dans mon Etat, & s'enrichir & accroître aux dépens d'un chacun; pouvant dire mes affaires n'avoir prosperé, ni ma personne avoir été en sureté, que depuis que les Jesuites ont été bannis d'ici; il seroit impossible, qu'en France ils fussent vûs de bon œil, & soufferts par ceux qui aiment ma vie & mon repos.* Quod ita Latinè dicas : *Quod attinet postulationem pro Jesuitis mihi factam, Legato Pontificio ingenuè respondi, me quidem, si duplex vita suppeteret, alteram in suæ Sanctitatis implendo desiderio libenter positurum: at cum unica mihi à Deo O. M. sit concessa, huic tuendæ servandæque invigilare opus est, cùm ut Subditorum commodis & utilitati inserviam, tum ut hoc etiam pacto Sanctitatis suæ*

Lege Ciaconium in Clement. VIII. & Cardin. Ossatum Epist. 27. ad D. de Villeroy.

&

& Christiani nominis bono consulam. Cùm enim iis Regni partibus, quibus residui manent, ad quælibet audenda adeò se fervidos & acres exhibeant, ut vix ultra ferri possint, subditosque clandestinis consiliis in partes distrahant; non tam exstirpandi erroris studio, quàm obtinendæ intra Regni fines authoritatis, pecuniæque caterorum damno coacervandæ cupiditate: ut mihi affirmare jure liceat, nunquam mihi prosperè cessisse res meas, aut vitam in tuto positam, nisi ex quo tempore in exilium acti sunt: ab iis in Gallia grato animo excipi, omninò non possent, qui me quietum & sospitem optant.

Quibus non absimilia significavit Rex Maximus, anno 1599. cadente Mense Januario, dum Domino de Sillery, Romanam Legationem obituro, hoc in Jesuitarum causâ Mandatum dedit. *Le Sieur de Sillery assurera aussi Sa Sainteté, que Sa Majesté a très-bonne volonté de favoriser pour sa consideration, les Colleges des Jesuites, qui sont demeurés en son Roiaume; pourvû qu'ils se comportent à l'avenir envers Elle & ses sujets, comme ils doivent faire, & que sous prétexte de Religion, ils ne troublent le repos de son Etat, ni ne s'entremélent des affaires publiques, comme aucuns d'eux ont osé faire cy-devant, avec plus d'imprudence que de zele & de Religion. Ce qui les a rendu si odieux, avec la convoitise qu'ils ont demonstré avoir de s'accroître, & de s'enrichir, & les attentats qui ont été faits contre la Personne de Sa Majesté, à leur instigation; que si Sa Majesté eut secondé les volontés de ses Sujets contre eux, & les Arrêts du Parlement, qui s'en sont ensuivis, ils eussent encore été traittés plus rigoureusement, qu'ils n'ont été. Et combien qu'en cela Sa Majesté se soit opposée aux desirs & conseils de ses Officiers & Sujets, pour obvier aux inconveniens, qui pouvoient avenir de la temerité d'aucuns particuliers Jesuites, lesquels ont causé cette publique haine contre tout l'Ordre; toutefois il est certain, que Sa Majesté a toûjours plûtôt moderé qu'aigri les choses contre eux: portée du seul desir de complaire à Sa Sainteté; car elle n'a aucune occasion d'être contente de ceux dudit Ordre; lesquels depuis ledit bannissement, n'ont cessé de faire en secret & en public toutes sortes de menées, & mauvais offices, pour nourrir la discorde entre ses Sujets, décrier les actions de Sa Majesté, dont ils font profession de juger plûtôt par passion, & par l'avis d'autrui, que par la verité d'icelles, & par raison.* Quæ verba Latinè reddideris: *Dominus de Sillery Sanctitati suæ significabit, Majestatem suam, illius quidem gratiâ, inclinari ad officia Jesuitis in Regno residuis impendenda: modò deinceps erga Majestatem suam ejusque subditos ita se gerant ut debent, nec specioso Religionis obtentu turbas in Regno faciant; neve publicis negotiis sese immisceant; uti illorum aliqui hactenùs attentarunt, majori quidem animi cæcitate, quàm zelo ac studio Religionis. Quæ res ita illis publicum odium concitavit (attentâ præsertim eorumdem immodicâ authoritatis & opum cupiditate, & attentatâ ipsis instigantibus in Regis vitam molitione) ut cum eis longè acerbiùs actum esset, si Rex ipse subditorum genio, & supremi Senatus Edictis morem gessisset. Ac licet eo in capite Majestas sua, votis atque consiliis Ministrorum & subditorum semper obstiterit, ut incommodis privatorum quorumdam Jesuitarum audaciâ orituris, occurreret, qui publicum illud in Societatem odium concitarunt; id insuper certum, Majestatem suam singula temperasse potiùs quàm irritasse; ut Sanctitatis suæ genio responderet. Nulla quippe Regi causa est, cur illius Instituti Professores amet. Quippe qui, ex quo tempore in exilium acti sunt, omnia & palam & secretò tentarunt, ut turbas inter subditos foverent ac cierent, suæque Majestatis agendi rationem improbarent; quam malo potiùs animo & ex alienâ sententiâ, quàm ex ipsa rei veritate interpretari malunt.* Ita ferunt documenta, ad Historiam Cardinalis *de Joyeuse* spectantia, à Clarissimo viro Auberio, Senatus Galliarum Advocato publicæ luci data, Anno 1654.

Tantus nihilominùs fuit Clementis VIII. in Societatem amor, ut repugnantem Regis animum precibus ac repetitis officiis vicerit. Jesuitis exulibus Sceptra Jovemque conciliavit optimus Pontifex, ac exitu quidem adeò secundo, ut non modò in Henrici gratiam redierint universi, verùm etiam inusitatis Regiæ munificentiæ monumentis supra votum aucti fuerint. Nemo ergo Clementem Societati minùs affectum dixerit, nisi qui illustriora paternæ benevolentiæ argumenta, aversi animi judicia interpretari voluerit.

Nihilo firmiori titulo nititur exceptio altera, de &c. circumvento ab Hispanis &c. *lin.* 30.

Pag. 567. *lin.* 3. *à fine, post hæc verba:*
muneribus illustris.

Quæ ego mente dum recolo, subit animum Pelagianæ quondam Sectæ jactura non levis; cum Sixtus Presbiter, quem causæ suæ præcipuum defensorem jactaverant gratiæ adversarii, alienissimum tandem

dem eis animum declaravit. Quo casu triumphabundus Augustinus lætitiæ sensus expressit, datâ ad ipsum Epistolâ 104. *Quid gratius*, inquit, *legi vel audiri potest, quàm Gratiæ Dei tam pura defensio, adversùs inimicos ejus, ex ore ejus qui eorumdem inimicorum, magni momenti Patronus antea jactabatur?* Et Epistola 105. ad eundem: *Tristes eramus nimis, cum fama jactaret, inimicis Christianæ gratiæ te favere. Sed ut hæc tristitia de nostris cordibus tergeretur, primò te priorem anathema eis in populo frequentissimo pronunciasse, eadem fama non tacuit.*

Restat &c.

Ad Cap. 45. *Pag.* 570. *lin.* 14. *à fine, post hæc verba:* gratificari voluit.

Nihil itaque dubitandum, ita fuisse affectum animo Clementem VIII. partim ob singularem, qua pollebat, eruditionem, partim ob felicem habitarum Disputationum exitum, partim ob lata virorum eruditorum judicia, ut si majores in luce moras fata dedissent, controversiam omnem secundùm Thomisticam Scholam dirimisset, litemque Prædicatoribus adjudicasset.

Sed inquiunt &c.

Pag. 572. *lin.* 12. *post hæc verba:* arbiter interfuerat.

Numquid demum cæteri omnès Purpurati Principes, Archiepiscopi, Præsules, variorum Ordinum Theologi qui contraria Perronio sentiebant, uti homunciones atque umbratici traducendi; aut velut extrema concio, turba inops & obscura, Judiciorum sacris submovendi? Sic certè sentire videntur Molinianæ partis Actores, qui quoties de celebri Auxiliorum Congregatione verba faciunt, unum Perronium ac Bellarminum in ore habent, tamquam penes illos tota res steterit: cæteros uti longâ nocte ignotos, silentio mittunt; cùm tamen minores in hujusce Causæ tractatione duo illi partes habuerint, nec nisi tardè admodum ac penè jam serò, in Judicium admissi sint. Bellarminus enim ad Congregationem duntaxat sexagesimam nonam, coram Clemente VIII. habitam, inter Judices admitti cœpit; Perronius ad sexagesimam septimam.

Cæterum &c.

Pag. 574. *lin.* 4. *à fine, post hæc verba:* ut iis utamur.

Ubi liberi arbitrii animæque virium usum à gratia soboleſcere profitetur; quo capite potissima Molinianæ controversiæ pars vertebatur.

Pag. 584. *in fine Libri.*

CAPUT XLVIII.

Bastidæ commentum, à Germano Becheferio Societatis Theologo nuper Parisiis instauratum, de peccatis obduratorum non imputandis, cumulatissimè confutatur. Peccati Philosophici nuperrimè recusus error exploditur, 1. Ex hoc effato: Ut peccatum imputetur nullam supernaturalem mentis illustrationem, aut excitationem voluntatis esse necessariam.

UT hanc Libro tertio mantissam addamus, facit nova Lutetiæ ab Societatis Professore tentata periclitatio, ut Peccati Philosophici errorem novâ larvâ obductum instauraret. Nihil quippe hoc de argumento in priori Editione nobis exciderat.

Diu est, cùm Molinianæ doctrinæ cardinem in peccati Philosophici errore tanquam principio potissimùm verti putant Theologi benè multi, colliguntque argumento non longiùs accessito, sed è re nato, ac sponte fluente. Cùm enim gratiam sufficientem actualem, in mentis illustratione, voluntatisque excitatione positam, idcircò maximè universis hominibus indiscriminatim præstò esse doceant, quòd aliàs admissa delicta vitio nobis minimè verterentur; id certè principii loco ponunt, eum peccati culpâ minimè teneri, Deumque re ipsa nequaquam offendere, qui nullâ sibi gratiâ affulgente & adspirante, de Deo actu ejusve lege non cogitaret.

Bastidam eo stetisse principio in Congregatione 45. coram Clemente VIII. obiter observavimus lib. 3. cap. 32. dum Lemosio acriter contendente, non omnibus gratiæ sufficientis Auxilium præstò esse, illicò subintulit: *Si omnibus non datur auxilium sufficiens: ergo quando homo peccat, non potest illi imputari ad culpam:* quem idcircò Pelagiani erroris postulavit Dominicanus Interlocutor, *Hæc illatio*, inquiens, *est Pelagiana:* quo dicto, soluta Congregatio est.

Eodem deinceps arasse vitulo liberales gratiarum sufficientium largitores, adeò palàm est, ut solem lucere meridie probandum aggrediar, si id congestis illorum testimoniis adstruere velim. Notare hic sa-

tis fuerit, quam nuper Parisiis explicuerit scenam Germanus Becheferius Societatis Professor Theologus, ut hoc scholæ suæ placitum novam in lucem ederet. Theologicas ille Theses habuit die 14. Decembris 1699. in quarum 8. Positione, ad calcem primæ columnæ, hæc legebantur: *Unum peccatum sæpè est pœna alterius peccati; quatenus nempe obcæcatione punitur & obduratione, cùm Deus priùs desertus peccatorem deserit. Tres sunt desertionis gradus: primus gratiam uberiorem, secundus minorem aliam, tertius verò omnem omninò excludit. Peccata gravia primo & secundo desertionis gradu in hac vita puniuntur: nulla autem puniri desertione summa, ita ut Deus opem gratiæ omnem peccatori subtrahat, magis videtur Augustini opinioni congruere, & apertè docet Autor libri De vocatione Gentium. Eorum qui aiunt peccatores nonnullos ita deseri à Deo, ut ab interiore illius luce penitùs secludantur & priventur omni motu, non una est opinio. Alii enim errant dum asserunt, peccatori planè obcæcato & indurato peccata nihilominus imputari: alii tolerabiliùs sentiunt, dum negant.*

Verùm cùm gravis ex ea positione nata offensio esset, eámque Doctores Sorbonici benè multi configendam censuissent, sententiam videlicet rogati ab Illustrissimo Parisiensium Archiepiscopo Ludovico Antonio de Noailles, quem piæ memoriæ Innocentius Papa XII. ob præclara merita Cardinalitiâ purpurâ postea donavit, ut obortæ offensioni satisfaceret Becheferius imminensque judicium declinaret, sequentem declarationem Eminentissimo Præsuli dedit, die 3. Aprilis 1700. Rectore Collegii offerente, Novitiatus quoque Rectore præsente, in obsequii atque officii fidem.

DELATIS *ad Illustrissimum ac Reverendissimum Ecclesiæ Principem Archiepiscopum Parisiensem querelis super quadam positione mea, de excæcatorum & obduratorum peccatis, ex Thesi quam die 14 Decembris anni 1699. propugnavi: hanc mentis meæ explicationem eidem Illustrissimo Præsuli, summa qua par est animi submissione obtuli, paratus deinceps quoties occasio tulerit, quàm maxima potero obsequii mei argumenta, pari cum fiduciâ reverentiâque exhibere: ut intelligant omnes quantum tribuam judicio atque authoritati sapientissimi Antistitis, quem summo Ecclesiæ bono inter sacræ doctrinæ custodes atque interpretes divina dispositio constituit.*

Primùm itaque profiteor, nunquam in ea me sententia fuisse, ut crederem eos qui vocantur obcæcati & indurati, non peccare amplius, vel sua illis peccata minimè imputari à Deo; immò me semper tenuisse, & nunc etiam tenere, ex Scriptura & Patribus certò constare, quòd peccent, & quòd peccata illis imputentur. Simul agnosco positionem meam ita generalibus verbis conceptam fuisse, ut justam hujus explicationis postulandæ causam præbuerit.

Profiteor insuper, quantumvis mihi persuasum sit obduratos nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta sufficiat, haud propterea voluisse me ullâ censurâ notare illos, qui nec pauci sunt nec infimi nominis, Theologos è Catholicis, quos contraria in opinione æquè in Ecclesia permissa versari certum est: neque, cum in prædicta positione dixi errare illos, aliud à me intellectum esse, quàm quod fallantur.

Cujus sententiæ meæ, pariter & singularis adversùs Illustrissimum ac Reverendissimum Ecclesiæ Principem observantiæ ac submissionis, ipso benignè annuente, perpetuum hoc exstare monumentum volui manu mea subscriptum. Parisiis die 3. Aprilis anno 1700.

GERMANUS BECHEFER.

Quisquis hanc Becheferii declarationem cum defensata positione contulerit, facilè colliget, eum quidem professum ultrò, obcæcatorum atque induratorum peccata, iisdem re ipsa crimini verti, quòd illos nusquam omni interiori gratiâ destitui putet; eosdem tamen culpâ vacaturos innuisse, si interioribus Auxiliis privarentur. Quare nec Theseos assertionem revocavit; sed quod absolutè ab eo dictum putabatur de peccatis obdurato non imputandis, (unde maximè suborta offensio fuerat) id à se velut incommodum ex aliorum Theologorum sententia derivatum haberi voluit.

Nostrarum itaque partium esse duximus, consectarium istud jam pridem à Bastida deductum, ad crisim exigere; paulóque distinctiùs explorare, an ii Theologi re ipsa fallantur, qui cùm induratos & obcæcatos omni ad certum vitæ tempus interiori auxilio destitutos existiment, iisdem peccata vitio dari nihilominùs asserunt? Annon potiùs ii Philosophici peccati proscriptum errorem obliquè recudant, qui delictis imputandis necessariam gratiam arbitrantur, illosque peccatis absolvunt, qui internis auxiliis justo Dei judicio privarentur?

Ac primò quidem, ingentis temeritatis & audaciæ esset, eam celebriorum Theologorum sententiam proscripti à Pontificibus erroris insimulare, quæ homines induratos & obcæcatos, auxiliis interdum sufficientibus ad certum vitæ tempus destitutos ait, in obdu-

obdurationis & cæcitatis pœnam. Gratias Becheferio plurimas, quòd id demùm ſua illa declaratione profeſſus eſt! Cùm enim Janſenius uno eodemque contextu duo hæc promiſcuè poſuiſſet, Gratiam poſſibilitatis, quam ſufficientem recentior ſchola vocitat, juſtis interdum deeſſe & obcæcatis; nonnullaque Dei præcepta, utriſque ſecundùm præſentes quas habent vires, qualitercunque impoſſibilia contingere; complexam periodum ſecuerunt Delatores: partem alteram, quæ obcæcatos gratiâ poſſibilitatis interdum deſtitutos, ac voluntaria illa implendorum quorumdam mandatorum impotentiâ laborantes ſtatuebat, intactam reliquerunt; alteram, quæ juſtos eâdem ſorte implicabat, ſacro Anathemate feriendam obtulere. Ita quippe Janſenius ſcripſerat lib. 3. de Gratia Salvatoris capite 13. unde primam illam Propoſitionem excerptam voluere Delatores: *Hæc igitur omnia plenissimè planissiméque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius atque fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus, secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deesse quoque Gratiam qua possibilia fiant.* Ita verò proſcribendam Sedis Apoſtolicæ judicio Propoſitionem, quæ inter quinque famoſas ordine prima eſt, expreſſerunt: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia; deest quoque iis Gratia qua possibilia fiant.* Quorsùm autem tam diligens illa, tam cauta, tam ſtudioſa implexæ periodi Janſenianæ partitio, niſi quòd ſententiam alterâ parte expreſſam, ab omni errore remotiſſimam cenſerent, & ab omni Eccleſiæ cenſurâ liberam judicarent? Id nonnullos recentiores meminiſſe velim, ne ultra quàm debeant, immò & ultra quàm ipſimet Janſenii Delatores voluerint cenſoriam virgam extendant.

Jam quibus Doctoribus ac Magiſtris ea ſe circumſepiat Theologorum aſſertio, qui obcæcatos & induratos ad certum vitæ tempus internis excitationibus aliiſve poſſibilitatis auxiliis juſto Dei judicio interdum exutos exiſtimant, novit ultrò Gabriel Vaſques, largus ille Gratiarum ſufficientium diſtributor, dum ſeſe ab Auguſtino, Proſpero ac Fulgentio, ſummis divinæ gratiæ Magiſtris, ſegregem faſſus eſt, diſp. 97. in 1. Partem D. Thomæ cap. 3. Cùm enim adversùs liberalem illam & prodigam gratiarum ſufficientium diſtributionem, pro qua totis lacertis depugnat, non pauca Divi Auguſtini, Proſperi ac Fulgentii teſtimonia congeſſiſſet, hoc uno ſe reſponſo exſolvit: *Fateor sanè suspecta mihi esse testimonia Prosperi & Fulgentii, quòd diligentissimi & exactissimi Augustini discipuli sint, & oppositam videantur sequi sententiam, ut ex testimoniis superiori capite in prima classe relatis liquet. Locis ergo nunc à nobis allegatis, forsan gratiam exteriorum signorum, & beneficiorum medicinas etiam exteriores peccati concesserunt; in aliis verò auxilium interioris inspirationis, de quo nunc est controversia, negarunt. Verùm enimverò cùm de Dei misericordiâ multa magnaque jure præsumere debeamus, tamque egregia & præclara Scriptura prædicet, atque ex sola Dei voluntate pendeat tale auxilium alicui denegare; nisi nobis de hac voluntate manifestè constet, id nullo modo affirmare debemus. Ea verò voluntas non aliunde quàm Scripturâ, aut revelatione seu traditione potest innotescere. Cùm ergo nullo ex his modis Dei propositum nobis notum sit, temerè affirmabimus, illud auxilium aliquibus denegari: atque ab Augustino & aliis qui id docuerunt petere possumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti?* Ita Vaſqueſius, à quo potiori jure petere liceat, Undenam voluntatis Dei, internas inſpirationes omnibus promiſcuè largientis, certior ſit effectus; an feliciùs Auguſtino Scripturas ac traditiones internoverit, altiorique ſupernæ lucis revelatione perfuſus ſecretiora arcana perviderit. *Miror admodùm*, inquiebat quondam aliàs Bernardus Claræ-vallenſis Epiſt. 77. ad Hugonem, *si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire potuerit in hoc rationem, quæ sanctum Patrem latuerit Augustinum.*

Neque verò Vaſqueſium Cenſuræ in Auguſtinum ejuſque diſcipulos latæ pœnituit unquam; quin eam potiùs inſtauravit, in ſuis ad primam ſecundæ D. Thomæ Commentariis, diſp 193. cap. 4. ubi poſtquam ſanctiſſimi Doctoris mentem ita paucis expoſuit: *Existimat Augustinus, homines in hac vita propter ingentia peccata, in quæ fuerint prolapsi, aliquando sufficiente etiam auxilio ita destitui, ut deinceps non possint non peccare*; quod ex libro de Correptione & Gratia probare ſatagit, ita demum in clariſſimum divinæ Gratiæ Vindicem cenſoriam virgam exercet: *Mihi in hac parte non probatur doctrina B. Augustini, ut dixi 1. parte in illa disputatione 97. cap. 3. sed existimo aliter esse philosophandum de donis, quæ in primo Parente perdidimus.*

Aliter ut libet philoſophetur Vaſqueſius,

philoſophentur & alii pro arbitrio Molinianæ ſcholæ Profeſſores ; contemtoque Auguſtino, cæteriſque ſummis Divinæ Gratiæ Magiſtris, gratias ſufficientes larga manu infidelibus univerſis, peccatoribus induratis & obcæcatis elargiantur, non eſt hujus loci & otii ejuſmodi philoſophemata ad examen vocare. Verùm quod in ea gratiæ prodigentiâ adſtruenda, iis hodie principiis innitantur, quæ obliquè peccati Philoſophici errorem inſtaurent, potiſſimaque Moralis Chriſtianæ fundamenta ſuffodiant, nemo ferreo licet ſtomacho concoquet. Dicant, ſi lubet, nuſquam à Deo ita deſeri ſceleſtiſſimos homines, qui diuturno peccandi uſu penitùs obduruerunt, ut ſua illis auxilia certo vitæ tempore ſubſtrahat ; quòd ita nempe Deo placeat miſericordiæ theſauros oſtentare ; quòd nuſquam miſerendo delaſſetur ; quòd juſtitiæ vindicis partes omnes in alterum ævum mittat ; quòd iræ vaſa indefeſsâ patientiâ ſuſtineat; nullam eis erroris notam inuremus, tametſi illos ea parte, ab Auguſtino toto oſtio aberrare contendamus. Verùm quòd eò fiduciæ tandem veniant, ut peccatoribus induratis & obcæcatis nuſquam actuales gratias ſufficientes ſubſtrahi, ſed iis illos indeſinenter excitari moverique velint; quòd aliàs eorum peccatorum culpa vacarent, quæ in ipſo obdurationis ac cæcitatis ſtatu continuò perpetrant, nemo non ſuccenſebit, nemo non indignabitur vehementiùs.

Eccur enim, amabo, ſufficientibus auxiliis deſtituti, culpâ vacarent, dum in eo miſerando obdurationis ſtatu, in omnia ſcelera præcipites ruunt? Nunquid enim ſuâ etiam tunc libertate non potiuntur? An voluntatem ad oppoſita potentem non gerunt? An non norunt, vident, eligunt pro arbitrio? Sublatis enim auxiliis, non ſublata libertas eſt, ſed ſufficientia libertatis: & ſi qua demum incumbit peccandi neceſſitas, non illa abſoluta eſt & à voluntate ſejuncta, qualis eſt neceſſitas moriendi in homine mortali, quæ neceſſitas manet etiamſi eam velis excutere, ſed eſt neceſſitas ex pertinaci ſui & creaturarum amore procedens, adeóque voluntaria, ut quæ aliunde non provenit quàm ex corrupta & depravata voluntate, immò nihil aliud eſt quàm corrupta & depravata voluntas, ſeu conſtans peccandi libido. Nam, ut ſcribit S. Bernardus Sermone 81. in Cantica: *Neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem ; nec voluntas, cum ſit illecta, excludere neceſſitatem.* Hanc neceſſitatem, quæ procul abeſt à neceſſitate naturalis inclinationis, neceſſitatem infallibilitatis appellare amabunt Scholaſtici, quâ quidem obdurati & excæcati, etiam actuali auxilio deſtituti, nunquam ad certum peccatum adiguntur, licet fieri non poſſit ut diu ſe ab omni contineant, & non in aliquod propriæ voluntatis impetu acti præcipites ferantur, juxta vulgatum illud Innocentii PP. I. oraculum: *Neceſſe eſt ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.**

* *Innocentius I. in Epiſtola ad Carthaginenſe Concilium & Celeſtinus I. in Capitulis de Gratia.*

Certè ſi bonis omnibus ſtomacho fuit lex illa, à Molina iratis ſuperis excogitata, quâ Deus illis omnibus gratiam ſuam certiſſimè collaturus fingitur, qui pro naturalium virium facultate adniſi fuerint, ut novâ ope muniti fructus æternâ vitâ dignos edant ; quidni potiùs movebit ſtomachum procuſum alterum paradoxum, quo ſtatuitur, iis omnibus actualem gratiam adfuturam, qui obfirmatâ mente peccare voluerint, ut ea luce perfuſi, æterna damnatione digni cenſeri poſſint? Quaſi jam gratia non implendæ duntaxat legi neceſſaria cenſeatur ; ſed & perpetrando peccato, & æternæ damnationi accerſendæ.

Satis ſit, duo chriſtianæ Moralis capita ponere, unde hujuſce paradoxi vanitatem, & derivati ex Auguſtini ſententiâ conſectarii ineptiam facilè colligas.

Primum iſtud eſto : Peccari re ipſa poteſt, peccatumque ad pœnam æternam imputari, tametſi nulla menti illuſtratio in anteceſſum affulgeat, nullâque ſupernâ excitatione pulſetur humana voluntas. Quare cùm Gratiam ſufficientem in mentis illuſtratione ac voluntatis excitatione poſitam dicant illi ipſi quibuſcum res nobis eſt ; reſtat ut induratos & obcæcatos, ne culpâ quidem vacaturos fateantur, tametſi ſufficientia illis Auxilia præſtò non eſſent.

Ita planè ſtatuiſſe videntur Paleſtinæ Eccleſiæ Præſules, in Synodo Dioſpolitana, dum nefarium illud Pelagianæ ſectæ paradoxum anathemate petierunt : *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*, uti apud D. Auguſtinum legere eſt, libro de Geſtis Pelagii cap. 18. Satis enim voluntatis ineſſe ſignificarunt peccatis illis, quæ mente per oblivionem & ignorantiam cœca à nonnullis admittuntur, ut eis ad culpam imputari re ipſa poſſint. Etſi enim

non

non in peccatum facti, at certè infactum peccati voluntate propria & libera feruntur.

Ita pronunciarunt Præsules Gallicani, & Parisiensis Academiæ Theologi, dum hanc Propositionem ex Jesuita Baunio petitam, *uti falsam & viam ad excusandas excusationes in peccatis aperientem*, concordi consilio proscripsere anno 1641. *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur.* Cui Censuræ calculum adjecit Academia Lovaniensis anno 1657. die 4. Maii, dum ab Illustrissimo Episcopo Gandavensi sententiam per Epistolas rogata de nonnullis laxioris Moralis paradoxis, hanc assertionem numero 25. confixit, uti communia Christianæ Theologiæ principia concutientem, & innumera etiam immanissima hominum peccata cum pernicie animarum excusantem: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine qui noscit & percipit, quid boni malive in ea sit: & antequam id videat, & animum reflectat, actio neque bona est neque mala.*

Ita demum edixit Alexander VIII. Pontifex Maximus anno 1690. die 24. Augusti, dum errorem peccati Philosophici, publica bonorum omnium indignatione prædamnatum, extremo Apostolicæ authoritatis telo confixit; dirisque devovit quotquot *scandalosam hanc, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam* assertionem docerent atque defenderent: *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Nemo quippe est qui non videat, errorem hunc ab Alexandro proscriptum, eo ut monui principio veluti cardine niti, quo largi illi ac liberales Gratiarum sufficientium distributores fabulantur, nullum re ipsa veri nominis peccatum admitti, nullamque Deo offensam inferri, æternâ pœnâ plectendam, nisi præviâ illustratione animus perfundatur, internaque excitatione pulsetur humana voluntas. Immò non alio illum argumento muniebat, in dictatis scriptis, Professor Theologus Divionensis, à quo in publicam Thesium lucem editus est, nec alio principio nitebantur illi ipsi, quos assertionis suæ Magistros ac duces proferebat. Quidni ergò malam Arborem eodem cum fructibus telo petitam asseramus?

Secundùm hæc nuperrimè pronunciavit Illustrissimus Rothomagènsium Archiepiscopus, dum P. Buffierum Jesuitam, à quo idem ille peccati Philosophici insanus error, sparso per Normaniam libello recusus fuerat, solenni Decreto damnavit; jussitque ut scripto publico hisce duabus Propositionibus inter multas alias subscriberet, in obsequentis ac pœnitentis animi fidem: 1. *Quod spectat ad peccatum philosophicum, damno quod summus Pontifex Alexander VIII. Decreto suo damnavit* 24. *Augusti* 1690. *Ipse autem privatim agnosco (ut & Jesuitæ jam publicè agnoverunt in sententia sua publico scripto edita super peccato philosophico) non esse necessarium actu attendere animum ad malitiam actionis, ut peccato imputetur.* 2. *Obcæcati & indurati peccatores, qui cædes, adulteria & alia scelera, sine ullo conscientiæ stimulo perpetrant, ne minimè quidem cogitantes hujusmodi sceleribus offendi à se Deum, aut hæc contraria esse legi naturali, nihilominus merentur pœnas inferorum: nec quòd actu non attendant ad malitiam actionis, ideò peccati mortalis rei non sunt.* Qua de re legenda venit Eruditissimi Sapientissimique Archipræsulis Epistola Pastoralis, data die 28. Martii 1697. super libello per ejus Diœcesim vulgato; ubi hoc ipsum Moralis Christianæ caput, pro exculta eruditione ac singulari sanæ doctrinæ studio interpretatur, gravissimisque momentis exsequitur.

In hoc idem conspirat Cleri Gallicani Censura novissima, adversùs 127. Propositiones lata, die 4. Septembris 1700. quas inter hanc numero 112. legere est: *Si Peccatores consummatæ malitiæ cùm blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare* *. Cui quidem assertioni notam hanc facer confessus affricuit: *Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias aliaque peccata excusat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata est*: in Comitiis scilicet generalibus anno 1641. die 12. Aprilis.

Sed neque iis Ecclesiæ judiciis opus erat, ut suam ipsi cespitationem agnoscerent, quam tot sacrarum Scripturarum oraculis occupatam novissent facilè, si vel obiter animos intendissent. Quorsùm enim prævium illam suam mentis illustrationem, voluntatisque excitationem, necessariam autumant, ut quis admissi delicti reus habe-

* *Hæc propositio excerpta est ex Apologia Casuistarum Patris Pirot Jesuitæ pag. 38.*

haberi poſſit? Nempe, inquiunt, ut actionis pravitatem norit, reputet, atque perpendat; ſic enim fieri ajunt, ut qui ea præmiſſâ mentis attentione præceptum tranſilit, cupiditati ſuæ parens, Deum perversâ liberâque voluntate offendiſſe cenſeatur. At ſi ſic eſt, impii Satellites ac Judæi, qui Chriſtum Cruci ſuffixerunt, peccati rei cenſendi non erunt: tantum enim abeſt, ut admiſſi ſceleris ac Deicidii gravitatem attenderent, ut contra potiùs juſtitiam ſe adimplere arbitrarentur, Chriſtumque uti ſeductorem haberent: quippe qui *ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1. Corint. 2. Pari jure Saulus culpâ vacaſſe cenſendus erit, dum ſpirans minarum & cædis in Eccleſiam tureret: utpote qui actionis pravitatem non modò non noverat, ſed contrà potiùs ſe laude dignum arbitrabatur, quòd ſupra coætaneos avitas Traditiones æmularetur. *Audiſtis*, inquit, *converſationem meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum Traditionum*: ad Galatas 1. Non abſimiliter Apoſtolorum perſecutores nullâ pœnâ digni putandi erunt, qui à penſandâ delicti ac tyrannidis gravitate adeò procul erant, ut potiùs hac ipsâ perſecutione obſequium ſe Deo præſtare arbitrarentur, juxta illud Chriſti Diſcipulos alloquentis oraculum: *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Joannis 16. Atheos demùm omnes, Paganos, infideles in deſideria cordis traditos integrâ veniâ dignos æſtimare par erit, de quibus ſcribit Apoſtolus ad Epheſios 4. *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Hi quippe non modò ad ſcelerum pravitatem non attendunt, ſed effræni potiùs impetu ac ſacrilegâ quadam oſtentatione nefanda ſcelera perpetrant, nullóque retrahente conſcientiæ morſu, ſolutis habenis in illicita deſideria ruunt. Atque ita felicior eorum conditio cenſebitur, quàm fidelium, qui cùm Deum norint legem, ejus meditentur, delictorum gravitatem ſeriò penſitent, illatæ Deo injuriæ rei cenſentur, quando peccant; aliàs, ut iſti quidem autumant, minimè peccaturi, ſi nec ſcirent, nec adverterent. Immò, quod ſtupendum magis, ſua ipſa ſceleſtiſſimis peccatoribus cæcitas & obduratio lucro erit, quæ illos à peccatis abſolvet, magnaque divinæ gratiæ pars reputabitur, ignoratio divinitatis. Abſit ut violentam conſecutionem, ac minùs ex inſulſo ſyſtemate fluentem affingam: hanc ipſam ex jacto principio derivavit Nodi Prædeſtinationis Diſſolutor Parte 1. §. 2. N. 11. pag. 152. cujus verba dum lego atque exſcribo, oculorum fidem tento, ac mihi ipſi vix credo. *Card. Sfondratus.*

Demus barbaras gentes ita Deum ignoraſſe: id quoque magna beneficii & gratiæ pars fuit. Cùm enim peccatum ſit eſſentialiter offenſio & injuria Dei, ſublata Dei cognitione neceſſariò ſequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam eſſe. Ergò cum hac ignorantia impeccabiles reddentur, alioquin certiſſimè peccaturi ſi agnoſcerent, ſequitur hoc ipſum beneficium eſſe, juxta illud Apoſtoli, „Meliùs erat illis non cognoſcere viam ju„ſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum „converti ab eo, quod illis traditum eſt, „ſancto mandato. 2. Petri 2. *Ergo ſive barbari agnoſcant, ſicque invocare illum & ſalutem conſequi poſſint, ſive penitùs ignorent, & ideò nec poſſint peccare, ſemper verum erit, ne illis quidem miſericordiam deeſſe.*

Fruſtra verò recenſitis Scripturarum exemplis reponunt aliqui, ut ab eo ſe laqueo liberent, Peccatores excæcatos licet & obduratos, iis illuſtrationibus & excitationibus cælitùs immiſſis continuò perfundi; ſed ad eas minùs attendere. Illud quippe figmentum ex inſtituto refellit Cardinalis Bellarminus, lib. 2. de Gratia & libero Arbitrio cap. 6. *Dicunt aliqui, Deum quidem perpetuò pulſare ad oſtium cordis, & peccatores vocare, ſed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem. Sed hac reſponſio cum ipſo experimento apertiſſimè pugnat. Nam cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei, ſit actio noſtra, quamvis non libera, nimirum bona cogitatio, bonumque deſiderium repentè ac divinitùs immiſſum; quomodo poteſt fieri, ut non ſentiatur à nobis, ſi fit non ſolum in nobis, ſed etiam à nobis?* Quamquàm etſi daremus, pias illas excitationes & illuſtrationes ſingulis peccatoribus cælitùs immitti, quas tamen illi minùs adverterent, totum id in idem rediret. Eſſent illæ prorsùs inutiles, nec peccatores excitarent, nec implendi officii admonerent, nec offenſæ gravitatem oſtenderent. Uti enim ſomno correptus, voce minùs perceptâ non excitatur,

ita

ita qui sceleribus obduruit, inspiratione minùs perceptâ excitari haud potis est. Atque idcircò peccati reus esset (quod hìc demonstrandum aggredimur) tametsi delicti gravitatem infusâ desuper luce minùs norit atque percipiat.

En in quantas angustias liberales isti gratiarum sufficientium largitores adiguntur : ut gratiam sufficientem in omnes effusam, positam dicant in excitatione quæ non excitet ; in cogitatione, de qua minimè cogitetur ; in piis denique motibus, qui ab illis ipsis qui moventur nullatenùs sentiantur : quasi vel fieri possit, ut quis excitetur non excitatus, cogitet incogitans, immotus denique moveatur.

Vis alia ejusdem systematis consectaria? Audi quî Apostoli simul & Augustini doctrinam de lege & gratiâ concutiant. Ii quippe millies decernunt, Litteram sine Spiritu occidere ; legem sine gratiâ facere magis reos ; legem apud eos quos non adjuvat gratia, virtutem esse peccati ; legem demùm mortem illis contulisse, quos Dei gratia non liberavit. Verùm qui neminem peccare contendunt, nisi gratiam interioris illustrationis atque excitationis acceperit, mutant quadrata rotundis : nempè principii loco ponunt, legem sine gratiâ reos facere non posse, sed cum gratiâ sufficiente sæpiùs facere : legem sine gratiâ occidere neminem ; accedente nihilominus gratia, occidendi vim obtinere : legem iis quos gratia non adjuvat, mortem inferre non posse, sed mortis inferendæ virtutem, gratiæ sufficientis opitulatione sortiri. Quid tandem? Christum pro impiis mortuum scribit Apostolus, ut à peccato liberarentur ; isti Christum pro impiis mortuum statuunt, ut gratiam illis promereretur sine qua peccare non possent, & qua acceptâ infallibiliter, pro pertinaci sua malitia peccaturi sunt. *Nihil liberum arbitrium, nisi ad peccandum valere,* pronunciat Augustinus, *si lateat veritatis via* ; isti nihil ad peccandum valere docent, si veritas lateat.

Lib. de Spir. & litt. cap. 3.

Sed ab iis, qui ita de sceleratissimis atque obstinatissimis peccatoribus liberaliter statuunt, ut nusquam illos peccare putent, nisi prævia illorum mentibus illustratio affulgeat, & pia voluntatibus excitatio prævolet, ab iis, inquam, scire velim, an ipsi de se ipsis spondere audeant, nullum unquam sibi subrepsisse peccatum, per improvisas offensiones, per tacitas libidinis illecebras, per occultas sensuum insidias, per linguæ intemperantiam, per subitos æstus, per ignorantiam, per errorem ; quin præcesserit in animo, per piam cogitationem, admissi peccati cognitio, infirmitatis suæ notitia, excitatio ad orandum, pium denique desiderium à peccato retrahens? Id si velint, quid causæ erit, ut ad Deum assiduè justi clament, *Ab occultis meis munda me, Domine* ? Quid causæ erit, ut ità Dominum deprecentur, *Ignorantias meas ne memineris* ; si nullum unquam peccatum occultè sese in animum insinuaret, nullaque per ignorantiam aut incogitantiam culpa posset admitti? Cur vigilarent adversùs diaboli insidias, si re ipsa peccare non possent, quin priùs illâ pervigili cogitatione excitarentur? Rem longè aliter statuit Augustinus, peccatique cognitionem persæpè deesse significat, dum peccatur : *In multis offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere, vel non displicere quod facimus ; & postea per Scripturam ejus, sive certâ & perspicuâ ratione commoti, cùm didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo precamur, ut ignoscat. Plena humana vita est talibus documentis.* Lib. de Spir. & litt. cap. 36. Quantò minùs igitur licentiores homines iis motibus excitari putandi erunt ; à quorum mentibus Deus abest, quique omni vitiorum cœno demersi sunt? Ecquis enim credat, homines per illicita desideria diffluentes, sensuum cupiditatibus implicatos, interim tamen castitatis, religionis, humilitatis, cæterarumque virtutum affectibus sæpissimè tangi? Quis iis excitatos Philosophos dixerit, ut & morbi gravitatem, & medici necessitatem agnoscerent, ac de ejus efflagitanda ope cogitarent ; cùm contrà potiùs naturæ vires superbiùs efferrent, certóque statuerent, virtutem Dei munus non esse, nec pro ea quemquam Deo supplicasse? Quis Epicureos, qui mundum negabant providentiâ regi, Deumque injuriâ affici dictitabant, si quis ejus opem imploraret, quasi in ipsum ulla rerum nostrarum sollicitudo & procuratio cadat? Quis tandem cultores idolorum atque atheos, quoties ipsos ad peccandum cupiditas allicit, toties ea experiri dixerit desideria orandi verum quem ignorant Deum, ut ab ipso veras, quas item ignorant, virtutes accipiant?

Nihil itaque tam insulsum, tam absonum, quàm interioris inspirationis gratiam, peccatis admittendis aut certè imputandis necessariam comminisci : quasi hæc minùs libera ac voluntaria censerentur, quæ nullâ præfulgente illustratione, nullâ stimulante supernâ excitatione perpetrantur. An non enim libera illa putanda sunt, quæ à volentibus admittuntur, immò etiam

quia

quia volunt? Licentiores porrò homines, impii, athei, indurati, obcæcati, tametsi deserti divinis auxiliis censeantur, volentes utique peccant, ac etiam quia volunt; eligunt pro nutu atque arbitrio quæ Deum offendant.

Totum id luculentissima ratione confirmat D. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 15. peccatum admitti asserens, sola voluntate facti, nulla licet accedente voluntate peccati: hoc est, peccati reum illum esse, qui rem jure vetitam agit, tametsi vetitam nesciat, nullâque perpetrandi peccati intentione feratur. *Nam & quod nesciens peccavit*, inquit sanctissimus Doctor, *non incongruenter nolens peccasse dici potest; quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum. Quod enim si noluisset non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec peccatum sine voluntate esse potuit; sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit. Hoc enim factum est quod fieri non debuit.* Porrò si actionis pravitatem nosse, illamque perpendere opus esset, ut quis delicti reus haberi posset, nusquam peccaret ille, qui nescit peccatum id esse quod agit: nusquam sola voluntate facti peccatum voluntarium esset, sed semper voluntate peccati.

Suffragatur utroque pollice Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 46. art. 2. ad 2. hanc ipsam duplicis voluntatis distinctionem ab Augustino statutam, qua vel una Philosophici peccati insulsus error, ejusdemque ruinosum fundamentum suffoditur, suam facit ac probat. Cùm enim hoc sibi obviam feciset argumentum: stultitiam voluntariam non esse, atque ita peccatum esse non posse, ita reponit: *Dicendum quòd quamvis stultitiam nullus velit, vult tamen ea ad quæ consequitur esse stultum, scilicet abstrahere sensum suum à spiritualibus, & immergere terrenis. Et idem etiam contingit in aliis peccatis: nam luxuriosus vult delectationem, sine qua non est peccatum, quamvis non simpliciter velit peccatum: vellet enim frui delectatione sine peccato.* Quo nihil explicatius, nihil luculentius desiderari à quoquam potest; ut peccati quis reus intelligatur; tametsi nil de peccati gravitate cogitet, nullâque illius admittendi voluntate feratur. Hoc idem confirmat quæst. 1. de Malo art. 3. ubi tantum abest, ut illum culpâ vacare dicat, qui rationis regulam, qua peccati gravitas dignosci potest, non attendit; ut ea maximè parte culpæ principium ponat, quòd operi manum admovens rationis regulam non advertat. *Hoc ipsum*, inquit, *quod est non attendere actu, ad talem regulam in se consideratam, non est malum, nec culpa, nec pœna: quia anima non tenetur nec potest attendere ad hujusmodi regulam semper in actu: sed ex hoc accipit primò rationem culpæ, quòd sine actuali consideratione regulæ procedit ad hujusmodi electionem. Sicut artifex non peccat in eo quòd non semper tenet mensuram, sed ex hoc quod non tenens mensuram procedit ad incidendum.* Quibus verbis statuta Moralis Christianæ regula mirum in modum confirmatur.

CAPUT XLIX.

Ejusdem insulsi systematis falsitas demonstratur ex altero hoc Christianæ Moralis Theologiæ axiomate: A culpa non excusare impotentiam voluntariam seu propria iniquitate contractam.

ALterum Moralis Christianæ caput, unde insulsi systematis falsitatem apertiùs eruas, istud est. A culpâ non vacat, qui implendi præcepti impotentiâ laborat, si in eam semetipsum sponte conjecerit, illamve propriâ iniquitate contraxerit volens ac sciens. Cùm igitur obcæcatus & induratus, auxiliis sufficientibus destitutus, in implendi præcepti vitandique peccati voluntaria impotentia remanet, hanc sibi sufficientium auxiliorum sequestrationem prioribus delictis sponte liberéque admissis asciverit, voluntariamque impotentiam sua pridem iniquitate contraxerit; eorum certè delictorum culpâ non vacat, quæ in eo cæcitatis & obdurationis statu quadam veluti necessitate committit.

Hanc Moralis Christianæ Regulam non modò posuit Augustinus, atque ex illo mutuatus est Doctor Angelicus; verùm etiam consecutionem ipsam, ex eo facto principio derivant: virosque induratos & obcæcatos, divinis illis illustrationibus & excitationibus exutos, delicti nihilosecius reos agunt, quòd iis priori culpâ destituti supponantur.

Præstò est celeberrimus Augustini locus lib. de Correptione & Gratia cap. 11. ubi de Auxilio sine quo non, videlicet sufficienti, ut recens schola loquitur, prolixiorem sermonem instituens, illud Angelo & homini primo ideò maximè collatum docet,

cet, quòd aliàs ſublato illo poſſibilitatis auxilio, ſua culpâ non cecidiſſent, cùm nullam in eis culpam reperire eſſet, cujus merito negaretur : ſecùs tamen in præſentia ſentiendum decernit, cùm in præcedentis peccati pœnam ſubtrahi poſſit. Explicatiſſima verba ſunt: *Si autem hoc adjutorium cum primùm facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet ſine quo perſeverare non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.* Suâ itaque culpâ cadunt quotquot in ſtatu naturæ lapſæ poſſibilitatis Auxilio ſeu gratia ſufficienti deſtituti, in nova ſcelera præcipites ruunt; quia nonniſi præcedentium delictorum merito gratia illa ſubtracta eſt.

Accedit alter, libro de Perfectione Juſtitiæ capite 6. Auguſtinum hac argutiâ petierat Celeſtius, ut ejus reſponſa nonnulla in invidiam traheret: *Si eſt aliquod peccatum quod vitari non poſſit, quomodo juſtus Deus dicitur, ſi imputare cuipiam creditur, quod vitari non poſſit?* Quid ad hæc porro divinæ Gratiæ Vindex? Num fortè reponit, nullum reipſa peccatum eſſe, quod à quovis homine ſuperari non poſſit; quòd nimirum, ſubtractâ licet actionis gratiâ, unicuique quamvis obcæcato & indurato poſſibilitatis gratia præſto ſit? Erat id dubio procul reſponſurus, ſi quod largi auxiliorum ſufficientium diſtributores effutiunt, Auguſtino probatum eſſet; nihil quippe confutandæ Pelagianorum argutiæ opportunius contigiſſet. At longè aliam viam init. *Peccatum eſt*, inquit, *cum vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet: ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.* Satis videlicet perſpectum habens, homini poſſibilitatis gratiâ deſtituto peccatum nihiloſeciùs imputari, quòd illam præcedentibus delictis amiſerit. Quare cùm importunus cavillator quæſtionem alteram moviſſet: *Si non poteſt homo ſine peccato eſſe, cujus culpa eſt? Ipſius-ne hominis, an cujuſvis alterius? Si ipſius hominis, quomodo culpa hominis eſt, ſi hoc non eſt quod eſſe non poteſt?* Non utique reponit ſanctiſſimus Doctor, ideircò hominis culpam eſſe, quia ei, tametſi auxiliis efficacibus deſtituto, præſto ſunt ſufficientia, queis expedita eſt vincendi peccati poteſtas; ſed jactis principiis hærens, *Reſpondetur*, inquit, *ideo eſſe culpam hominis, quòd non eſt ſine peccato; quia ſola hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit.* Ut hinc noveris, imputando peccato ſatis eſſe, ſi quis in illam, quævis tandem illa ſit, peccandi neceſſitatem ſe ſponte conjecerit.

Tertius locus occurrit Tractatu 53. in Joannem: ubi hanc ipſam quæſtionem verſat ex inſtituto; qua videlicet ratione induratis & obcæcatis, qui nonnullâ credendi impotentiâ laborarunt, ſuæ nihilominùs infidelitatis rei cenſeri poſſent. *Quæ ſequuntur*, inquit, *Evangelii verba plus urgent, & profundiorem faciunt quæſtionem: adjungit enim & dicit*: Propterea non po- *Joan. 12. 39.*
„terant credere, quia iterum dixit Iſaias: *Iſaiæ 6. 10*
„Excæcavit oculos eorum, & induravit
„cor eorum, ut non videant oculis & in-
„telligant corde, & convertantur, & ſanem
„illos." *Dicitur enim nobis, Si non potuerunt credere, quod peccatum eſt hominis non facientis quod non poteſt facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium*, Propterea non poterant
„credere, quia iterum dixit Iſaias: "Ex-
„cæcavit oculos eorum & induravit cor eo-
„rum; *ut, quod eſt gravius, ad Deum referatur cauſa qua non crediderunt; quandoquidem ipſe excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum? Non enim ſaltem hoc de diabolo dicitur, ſed de Deo, quod ipſa Prophetica ſcriptura teſtatur. Nam ſi arbitremur hoc dictum de diabolo, quòd excæcavit oculos eorum & cor induravit; laborandum eſt quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, poſſimus oſtendere de quibus dicitur*, Non poterant credere. *Deinde quid reſpondebimus de alio Prophetæ ipſius teſtimonio, quod poſuit Paulus Apoſtolus dicens*: Quod quærebat Iſraël, hoc non *Rom. 11. 7.*
„eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt:
„cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum
„eſt, Dedit illis Deus ſpiritum compun- *Iſaiæ 6. 10*
„ctionis, oculos ut non videant, & aures
„ut non audiant, uſque in hodiernum diem?
Audiſtis, fratres, propoſitam quæſtionem, nempe quàm profunda ſit cernitis. Jam quid ad hanc Auguſtinus? Certè minùs rectè profundam quæſtionem vocitaret, ſi iis principiis hæreret, quæ largis illis Gratiarum ſufficientium diſtributoribus familiaria ſunt: aut ſi id fortè ſenſiſſet, quod Becheferius ei tam liberaliter affingit, nulla ſcilicet peccata puniri deſertione ſummâ, qua Deus opem gratiæ omnem peccatori ſubtrahat. Satis quippe eſſet verbo reponere, ineptè prorsùs quæſtionem hanc

agitari, quæ falsâ hypotheſi volveretur; cùm nuſquam uſque adeò obdurentur ſceleſtiſſimi peccatores, ut ipſâ etiam poſſibilitatis gratiâ deſtituantur: eáque idcircò de cauſa peccata in ipſo obdurationis ſtatu admiſſa, meritò illis vitio verti. Quin ita reſponſurus eſſet Becheferius, nullus dubito, cui ſcripto publico declarare libuit, perſuaſum ſibi eſſe, obduratos nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta ſufficiat. Verùm quæſtionis altitudinem ſenſit humilis Auguſtinus, alióque confugit, ut nodum ſolveret: Perverſæ voluntatis merito amiſſam reſpondit implendi officii facultatem; juſtoque Dei judicio, ſed occulto, ſequeſtratam illam poſſibilitatis gratiam. *Sed reſpondemus*, inquit, *ut poſſumus. Non poterant credere, quia hoc Iſaias Propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant, ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam pronunciavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt. Sed aliam cauſam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam cauſam dicit Propheta?* "Quia dedit illis Deus ſpiritum „compunctionis, oculos ut non videant, „& aures ut non audiant: & excæcavit „oculos eorum & induravit cor eorum. *At etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo: ſic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo & non adjuvando; quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Hoc omninò pietas religioſorum inconcuſſum debet, inviolatumque ſervare, ſicut Apoſtolus dicit, cùm eamdem ipſam tractaret difficillimam quæſtionem*: Quid ergo dicemus, inquit, nunquid iniquitas apud Deum? abſit. *Si ergo abſit, ut ſit iniquitas apud Deum: ſive quando adjuvat, miſericorditer facit; ſive quando non adjuvat, juſtè facit; quia omnia non temeritate, ſed judicio facit.* Prima igitur peccatorum induratis & obcæcatis imputandorum ratio, eorundem perverſa voluntas eſt, quâ deſertionem meruerunt: non illa internarum gratiarum nuſquam intermiſſa largitio, à Molinianis excogitata. Quod non abſimiliter adſtruit Auguſtinus ſermone 88. de Tempore, quæſtionem hanc movens data operâ: *Cur iniquitas illa Pharaoni imputetur, cùm Dominus cor illius obduraſſe referatur?*

Ad Sixtum nunc Epiſt. 194. n. 22.

Quartus Auguſtini locus ex Epiſtola 105. depromtus eſt. *Sed excuſabunt ſe*, inquit, *homines qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes, Quid nos fecimus, qui malè vivimus; quandoquidem gratiam unde benè viveremus, non accepimus..... Quid de nobis fit querela, quòd Deum offendamus malè vivendo, cùm illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obduravit miſericordiam non præſtando?* Quid ad tritam illam obduratorum obmurmurationem reponit Auguſtinus? An fortè, neminem à Deo deſeri deſertione ſummâ; atque ita peccare illos, quòd gratias actuales, quoties præceptum urget, accipiant? Immò, *Si ergo*, inquit, *illos non pudet hac excuſatione, non nobis, ſed Apoſtolo contradicere; cur nos pigeat eis quod dixit Apoſtolus, hoc idem atque identidem dicere: O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Explicatiùs verò Quæſtione 50. ſuper Deuteronomium: ubi de Pharaonis & Judæorum obduratione ſermonem habens, hanc ipſam difficultatem eliquat, quo clariori poteſt modo. *Simul*, inquit, *oſtendit Moyſes, & ſine adjutorio Dei homines intelligere & obedire non poſſe oculis cordis, & auribus cordis: & tamen ſi adjutorium Dei deſit, non ideò excuſabile eſſe hominis vitium: quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen juſta ſunt.* Nempe quia non aliâ de cauſâ auxilium ſubtrahit, quàm in præcedentium delictorum pœnam.

Atque hinc intelligere facile eſt, quid ſibi velit ſanctiſſimus Doctor in Expoſitione quarumdam Propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos, Propoſitione 62. dum ita de Pharaone pronunciat: *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.* Non enim Pharaonem jam induratum, peccato liberat. Ecquis enim hanc D. Auguſtino ſententiam affingat, repugnantibus tam diſertis tamque dilucidis S. Doctoris teſtimoniis? Sed imputati peccati primam radicem indigitans, non aliam eſſe monet, quàm quòd dignum ſeſe prioribus delictis exhibuerit, cui cor obduraretur à Deo. Non itaque ſecanda propoſitio eſt; quaſi primò abſolutè neget imputari Pharaoni, *quòd tunc non obtemperaret*; deinde rationem hujus non imputationis aſſignet, quia *obdurato corde obtemperare non poterat*: ſed continuatâ propoſitionis ſerie, negantis particulæ poteſtas in extremam partem transferenda venit, ut nimirum hunc ſenſum efficiat: *Non ideo hoc illi imputabatur, quia obtemperare non poterat, ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.* Imputari ergo certò ſupponit; ſed imputationis cauſam ex obtemperandi impotentia oriri negat; eamque ex iis duntaxat peccatis repetendam definit, queis

obdu-

obdurationem promeritus est. Si tamen Augustini propositionem secare omninò velis, quasi is Pharaonis jam obdurati inobedientiam, eidem non imputatam dixerit; alteram dicti hujus expositionem æquè facilem & accommodam damus. Obdurationem scilicet Pharaonis, peccatáque eo in statu admissa, dupliciter spectari posse respondemus: vel ut peccata sunt, vel ut pœnæ præcedentis peccati. Ut peccata sunt, soli homini obdurato imputantur: ut verò pœnæ sunt, non soli homini, sed Deo imputantur, hoc est tribuuntur, priorum delictorum gravitatem istorum permissione castiganti. Priora autem peccata, quibus dignum se præbuit peccator, ut à Deo desereretur, & cor illi obduraretur, ipsi soli imputantur, non Deo; quia sic peccata sunt, ut non sint pœnæ peccati. Responsum ex Augustini doctrinâ petitum est lib. 5. contra Julianum capite 3. *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur; & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Pharaoni itaque non imputari asserit Augustinus, quòd tunc obtemperare non poterat, si spectetur ejus obduratio, ut pœna peccati, quia, ut ait hoc ipso in loco, *de supplicio veniebat*: ipsi enim acciderat obduratio, *judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam.* Ei tamen imputabatur obduratio, & peccata quæcumque ipsam consecuta, quatenus peccata erant; siquidem veri nominis delicta censebantur, & quidem gravissima, pœnisque gravissimis punienda.

Toto igitur ostio aberrat obscurus Author Epistolæ manu scriptæ, ad Doctorem quemdam Sorbonicum directæ, occasione Theseos à Jesuitis defensæ die 14. Decembris 1699. dum ea ad Becheferium suum liberandum Augustini verba detorsit. Quin & illi insanum errorem affricuit imprudens, quem & Becheferius ipse publico scripto detestatus est. Quandoquidem Doctorem sanctissimum, non ex hypothesi, sed ex certâ sententiâ loquentem inducit, quasi Pharaonem non modò culpâ vacaturum dixisset, si desertione summâ à Deo mulctatus esset; sed tanquàm illum re ipsa ab iis peccatis liberum pronunciasset, quæ is in hac sua desertione perpetravit: quo nihil insulsum magis.

Quintus demum, ut alios mittam, Augustini locus, ex sermone quodam de Verbis Domini petitur, qui unus causæ quam agimus conficiendæ satis esset. *Peccator cum vult non potest, quia quando potuit noluit; & ideò per malum velle perdidit bonum posse.* De amisso interdum ab scelestissimis peccatoribus gratiæ sufficientis auxilio, sermonem ab Augustino institui eo loci, nullus ibit inficias, si verba paulò penitiùs observet, ac mutuò conferat. Eâ quippe potentiâ destitutum interdum peccatorem contendit, etiam dum vellet rectè agere, quâ priùs abusus est, quando noluit: porrò quæ illi antea potentia inerat rectè agendi, dum eâ ex voluntatis suæ perversitate abutebatur, non nisi gratiæ sufficientis beneficio soboleſcebat: nemo enim eâ abutitur potestate, quæ illi gratiæ efficacis beneficio confertur; ac nusquam contingit nolle eum, cui cumulatissima victricis auxilii potestas præsto est. Ut quid autem peccatorem eo desertionis statu positum culpâ vacare non reputat Augustinus, tametsi voluntaria illâ implendæ legis impotentiâ teneatur? Planè quia per malum velle perdidit bonum posse, hancque sibi qualem qualem impotentiam iteratis criminibus accersivit. Cui consonat illud aliud ex lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Illa est peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut si quis sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cum velit.* Hinc & illud lib. 1. Retr. cap. 15. *Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Quo ultimo S. Doctoris effato discimus, idem & peccatum, & pœnam peccati esse posse; eaque maximè ratione imputandum, quòd ex accersita prioribus delictis desertione consequatur.

Hanc ipsam Moralis Christianæ Regulam ab Augustino petitam scholis sacravit Doctor Angelicus, ut hoc idem evinceret: delicta scilicet induratis omni interdum possibilitatis auxilio destitutis nihilominùs imputari. Palmare est quod legimus lib. 3. contra Gentes cap. 159. & 160. ubi de Gratiæ necessitate disputat data operâ. Hoc sibi argumentum priori loco obviam facit, quo velut Achille militant Recentiores, ex Pelagianorum officinâ petito. *Cùm, sicut ex præmissis habetur, in finem ultimum aliquis dirigi non possit, nisi auxilio divinæ Gratiæ, sine qua etiam nullus potest habere ea, quæ sunt necessaria ad tendendum in ultimum finem, sicut est spes, fides, dilectio, & perseverantia; potest alicui videri, quòd*

non sit homini imputandum, si prædictis careat; præcipuè cùm auxilium gratiæ mereri non possit, nec ad Deum converti, nisi Deus eum convertat. Nulli enim imputatur quod ab alio dependet. Cui solvendo nihil accommodatius occurreret, quàm quod obtendunt Moliniani Professores; gratiam videlicet efficacem duntaxat subtrahi peccatoribus, at sufficientem singulis præsto esse; atque idcircò peccatis adstringi, quorum vitandorum potentiam elargitur. At longè aliter Angelico Magistro visum est, cui una sapit Augustini Regula, jam à nobis exposita. *Ad hujus*, inquit, *dubitationis solutionem considerandum est, quòd licet aliquis per motum liberi Arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire, ne eam recipiat.* Et paucis interjectis: *Cùm hoc sit in potestate arbitrii impedire gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. ad Timoth. 2. Sed illi soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.* Ut ergo peccata hominibus gratiâ etiam sufficienti destitutis imputari meritò possint, satis abundè putat esse Doctor Angelicus, si eam gratiæ subtractionem, objecto propriæ iniquitatis impedimento promeriti sint; eamque desertionem præviis delictis sibimetipsis accersiverint. Id luculentiùs verba subjuncta significant: *Quod autem dictum est, in potentia liberi arbitrii esse, ne impedimentum gratiæ præstent, competit his, quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem antecedentem declinaverit ad malum, non erit in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare.* Cæterum difficultatem absolvit omnem, quod sub finem capitis sexagesimi habet; omnesque ab importunis cavillatoribus offusas nebulas abstergit, quod coronidis loco ponit: *Quamvis autem*, inquit, *illi qui in peccato sunt vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur: sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sua culpâ incurrit.* Dicant enim, amabo, subtiles argutatores, si homo mero recoctus, homicidii, si quod tunc fortassis admittat, reus agitur, modò in ebrietatem culpâ sua inciderit; tametsi vitandi tunc homicidii impotens censeatur; quantò certiùs homo sufficientibus auxiliis destitutus, eorum nihilominùs scelerum reus erit, quæ in eo desertionis statu perpetrabit; ob id unum quòd in eam miseriam volens inciderit, eamque sibi repetitis sceleribus accersiverit? Majori quippe peccandi necessitate laborat ebrius, quàm desertus. Is quippe impotens sui nullo aut certè debili admodum liberi arbitrii usu pollet, sed pecudum more in scelus ruit: iste libero arbitrio oppositorum semper potenti fruitur, in actus prorumpit volens ac sciens, peccatóque reipsa consentit. Aliud quippe est libertas agendi, aliud sufficientia libertatis, ut schola loquitur: priorem ad utrumlibet habet obduratus, sufficientibus licet auxiliis destitutus; solàque posteriori in præcedentium delictorum pœnam exutus est: cùm contra homo mero depositus liberi arbitrii usu captus sit. At de his paulò infra.

Nil minùs præsenti instituto congruit quod habet idem Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 2. art. 5. ubi necessitatem fidei probaturus, hanc sibi in oppositum objectionem proponit: *Nullus tenetur ad id quod in ejus potestate non est: sed credere aliquid explicitè non est in hominis potestate, quia ad hoc indiget divino gratiæ auxilio, quod in sua potestate non habet: ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur.* Quidni & pannulo huic expeditam recentium istorum responsionem fuit, idcirco teneri omnes, quòd expeditam credendi facultatem, auxiliorum sufficientium ope nemo non habeat? At longè aliter: *Dicendum*, inquit, *quòd si in potestate hominis esse dicatur aliquid, excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulis fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium quibuscumque divinitùs datur, misericordiâ datur; quibus autem non datur, ex justitiâ non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut Augustinus dicit libro De correptione & gratia.* Quo responso objectam difficultatem eliquat: unumquemque scilicet ad id teneri inquiens, atque idcirco peccare, si minùs credat, tametsi divino auxilio destitutus; quòd illo nonnisi in præcedentis peccati pœnam destituatur. Hìc porro de Gratiæ sufficientis negatione sermonem esse, nullus ibit inficias, cùm de hac ipsa quæstionem habeat Augustinus, quem hujus sui responsi authorem advocat D. Thomas.

Juvat hoc idem, quod statuit ubique passim

passim de infidelitate *negativâ* sermonem instituens. Hanc peccato vacare constantissimè docet. Cur id verò? Num quia Infideles, quos negativos Schola vocat, sufficientibus ad credendum auxiliis destituti censeantur? Sanè cùm iis illos destitui censeat D. Thomas, nullam hujusce infidelitatis excusandæ commodiorem viam arripuisset, si vel unam Gratiarum sufficientium subtractionem excusando delicto satis esse existimasset. At longè aliam viam init. Hanc idcircò peccato vacare ait, quòd non ex antecedenti quopiam delicto liberè admisso derivetur, sed ex uno quod origine necessariò trahitur: cujus merito fit, ut iis Evangelii prædicatio negetur. Id enim infidelitatis negativæ nomine intelligendum ubique monet. Si enim contingat Evangelii prædicationem non unius originalis peccati merito subtrahi, sed & ob alia delicta ab iisdem infidelibus admissa, jam non *puræ negationis*, sed *contrarietatis* infidelitas erit, atque ita culpanda, quia jam fidei reluctari censebuntur. In id collimat universa hoc de argumento D. Thomæ doctrina, variis locis expressa: 2. 2. quæst 10. art. 1. 2. 2. q. 34. art. 2. ad 2. 2. sentent. dist. 39. quæst. 1. art. 2. ad 4. Unde videas, non ideo culpâ vacare aliquos, quòd divinis auxiliis spolientur, sed potiùs vitio illis jure verti, quòd hæc illis auxilia subtrahantur præcedentium & quidem liberorum delictorum merito. Quapropter infidelis merè negativus vix ullus est, aut certè, *rara avis in terris, nigróque simillima cycno.*

Quid plura? Eo nixus Augustini principio D. Thomas, peccata omissionis iis etiam vitio verti docet, qui implendi præcepti impotentiâ tenentur, si in eam se sponte conjecerint, volentes utique ac scientes: eáque dicti sui exempla ponit, quæ rem nostram planè conficiant; virósque desertos implendorum mandatorum sufficientiâ destitutos, potiori jure reos evincant, quippe qui eum sibi funem sponte colligarunt. Videas id 2. 2. quæst. 79. art. 3. ad 3. ubi data occasione quæstionem agitat, quandonam primò peccatum omissionis incipiat? *Ad tertium dicendum, quòd sicut peccatum transgressionis opponitur præceptis negativis, quæ pertinent ad declinandum à malo: ita peccatum omissionis opponitur præceptis affirmativis, quæ pertinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmativa non obligant ad semper, sed ad tempus determinatum; & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse. Potest tamen contingere, quòd aliquis tunc sit impotens ad faciendum quod oportet: quod quidem si sit præter ejus culpam, non omittit quod debet, ut dictum est: si verò sit propter ejus culpam præcedentem, puta si aliquis se serò inebriaverit, & non potest surgere ad matutinas, ut debet, dicunt quidam quòd tunc incœpit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum, & incompossibilem cum illo actu ad quem teneretur. Sed hoc non videtur verum, quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet quòd præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quòd omissio incipit ei imputari ad culpam quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* Qua loquendi ratione perspectum habes, omissionem ejus, qui implendi præcepti ex prævio peccato factus est impotens, idcirco maximè criminidari, quòd sese in eum statum sponte conjecerit: tametsi (quod hìc ex instituto versat Doctor Angelicus) peccatum actus, unde secuta omissio est, interna omissionis pars, ac veluti forma dici nequeat: qua de in præsentia disputare, nostra non interest. Non absimiliter 2. 2. quæst. 71. art. 5. has culpandæ omissionis rationes profert: *Si causa vel occasio omittendi subjaceat voluntati, omissio habet rationem peccati..... quandoque autem actus voluntatis directè fertur in aliud per quod homo impeditur ab actu debito: sive illud in quod fertur voluntas, sit conjunctum omissioni, puta cum aliquis vult ludere, quando ad Ecclesiam debet ire: sive etiam sit præcedens, puta cum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur quòd non vadat horâ matutinâ ad Ecclesiam.* Quæ ergò hominibus ad certum tempus à Deo desertis inest implendorum præceptorum impotentia, eosdem culpâ non liberat, cùm & illam anteactis peccatis sibimetipsis accersiverint.

Eò redeunt statutæ ab D. Thoma certissimæ Regulæ de peccatis ex ignorantiâ culpatâ consecutis. Ea nempe non omninò culpâ eximi: quòd etsi secutâ necessitate soboleſcant, ab causâ nihilominùs liberâ, ac sponte quæsitâ primam originem ducant. Prima secundæ, quæst. 76. art. 3. *Quandoque ipsa ignorantia est voluntaria, vel directè, sicut cum aliquis studiosè vult nescire aliqua, ut liberiùs peccet: vel indirectè, sicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit discere id per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam*

ſam eſſe voluntariam, & peccatum, dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur & poteſt. Et ideo talis ignorantia non totaliter excuſat à peccato. Quia nimirum & ipſa peccatum eſt liberè admiſſum. Immò quod hìc obiter de ignorantiâ ſtudiosè quæſitâ ſubinnuit, diſtinctiùs expendens quæſt. 3. de Malo art. 8. diſertè docet, non modò peccatum non excuſare omninò, verùm etiam multò magis augere. *Cum aliquis*, inquit, *directè vult ignorare, ut à peccato per ſcientiam non retrahatur, talis ignorantia non excuſat peccatum, nec in toto nec in parte, ſed magis auget. Ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quòd aliquis detrimentum ſcientiæ pati velit, ad hoc quod liberè peccato inhæreat.* Tales porrò eſſe excæcatos & obduratos quis neget, de quibus maximè à Regio vate ſcriptum eſt Pſalmo 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Longa etenim peccati nocte demerſi ſuis etiam delectantur tenebris, ac Deo ipſi, qui eas effusâ gratiæ luce depellere potis eſt, ſæpiùs ingeminant quod in libro Job capite 21. ſcriptum eſt: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Ecquis ergo novâ culpâ vacare illos ſibi fingat, dum recedente Deo, in nova ſubinde ſcelera prolabuntur, qui Deum ipſum ut recederet gratiamque ſubtraheret impulerunt?

Idem de peccatis ab ebrio admiſſis pronunciat Doctor Angelicus, ea ſcilicet vitio verti, dum quis volens ac ſciens mero plus juſto indulgens mente everſus eſt: tametſi homo largiori mero recoctus, nullâ vel certè minùs integrâ vitandi peccati facultate potiatur: ob id videlicet unum, quòd in eum ſecutæ neceſſitatis ſtatum liberâ voluntate devolutus ſit. 2. 2. quæſt. 150. art. 4. *Si in actu illo præcedenti ſubſecuta eſt ebrietas ſine peccato, tunc peccatum ſequens totaliter excuſatur à culpa, ſicut fortè accidit in Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, ſic non totaliter aliquis excuſatur à peccato ſequenti; quod ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus; in quantum ſcilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in ſequens peccatum.* Et in 2. ſent. diſt. 22. qu. 2. art. 2. ad 2. *Dicendum quòd ebrius homicida duobus peccatis peccat, ſcilicet ebrietate & homicidio: propter quod dicitur duplices mulctationes mereri.*

Hinc nata trita diſtinctio duplicis voluntarii, *ſecundùm ſe* & *ſecundùm ſuam cauſam*; quam & exponit & accommodat inſtituto D. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 7. Satis eſſe inquiens, ſi quod peccatum admittitur, in causâ liberum ſit, quamquam per ſeſe neceſſarium cenſeatur. *Aliquid*, inquit, *poteſt eſſe voluntarium, vel ſecundùm ſe, ſicut quando voluntas directè in ipſum fertur: vel ſecundùm ſuam cauſam, quando voluntas fertur in cauſam, & non in effectum, ut patet in eo qui voluntariè inebriatur. Ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit.* Quidni ergo potiori jure, peccata ab homine ſufficientibus auxiliis deſtituto perpetrata, eidem crimini vertantur? Quandoquidem liberâ illa, quam ſibi ſponte aſcivit deſertione, hanc ſibi qualemcumque peccandi neceſſitatem comparavit. Dixi potiori jure, quòd major ſit hominis mero depoſiti peccandi neceſſitas, quàm ſufficientibus auxiliis deſtituti. Iſte enim ſervatâ ad utrumlibet libertate, ſolam amiſit ſufficientiam libertatis; ille ab utrâque ſimul largiùs potitando devolutus eſt, ac mente everſus pecudum more ruit in præceps.

Neque verò iis Angelicæ doctrinæ principiis (quod moralis controverſiæ caput eſt) repugnare cenſendus eſt D. Bonaventura, in 2. ſent. diſt. 22. art. 1. quæſt. 3. ubi homicidium ex culpabili ebrietate conſecutum, non novæ ſpeciei peccatum eſſe contendit, ſed circumſtantiam duntaxat ebrietatem admodùm aggravantem. Nihil quippe tantillum illud ſcholaſticæ ſubtilitatis diſſidium quæſtioni morum, quam hìc unam expendimus, officit. Sive enim homicidium novæ ſpeciei peccatum vocites, ſive circumſtantiam aggravantem dicere malis, illud perinde vitio verti, hominiſque ebrii reatum augere fatendum erit, eique propterea meritò imputari: quandoquidem non ipſa dumtaxat peccati ſpecies vitio datur, juſtáque plectitur pœna; ſed & adjuncta quæque, unde peccato gravitas accedit.

Erit fortaſſe qui dicat, non omnia ſecuta peccata homini mente everſo, ac largiori potu depoſito imputari, tametſi culpâ ſuâ in ebrietatem incurrerit; ſed ea tantùm quæ ſibi eventura prævideraat. Atque ita nec homini obdurato, ſufficientibus auxiliis deſtituto imputatum iri delicta, quæ is eventura ſibi nullatenùs ominabatur: maximè cùm multos invenire liceat obduratos, qui nuſquam ſibi ſubtractum iri auxilia ſufficientia certò credant.

Verùm (ut id obiter dicam) non advertunt qui hæc nobis obtrudunt, petitum à nobis ex ebrietate validiſſimum argumentum, ex illorum numero eſſe, quæ

à majori ad minus Schola vocat; cum deterior hominis ebrii conditio sit, quàm divinis auxiliis destituti : nihilque propterea adversæ parti lucri obventurum, si fortè rueret, tametsi multum ex eo præsidii nobis accedat, si suo stet robore. Fieri quippe posset, ut quæ minùs homini vino calenti imputantur peccata, obdurato atque deserto vitio verterentur: quòd ille nec sui compos, nec liber omninò sit, iste mente integer ac sui Dominus.

Sed age, demus quod mitior quorumdam Theologorum opinio ponit, homini scilicet præ nimia potatione everso, ea tantùm secuta peccata vitio dari, quæ is sibi eventura præviderat; non eò tamen laxitatis veniunt Theologi illi, ut existiment ea distinctè ac secundùm illorum speciem genúsve prævideri debuisse, ut demum vitio verti possint : sed satis esse ajunt, si in commune prævisa sint, immò si vel solùm prævideri debuerint, ob pravæ inclinationis experimentum. *Reputatur*, (inquit Cardinalis Cajetanus illorum unus) *prævisum peccatum, non solùm si sit prævisum in sua specie, puta quia novit quis, se ebrium proximis detrahere; aut in suo genere, puta quia novit quis se ebrium vitio linguæ irretiri; quamvis modò detractione, modò contumeliâ, modò blasphemiâ, modò irrisione, modò turpiloquio: sed etiam si sit prævisum in communi, puta quia scit se ebrium in aliquo peccare, licet nesciat in quo genere tunc peccabit. Reputatur rursus prævisum, non solùm si sit præcognitum, sed si debuit esse prævisum præcogitando, puta quia expertus est inclinationes suas pronas, quanto magis bibit, ad peccata, quia aliàs in alienatione mentis vel propè incidit in peccatum. Æstimatur autem non prævisum peccatum ex ebrietate, quando nullo modo prævisum est, præviderique rationabiliter non potuit humano more.* Jam verò quis putet, peccatorem toto illo temporis tractu, quo longum illum scelerum funem ducit, quo demum obduratio ac cæcitas consummatur, nusquam vel in commune prævidisse, in quod quantave peccata lapsurus esset, ubi tandem in profundum abyssi venisset? Aut certè quis neget, hæc ab eo prævideri debuisse, ac quàm facillimè potuisse, dum toties relapsus, totiesque peccato victus proclivem in omne scelus animum experiretur?

2. 2. qu. 150. à 4.

Insulsum porrò est, quod subjungitur, obduratorum multos esse, qui nusquam sibi subtractum iri auxilia sufficientia certò credant: satisque mirari nequeo, Vasquesium tam futili argutiâ Augustinum tanquam admoto ariete pulsasse 1. parte disp. 97. cap. 4. Quasi verò tremenda judicia vanis hominum opinationibus metiatur Deus, iisque auxilia etiam sufficientia subtrahere nequeat, qui ea nusquam sibi sublatum iri, seu verè seu falsò crediderint! Certè hac nostra ætate inventus est *Nodi Prædestinationis* Dissolutor, qui ne obstinatissimis quidem peccatoribus, *gratias copiosissimas, abundantissimas, efficacissimásque* subtrahi docuit. Da itaque hominem obstinatissimum, qui ea se opinione inficiat : ergo-ne divinæ justitiæ metas ponet, ut nusquam ab eo copiosissimis efficacissimisque gratiis exui possit, quòd nusquam se iis exutum iri commentus erit?

Card. Sfond. par. 1. §. 2.

Addiderim ad causæ cumulum, longè veriùs sentire Theologos illos, qui missa quavis peccatorum ex ebrietate secutorum distinctione, universa vitio verti putant, sive prævisa illa sint, sive non sint; modò culpâ sua homo in ebrietatem inciderit. Enim verò nec D. Augustinus nec D. Thomas ea distinctione usi inveniuntur, sed universa indiscriminatim eâdem sorte involvunt, ubi semel ebrietas peccato contracta est. Quin etiam peccatorum ebriis imputandorum rationem indigitat Doctor Angelicus, universis planè communem; quia scilicet *peccatum sequens redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus : in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum.* Nec aliam Augustinus de obdurato sermonem habens assignavit, libro de Perfectione Justitiæ cap. 6. *Solâ*, inquiens, *hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret.* Seu enim secuta delicta prævisa sint, seu non sint, ex libera prævii peccati voluntate soboliscunt. Quare minùs Augustini mentem perspectam habent, qui ut eam distinctionem illius suffragio muniant, vulgatum effatum de Lotho ebrietate sopito superbè efferunt : *Culpandus est, non quantùm ille incestus, sed quantum merebatur ebrietas* : quasi secutum incestum culpâ omninò vacasse censuisset Augustinus, quòd eum Lothus largiùs potitando minùs prævidisset. Id enim ab Augustino dictum contendit Doctor Angelicus, non ut incestum ex ebrietate consecutum omni culpâ vacare significaret, sed ut culpam ex parte duntaxat diminutam innueret : *Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarii : unde Augustinus dicit contra Faustum &c.* 2. 2. quæst. 150. art. 4.

22. q. 150. art. 4.

Lib. 22. cont. Faus. cap. 44.

Futi-

Futile eſt, quod nonnulli incommodum regerunt, ut invictam Auguſtini & Doctoris Angelici rationem elidant, qua ſecundam Moralis Chriſtianæ Regulam confirmavimus. Nempe, inquiunt, ſi imputando peccato ſatis eſſet, ut ex peccato præcedenti ſoboleſceret, conſequens fore, ut & motus primò primi, ignorantia invincibilis, amentia naſcendo contracta, atque etiam infidelitas negativa, crimini verterentur; utpote quæ ex originali peccato fruticarint. Enimverò non quodcumque peccatum prævium ſecuto peccato imputando ſatis eſſe diximus, ſed illud duntaxat, quod libera voluntate à nobis admiſſum eſt: id enim quæcumque hactenus in medium attulimus, certò probant. Porrò peccatum originis ineluctabili neceſſitate naſcendo trahitur; tametſi primo parenti, cui non originale ſed actuale fuit, liberrimum eſſet. Quare uti nobis minùs liberum eſt, ita & quæ inde ſequuntur, minùs libera cenſeri debent, ut nobis culpæ vertantur. *Oportet enim*, ut egregiè notat Doctor Angelicus in 2. ſent. diſt. 50. quæſt. 1. art. 2. *quòd ſecundùm hoc quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ. Unde ad culpam perſonalem requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam verò naturæ, hoc eſt originale peccatum, non requiritur niſi voluntas in natura illa.* Quapropter motus primò primi, amentia naſcendo contracta, ignorantia invicta, infidelitas negativa, non peccata ſed pœnæ cenſentur, quòd ex peccato minùs libero ſoboleſcant. Sicubi verò D. Auguſtinus deſertorum hominum peccata idcircò vitio dari docuit, quòd ex originis labe pullularint, primam duntaxat imputandorum delictorum radicem indigitavit, unde primum carendi divinis auxiliis meritum traximus, non omnem, atque illam maximè, unde deſertorum hominum delicta obtinent ut libera ſint, veríque nominis peccata cenſeantur. Quare locis aliis integram deſertionis atque imputationis rationem inſinuans duo ponit, *& quod origine traxerunt, & quod propria voluntate inſuper addiderunt.*

Plura adſcribere parcam, ad alia momenta confutanda, queis Gratias ſufficientes nulli hominum ſubtrahi putant aliqui: quia inſtituti conſiliique noſtri non fuit eam quorumdam opinionem de induſtriâ confutare, ſed illorum duntaxat ſtupendam aberrationem refellere fuit animus, qui nulla obduratis delicta imputatum iri fabulantur, ſi iis auxiliis juſto Dei judicio privarentur: ſatiſque officio noſtro conſultum arbitrati ſumus, ſi Lemoſio Baſtidam (quòd id obtenderet) duriùs exagitanti, noſtram advocationem commodaremus, & Becheferium hoc idem commentum novâ pompâ explicantem, datâ occaſione retunderemus.

Monere hìc ſatis fuerit, Autorem Librorum De vocatione Gentium, quem doctrinæ ſuæ ducem advocat Becheſerius in Theſibus, multum quidem laboris toto libro 2. poſuiſſe, ut Dei gratiam communem omnibus faceret, at de externâ gratiâ intelligendum omninò eſſe, uti illum Vaſqueſius expoſuit. Nec immeritò, quippe qui communem illam gratiam poſuit capite 3. partim in *cæli & terræ teſtimoniis*, partim in *doctrinâ legis & Prophetarum oraculis*, partim in *Miraculorum ſignis.* Quamquam & interiorem quamdam gratiam fuiſſe à Scriptore iſto admiſſam non eſt diffitendum, gratiam, inquam, omnibus communem, etſi non ejuſdem in omnibus excellentiæ ac poteſtatis. Sic lib. 1. cap 4. naturale rationis humanæ lumen *illuminantis gratiæ Dei* nomine cohoneſtare non dedignatur. Sed hæc *dona naturalia, ſive ipſam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſive vitiatæ naturæ qualeſcunque reliquias*, etſi gratiæ nomine non indigna cenſeat Auguſtinus (*Sit, inquit, gratia naturæ adtributa quâ ſumus animalia rationabilia, diſcernimurque à pecoribus &c.*) conſtanter tamen negat eſſe propriè *gratiam Dei, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt bonis & malis.* Nec ab iſto Auguſtini ſenſu vel latum unguem diſcedit aurei illius libelli Autor, nec Proſper eidem familiaris & ſuppar. Si quod enim inter utrumque diſcrimen, non in dogmatibus, ſed in nonnullis loquendi modis verſatur. Quàm longè autem abfuerit Proſper ab aſſerenda obduratis omnibus gratia ſufficiente, vel ex his ejus verſibus patet ex Carmine de ingratis cap. 11. depromtis.

Aug. de Præd. Sanct. c. 5.

Ibid.

— *Dic unde probes, quòd gratia Chriſti*
Nullum omninò hominem de cunctis qui
generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit.

Et capite 32.

Non autem rectè, nec verè dicitur, illos

Qui

Qui ſunt extorres divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbrâ,
Peccati non eſſe reos; quia recta gerendi
Non data ſit virtus, &c.

De parvulis autem qui ſacro baptiſmatis fonte non abluti decedunt, quid ſenſerit, docent ſequentes cap. 31. verſus.

Et tamen ex iſtis miſeratrix gratia quoſdam
Eligit: & rursùs genitos Baptiſmate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum cauſa fuit ſimilis de vulnere eodem.
Nec meritis iſtud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abſtuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cùm videas multos Sanctis genitoribus ortos
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe Suorum.

Ceterùm num fortè de ſchola Thomiſticâ atque Sorbonicâ aliqui fuerint, qui internas ſufficientes gratias ipſis etiam obduratis præſtò eſſe dixerint, ne ſi iis deſtituti ſupponerentur, culpâ vacarent; expendere non vacat. De S. Auguſtini ac D. Thomæ mente, una hìc mihi cura fuit, quòd alios interdum ſuos pati manes, certò ſciam. Dicam tamen, Thomiſticæ Scholæ Theologos, ſi qui fortè ita ſtatuiſſe inveniantur, longè adhùc à Moliniano Syſtemate, & à peccati Philoſophici errore diſtare: & quidem duplici de cauſâ. Primò, cùm gratiam ſufficientem duplicem ſtatuat Angelica ſchola, habitualem unam, actualem alteram; priorem in quadam qualitate ſitam, quæ facultatem inſtar prioris diſpoſitionis elevet, boniſque actibus exercendis remotè potentem efficiat; alteram in actualibus illuſtrationibus, excitationibus, deſideriis, ac motibus poſitam; quæ mentem ac voluntatem identidem pulſent: Thomiſtis aliquibus laxioribus viſum eſt, priorem peccatis imputandis neceſſariam eſſe, atque adeò induratis ipſis & infidelibus affulgere, ne aliàs peccato vacarent, ſi præceptorum implendorum impotentiâ laborarent; nec ſatis attenderunt, ex S. Auguſtini ac D. Thomæ principiis, nihil peccatis imputandis impotentiam illam obeſſe, quæ propriâ ac liberâ iniquitate contracta eſt. Attamen ut ut eſt, de gratia ſufficienti actuali longè aliter ſtatuerunt, ut errorem effugerent. Verùm Molinianæ Scholæ dictatores, quos exagitandos aggreſſi ſumus, utramque gratiam imputando peccato neceſſariam obtendunt. Hinc illa Baunii Propoſitio, à Clero Gallicano & Academiâ Pariſienſi proſcripta: *Nunquam peccatur niſi præviâ peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio exſtimuletur.* Hinc illa Franciſci Annati, in libello quem poſtremum adversùs Arnaldum elaboravit pag. 34. *Qui nullam de Deo, vel peccatis cognitionem habet, & nullo modò apprehendit amoris Dei & contritionis actus ſibi ex præcepto exercendos, nullam hìc habet gratiam actualem: ſed illud non minùs verum eſt, horum actuum omiſſione nullum ab ipſo peccatum admitti; nec ſi damnetur, propterea damnari poſſe..... Quod idem de culpabili commiſſione dici poteſt.* Hinc ille Profeſſoris Theologi Divionenſis ab Alexandro VIII. confixus error: *Peccatum Philoſophicum quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale ſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Hinc illa Buffierii aſſertio, ab Archiepiſcopo Rothomagenſi damnata: *Attentio animi ad actionis pravitatem neceſſaria eſt, ut peccatum imputetur.* Ut alias ſileam longè multas, in libello ante annos decem à nobis edito, De vera Jeſuitarum ſententiâ circa peccatum philoſophicum, recenſitas. En primum diſcriminis caput.

Secundò, cùm eam ſufficientem gratiam ponat Schola Thomiſtica, quæ ex parte potentiæ duntaxat ſufficiat, ſic ut novam inſuper efficacem gratiam, re ac naturâ à ſufficiente diſtinctam, neceſſariam contendat, ut in actum re ipſa prorumpatur; contrà verò Moliniani ſufficientis gratiæ genus ſtatuant, quod undequaque ſufficiat, nihilque novi à Deo poſtulandum putent, ut integra converſio perficiatur, modò peccator ſufficientem gratiam, addito conſenſu reddiderit efficacem: profectò longè minoris laxitatis eſt, gratiam Thomiſtico ſenſu ſufficientem, communem obduratis & infidelibus facere, quàm Moliniano.

ADDENDA
IN LIBRO QUARTO
HISTORIÆ CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS.

AD CAP. I

Pag. 593. *lin.* 3. *à fine, poſt hæc verba:* ejurabant.

Hac arte Zozimum circumvenit Celeſtius, porrecto fidei ſuæ libello: ab ipſa Trinitate unius Deitatis exordium ſumens, uſque ad mortuorum Reſurrectionem, quibus in capitibus eum accuſaverat nemo, fidem ſuam minutatim explicabat: cætera verò, quibus intentatæ litis ſumma vertebatur, perfunctoriè reſumebat. Auguſtinus libro de Peccato Originali cap. 23. *In libello quem Romæ dedit, cùm fidem ſuam à Trinitate unius Deitatis, uſque ad reſurrectionem, qualis futura eſt, mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quæſtio movebatur, quantùm dicere libuit explicaſſet, ubi ad id quod agebatur ſermo pervenit, &c.* Quamquam &c.

Pag. 598. *poſt Caput ſecundum hæc inſere.*

CAPUT TERTIUM.

Nova arte Pontificem à reſumenda lite dehortantur: quòd quæſtiones in controverſiam vocatæ nihil ad fidem attineant; earumque numero ſint habendæ, quas nec contemnendas nec adſtruendas cenſuit Celeſtinus.

QUis Societatis Actores eam tandem morandi Judicii viam inituros exiſtimaſſet; qui toties violatam fidem, libertatem exciſam, purum putumque Calviniſmum inductum, de Dominicanis expoſtulaverant? Sed ſunt hæ malorum litigatorum vices, ut cauſæ meritis diffidentes atque adverſi judicii metu perculſi, multa demum de præſumto jure concedant, quæ ſummo antea ſupercilio contendebant: ipſamque partem adverſam lubentes abſolvant, modò & ipſi è mota lite emergant latere tecto. Hac arte Pelagianos uſos videas, qui cùm Auguſtinum vagis ac raucis illis accuſationibus circumveniſſent, violatamque ab eo fidem, ac ſuſcitatum Manichæiſmum non ſemel expoſtulaſſent, eâ tandem fiduciâ dejecti, ſtatuta ab eo dogmata, quæſtiones præter fidem motas dicere maluerunt, ne ſupremo Eccleſiæ judicio finirentur. Nec diſſimiliter Maſſilienſes, poſt eaſdem in illum calumnias inſtauratas, eò tandem ſe retulere, ut plerique contenderent, *Chriſtianam fidem hac diſſenſione minimè violari:* uti teſtis eſt D. Proſper, in ſua ad Auguſtinum Epiſtola. *Apud Aug. lib. 2. de pecca. Orig. c. 23.*

Molinianorum itaque animis inſedit hoc conſilium, ut Paulum V. Clemente VIII. ad ſuperos vocato, à reſumendâ finiendâque controverſiâ dehortarentur. Controverſias queis fidei ſummam ſtare toties faſſi fuerant, opinione liberas dictitarunt, dato libello ſupplici, cujus fragmentum ſuperiori capite dedimus; miſſaque jam tandem importunâ illa Calviniſmi accuſatione, quâ Dominicanos ſæpiùs oneraverant, quæſtiones in jus vocatas, earum loco haberi voluerunt, quas Eccleſiaſticorum Tractatorum arbitrio dederat Celeſtinus; ut hac arte Moliniſmi damnationem eluderent. *De ſubſtantia*, inquiebant ſuo illo libello Pontifici dato, *primæ quæſtionis, quæ eſt de viribus Liberi Arbitrii, convenire inter utramque partem ex eo conſtat, quòd æquè omnes gratiæ neceſſitatem contra Pelagium, & libertatem Arbitrii contra Calvinum & Lutherum defendunt: quæ judicantur hujus quæſtionis ſubſtantia, quam definierunt Innocentius & Celeſtinus, & Concilia Carthaginenſe, Milevitanum, Arauſicanum, Valentinum, Senonenſe, & Tridentinum: ex quibus Celeſtinus ſuam ad Epiſcopos Galliæ Epiſtolam hac ferè clauſulâ concludit*: Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæſtionum, „quas latiùs pertractarunt qui hæreticis „reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendam Dei gratiam, „cujus operi ac dignationi nihil penitùs „ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas, Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt.

Tum ſubinde multis interjectis: *Edenda eſt*, inquiebant, *Conſtitutio Apoſtolica*

quæ

quæ tria potissimùm capita complectatur : in quorum primo quæstio de viribus liberi Arbitrii & gratiæ necessitate eatenùs definiatur, ut ea duntaxat proponantur, quæ citra fidei jacturam in dubium revocari non possunt. Cetera (quod olim fecit Celestinus, in Epistola ad Episcopos Galliarum) ita disputationibus Theologorum permittantur, ut inter Calvinismum & Pelagianismum iter medium teneatur. In altero verò quæstio de efficacitate gratiæ, gravissimis verbis ex Augustino præsertim petitis breviter explicetur, omissis vocum novitatibus, & spinosis atque abstractis difficultatibus, ut Apostolicam gravitatem decet, & sacrorum Canonum prisca consuetudo docet. In tertio ac postremo severè prohibeatur, adhibitis etiam, si videbitur, Censuris Ecclesiasticis, ne qua pars alteram erroris atque hæresis insimulet ; nevè probra aut contumelias jactet ; sed quæ Religiosos decet modestiâ ac pietate, singuli suam sententiam ita explicent, ut à Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ placitis & Conciliorum Decretis, præcipuè verò Tridentinæ Synodi definitionibus, ne latum quidem unguem recedant. Quibus addi poterunt aliæ admonitiones & adhortationes, aut etiam præcepta, quæ ad pacem conciliandam & retinendam valere videbuntur. Videretur etiam fortasse opportuna, modesta utriusque Religionis commendatio, & præteritæ contentionis excusatio, quæ à pietatis veritatisque studio, & bono religionis zelo profecta, Apostolicæ Sedis authoritate sedanda & penitùs exstinguenda creditur.

Sic illi Celestini verbis astutè abusi, quæstiones hactenùs agitatas involvi silentio, suumque idcircò Molinam absolvi, speciosâ circulatione precabantur. Verùm quominùs suo illo libello, novo Pontifici fucum facerent, obstitit Thomas de Lemos, qui brevibus ad marginem observationibus lucubrationem malè natam dispunxit, illiusque editores multo sale defricuit ; quòd & terga verterent, & à fidei controversiis alienum id dicerent, quo fidei summam stare non ita pridem fassi fuerant. Ita priorem lasciniam dissuebat vir maximus : *Se ipsum & alios fallit, asserens, Utramque partem controversiæ de ipsa rei substantiâ convenire, & solùm differre in modo dicendi. Immò de fidei substantia controversia est, de qua Sanctus Augustinus cum Pelagianis, & S. Prosper cùm Semipelagianis, ad literam. In eodem enim indivisibili casu sumus : nec iste Author ut se occultet, aliter poterit suadere. Magis fallit incautos, dum ait Æquè omnes gratiæ necessitatem contra Pelagium defendere. Nam altera pars verbis tantùm necessitatem gratiæ Christi, quàm apertè negare non audet, affirmat ; sicut antiquiùs Pelagiani fecerunt : quod sæpissimè apertissimum dedimus in conspectu felicis recordationis Clementis VIII. Unde Celestinus inductus contra Semipelagianos definiens, æquè Molinam & ejus fautores, sicut loquentes contraria damnat. Aliæ autem valde diversæ quæstiones sunt illæ profundiores, quas Celestinus nec contemnebat, nec adstruere volebat, quàm sint istæ de quibus modò controvertitur : quia, ut diximus, altera controversiæ pars contra fidem procedit, & in Epistola Celestini invenitur expressè damnata, & fundamentum ipsius eversum, ut alibi manifestabimus.*

Alteram in hunc modum dispungebat : *Primum quod dicit definiri debere, est necessitas gratiæ & libertas arbitrii, in his duntaxat quæ ad fidem pertinent, aliis quæstionibus omissis. Benè est : sed intelligit omittendam quæstionem de congruitate gratiæ per illam Scientiam mediam, seu per illam physicam prædeterminationem, ut ex præmissis fit manifestum. Sed quomodo in hoc Ecclesiam ipsam, quod implicat, procuret fallere, quis non videat. Petit enim definitionem quæ nihil definiat ; immò definitionem expostulat, quæ quodammodo permittat errores per Ecclesiam grassari, illos quodammodo approbando. Jam enim sæpè diximus, quod & modo confirmamus, sententiam illam de congruitate gratiæ per illam Scientiam-mediam, damnatam esse Pelagianorum Doctrinam, quam iste Author damnari non vult, sed quodammodo approbari. Per oppositum ergo sentimus definiendam esse, claréque Ecclesiæ proponendam, unam ex illis partibus, etiam terminos & voces quibus controversiam hanc Authores ventilant, vel indirectè saltem approbando, vel reprobando, ut omnes simul æquivocationes præcludantur. Dicit præterea, Non oportere definire in particulari aliquam controversiæ partem, ut sic inter Calvinum & Pelagium, medium retineatur. Immò si neutra pars in specie definiatur, illud, quod in confuso postulat, medium iter inter Calvinum & Pelagium relinqueretur : & error Pelagianorum & Calvinistarum quasi approbaretur, relinquendo sicut probabilem illam congruam seu moralem vocationem ; ut sæpè fuit declaratum. Dicit etiam, Quòd Celestinus sic in confuso definivit, & non aliquam in specie controversiæ partem : in quo se nimis occultat, & Celestino facit injuriam : cùm apertissimè constet ipsum definivisse, bonum usum Arbitrii ex efficacia gratiæ esse ; quod totaliter negat sententia illa, quæ introduxit illam mediam Scientiam, & vocationem illam moralem seu congruam. Unde oportet jam nunc*

definitionem Celeſtini explicare, & quid re ipſa condemnet, aperire.

Idem illud Molinianorum effugium occupavit Archiepiſcopus Armachanus eruditâ lucubratione, novo Pontifici datâ, de qua nobis capite 6. ſermo erit. Illos à vero procul abire demonſtravit, qui controverſias agitatas nihil ad fidem attinere dicerent; eoſque Celeſtini ſuffragio deludi, qui nova Molinæ commenta incurrentium quæſtionum loco haberi vellent. Et quidem tardum ac penè jam ſerum effugium iſtud erat, ut ejus obtentu judicum ora ſublinirent. Cùm enim Moliniana paradoxa Pelagiano luto hærere cenſuiſſent Hiſpanicæ ac Belgicæ Academiæ, Epiſcopi ac Theologi primæ notæ, quorum ſententiam rogaverat Clemens VIII. ac ipſi tandem Romani pendentis controverſiæ Cognitores; nihil novis illis inventis Catholicam fidem lædi, perperàm obtendebant deſperatæ cauſæ procuratores. Rursùm cùm incurrentium quæſtionum nomine eas nec intellexerit nec intelligere verè potuerit Celeſtinus, quas de induſtria ac datâ operâ adversùs Pelagianos agitaverat Auguſtinus, uti lib. 3. capite 8. planum fecimus; non erat cur eo titulo procuſa nuper paradoxa Moliniani cenſeri vellent, quæ à Sanctiſſimo Gratiæ Vindice ex inſtituto confutata demonſtraverant adverſæ partis Oratores: aut certè erat hoc illis magno argumentorum apparatu demonſtrandum, quod tantâ fiduciâ contendebant, ut latis jam pridem Cenſuris fidem adimerent, cauſæque Cognitores naſo ſuſpenderent. At nihil illi, ut dictis robur aſſererent, proferebant; quaſi ſatis illis autoritatis eſſet & gratiæ, ut integram verbo fidem facerent. Quare & ea Supplicatio eliſa eſt.

In his Additionibus.

Erat hìc animus gradum ſiſtere, nec longiorem de celebri illa Celeſtini clauſulâ funem ducere, ſatis officio noſtro conſultum rati, ſi ejus Molinianos interpretes datâ identidem occaſione retunderemus: præſertim cùm libro ſuperiori, duo hæc haud levibus argumentis probaverimus: primum, non univerſa fidei capita adversùs Pelagianos & Maſſilienſes aſſerenda, decem illis Capitulis Celeſtini Epiſtolæ adnexis explicari; ſed ex iis veluti primigeniis fontibus alia fluere, ad fidem pariter attinentia: alterum, celebrem illam clauſulam, ſeu Decimum Capitulum, ad eas Auguſtini ſententias detorqueri non poſſe, quas ille datâ operâ atque ex inſtituto adversùs gratiæ hoſtes, uti Catholicæ fidei teſſeram, propugnavit. Hinc quippe conſequens erat, Gratiam ſeipſa victricem & efficacem, Prædeſtinationemque nullis hominum meritis, conatibus, aut diſpoſitionibus nixam, inter fidei capita recenſeri haud dubiè poſſe, tametſi laudatis Celeſtini Capitulis diſtinctè & explicatè non inſerantur; modò ex iis ſponte fluere, & ab Auguſtino adversùs gratiæ hoſtes de induſtria defendi conſtiterit. Quod prudenter Lemoſius ſuis illis obſervationibus adnotaverat, nihil aliud pro finienda Auxiliorum Controverſia opus eſſe inquiens, *quàm definitionem Celeſtini explicare, & quid re ipſa condemnet aperire.*

Lib. 3. c. 8.

Verùm ut hanc ſpartam paulo pleniùs exſequeremur, fecit Recentiorum quorumdam importuna dicacitas, qui hæc ipſa Molinianorum interpretamenta ante dies aliquot recuderunt; ut hæc duo Thomiſticæ doctrinæ capita incurrentibus Celeſtini quæſtionibus adnumerarent: eoque fiduciæ devenere, ut Innocentii XII. Breve Apoſtolicum, anno 1694 Theologis Lovanienſibus datum, ad ſuum illud figmentum obtrudendum detorſerint. *Etiam illud*, inquit illorum unus, in Præfatione brevis Hiſtoriæ Janſeniſmi, *quod concernit ſilentium in materia de Auxiliis, & cui rurſum inhæſit ſua Sanctitas, in Brevi ad Facultatem Theologicam Lovanienſem dato 6. Februarii 1694. Tunc enim profectò non tot orta forent, & orirentur diſſidia; dum alii doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione ante prævisa merita, fidei eſſe contendunt: quamvis eadem ſua Sanctitas ibidem doctrinam iſtam non obſcurè collocet in earum numero, de quibus S. Celeſtinus ad Epiſcopos Gallicanos reſcripſit*: Profundiores difficilioreſque &c.

Ne ergo ultimam Auxiliorum Controverſiæ definitionem, ſiniſtris illis interpretamentis morentur ſeri iſti ac ſuccedanei Molinianæ cauſæ procuratores, manum ſecundò tabulæ admovemus, novoque argumentorum apparatu, dictis ſuperiori libro fidem addimus. Quò duo illa Angelicæ ſcholæ capita, ita Celeſtini regulis indivulsè cohærere, atque ex iiſdem ſpontè ac liberè fluere demonſtremus, ut in fidei capita tranſire facilè poſſint; ubi ſemel (quod maximè cavendum eſt) Eccleſiæ ſupremoque ejus Hierarchæ ita pronunciare, & pendentem ab annis amplius centum Auxiliorum Controverſiam, extremo judicio finire libuerit. Quare nec turbas movemus, nec diſſidia concitamus, nec contrarium in præſentia ſentientes à fide ſegreges dicimus, aut eo titulo præcipites

illis

illis Cenſuras inurimus, Eccleſiæ prærepto judicio, nobiſque ambitioſiùs arrogato: uti nec turbas ciebant Hilarius ac Proſper, nec illos à fide ſegreges arbitrabantur, qui alia bene multa Auguſtinianæ doctrinæ capita, à Celeſtini Regulis pendentia, ſugillabant; donec poſt ſecularem concertationem, ex Eccleſiæ judicio in Synodis Arauſicanâ & Valentinâ pronunciato, fidei Dogmatibus accenſerentur. Sed Thomiſticæ cauſæ momenta modeſtè exſequimur, ut judicio maturam oſtendamus, ipſamque partem adverſam ſinu complectimur, Auguſtini ſententiæ obſecuti, lib. 1. de vera Religione cap. 1. *Mementote qui ſcholas diſſentientes habetis, templa vos habere communia.*

CAPUT QUARTUM.

Superior Molinianorum expoſtulatio, à nonnullis nuper inſtaurata confutatur: Quæſtiones in jus vocatas, Celeſtini Capitulis arctiſſimè cohærere, multis oſtenditur.

GRatuitam Prædeſtinationem, Gratiamque ſeipſa efficacem, de quibus mota lis erat, Capitulis illis ab Celeſtino, alióve Auguſtinianæ doctrinæ ſtudioſo, digeſtis arctiſſimè cohærere, nec poſſe incurrentibus quæſtionibus, quæ privatorum opinationi in ſubjecta Clauſulâ permittuntur, adnumerari; ex ipſo in primis fine inſtitutoque quo Capitula ipſa digeſta ſunt, adeò apertè colligitur, ut mirari omninò ſubeat, rem meridianâ in luce poſitam, à refractariolis ingeniis in controverſiam adduci. Ita quippe ſe res habuit.

Alter ab Auguſtini obitu annus agebatur, cum gravis illi ab æmulis invidia conflata eſt. A Maſſilienſibus potiſſimè traduci cœpit ſanctiſſimus Doctor, quaſi qui in Pelagianis exagitandis debitos modos prætergreſſus eſſet: quique in eum paulò ante quàm fatis concederet, hiſcere ac muſſitare auſi fuerant, erecto jam ſupercilio compoſiti manes ſollicitabant, eique petulantiùs inſultabant. Ad hæc, Proſper & Hilarius, qui viventem Auguſtinum de Maſſilienſium querelis per Epiſtolas certiorem fecerant, ut eas ipſe de ſcripto confutaret, Romam contendunt, Apoſtolicæ Sedis authoritatem adversùs novas æmulorum oblocutiones advocaturi. Fecit pro votis Celeſtinus, Eccleſiæ gubernaculis non ita pridem admotus, tulitque ſuppetias adversùs importunos obtrectatores. Elegantem is ad Gallos Epiſcopos Epiſtolam dedit, qua Auguſtini memoriam ſacravit, doctrinam miris laudibus extulit, obtrectatoribus ſilentium indixit. Tum ut omnibus compertum fieret, quàm temerè Maſſilienſes Auguſtini manibus inſultarent, quòd in eo adversùs Pelagianos commiſſo prælio, modum certoſque fines exceſſiſſet; digeſſit Celeſtinus (ſeu ut alii veriùs ſentiunt Proſper ipſe, aut Leo Magnus) certa illa Capitula, celebri Epiſtolæ ſubjecta; eoque potiſſimùm ex ſuperiorum Pontificum Decretis & Synodorum Africanarum ſtatutis delibavit: ut intelligerent univerſi, ea ipſa jam pridem ab Eccleſia fuiſſe definita, quæ ab æmulis obtrectatoribus in invidiam trahebantur. Liquet id ex iſta Capitulorum proluſione: *Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum ſenſibus ſeu pravitate ſeu imperitiâ demorantes, piiſſimis Diſputatoribus obviare præſumunt: & cùm Pelagium atque Celeſtium anathematizare non dubitent, Magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum excedere obloquuntur; eaque tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima Beati Apoſtoli Petri Sedes contra Inimicos Gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit: neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ, de hæreſi quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrii Defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint; ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cum probarunt. Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant inſtruantur, Conſtitutiones Sanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo, quod, ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcet omnium diſputationum connexionem, ex hac ſubditarum authoritatum brevitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat:* &c.

Tum ſubinde poſitis IX. fidei Capitibus, brevis hæc de reliquis quæſtionibus opinione liberis, clauſula nectitur: *Profundiores verò difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quidquid ſecundùm prædictas Regulas, Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt: ut prorsùs non opinemur catholicum quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.*

Necesse igitur est, iis fidei Capitibus, à Celestino aliove Augustinianæ doctrinæ studioso digestis illa ipsa maximè contineri, quæ in Augustino Semipelagiani fugillabant, & in quibus necessarium modum ab eo violatum querebantur : aut certè necesse est, ea statutis illis fidei Regulis proximè esse connexa, iisdemque arctissimè cohærere. Aliàs si nihil hæc cum delibatis capitulis commune haberent, sed ad incurrentes quæstiones opinione liberas pertinerent, eâ certè Capitulorum recensione Augustini doctrina à Massilienſium obloquutionibus vindicata non esset, sed potiùs integra iis Massilienſibus adjudicata. Quandoquidem necessarium modum excessisse, meritò dici debet, qui quæstiones à fidei Regulis longè dissitas, quasque adstruere necesse non erat, ut fidem Ecclesiæ venditavit, ac veluti Catholici nominis tesseram posuit.

Jam quis neget, Massilienses duorum illorum dogmatum occasione, negotium maximè Augustino facessivisse, quasi in asserendâ gratuitâ electorum ad gloriam prædestinatione, gratiâque per semetipsam efficaci statuendâ, necessarium modum excessissent, novamque in veteri spatio semitam excogitassent? Id ex Prosperi & Hilarii ad Augustinum Epistolis, quibus eæ Massilienſium strophæ minutatim referuntur, apertè colligas.

Ac primò, quid illos de gratuita Prædestinatione, in D. Augustini scriptis malè haberet, notat S. Prosper in hæc verba : *Multi ergo servorum Christi, qui in Massilienſi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm Dei propositum disputasti.* Nempè id eis stomacho erat, quòd Prædestinationem ad gloriam defendisset, quæ omne naturæ meritum, dispositionem, conatum, conditionem, bonum denique gratiarum usum, scientiâ exploratrice prævium penitùs anteverteret : quo in capite nova Augustinum vestigia impressisse, fabulabantur. Cùm contrà, aliter ipsi philosophandum arbitrarentur, Electorumque prædestinationem ad gloriam ex media illa scientiâ humani consensus exploratrice suspenderent ; quâ nimirum prænosceret Deus, liberi arbitrii versatili gratiâ perfusi futurum assensum, ipsiusque etiam gratiæ usum. Hìc etenim hìc cardo erat, quo tota illa Massilienſium in Augustinum machina volvebatur, nihil à Moliniano systemate diversus, de quo in hisce Auxiliorum Con-

gressibus agebatur. *Hæc enim*, subjungit Prosper, *ipsorum definitio ac professio est : Omnem quidem hominem Adam peccante, peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Universis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam ; ut quicumque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sint, præsciviſſe ante mundi constitutionem Deum ; & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Explicatiùs verò præscientiam boni usus liberi arbitrii, non nudi quidem, ne quis cavilletur, sed gratiâ saltem versatili adjuti, ab iisdem Massilienſibus positam scribit, dum addit : *Penè omnium par invenitur & unà sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt : ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* In quæ D. Prosperi verba dubio procul intendens Doctor Angelicus 1. p. q. 23. a. 5. cùm Pelagianorum errorem in eo situm asseruisset, quòd præsentis vitæ merita veluti causam rationemque effectûs Prædestinationis efficerent ; Semipelagianorum systema in eo positum docet, ut Prædestinationem ex consensûs humanæ voluntatis præscientiâ suspenderent ; voluntatis, inquam, non nudæ nulloque gratiæ auxilio fultæ, sed gratiâ ipsâ, qua homo benè sit usurus, adjutæ. *Fuerunt alii*, inquit, *qui dixerunt quòd merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis : ut intelligatur, quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & prædestinavit se ei daturum, quia præscivit eum benè usurum gratiâ. Sicut si Rex det alicui militi equum, quem scit eo benè usurum.*

Quare & eo systemate posito, illuc progressos Massilienses observat D. Prosper, ut Augustini sententiam ob id præsertim fugillarent, quòd præscientiam illam, uti merum exerrantis ingenii commentum exploderet, nullumque bonum liberi Arbitrii & gratiæ usum vellet, nisi qui ex ipsamet gratia germinaret ; sed integrum prædestinationis Mysterium, ex immoto Dei proposito consiliove suspenderet. *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit*

placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre: eo quòd in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definivit accidere; & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc Prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem, aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse quàm factus est. Quas quidem argutias Ludovicus Molina contorsit in Augustinum 1. p. q. 23. art. 4. disp. 1. mem. 6. ubi ei maximè vitio vertit, quòd sub quadam *caligine* positus, eam prædestinationis duritiem amovendam *non attendisset:* quam si S. Doctor, ut ipse quidem autumat, observasset, vocationem ex præscientia usus liberi arbitrii factam esse, sine dubio pronunciasset.

Rursùs, cùm Augustinus suam illam, seu veriùs totius Ecclesiæ sententiam, variis Scripturarum Oraculis communiret; & hoc illi vitio dabant Massilienses, quòd earum sensum minùs feliciter, ac longè aliter quàm cæteri superiorum temporum Tractatores exposuerant, attigisset. *Cum contra eos*, monebat D. Prosper, *scripta Beatitudinis tuæ validissimis & innumeris testimoniis instructa proferimus, ac secundùm formam disputationum tuarum, aliquid etiam ipsi quo concludantur adstruimus, obstinationem suam vetustate defendunt: & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli ad Romanos scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.*

Quibus omnibus Massiliensium querelis ac strophis tantum abest ut cesserit sanctissimus Gratiæ Vindex, ut potiùs hanc ipsam gratuitam prædestinationem, cujus occasione lis illi movebatur, uti certam ac perennem Ecclesiæ fidem acriùs propugnarit iis ipsis in libris, quibus importunos obtrectatores exagitavit. *Scio*, inquit Libro de dono Perseverantiæ cap. 19. *neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et cap. 23. *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nusquam Ecclesia Christi non habuit.*

Quis ergo non videat, Augustinum causâ casurum, litemque Massiliensibus ab Celestino adjudicatum iri, si Prædestinatio gratuita à digestis fidei capitibus indivulsa non esset, sed incurrentibus quæstionibus opinione liberis accenseretur: meritóque sanctissimo Gratiæ Vindici succensendum, quòd eam uti nostræ fidei caput tenendam venditasset, quam tamen adstruere non erat opus?

Idem de Gratia seipsâ efficaci dicendum venit. Massilienses hoc etiam in capite sancto Doctori litem intentasse, quasi qui necessarium modum excessisset, ex alterâ Hilarii ad Augustinum Epistolâ notum est. Cùm enim toto passim libro de Correptione & gratia, internam divinæ gratiæ energiam atque omnipotentissimam potestatem statuisset Augustinus, quâ Deus indeclinabiliter & insuperabiliter in hominum cordibus operatur, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: eoque fine celebrem illam duplicis status distinctionem posuisset, quorum in altero daret Deus bonum posse quod vellent, in altero bonum velle quod possent, atque ut illud deserere invictissimè nollent: hoc ipsum pro more rodebant Massilienses, qui gratiam merè versatilem, liberóque arbitrio subditam, quovis in statu fabulabantur. *Molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quâ fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: Nunc verò sanctis in Regnum per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint*". *His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adjutus est, ut & stare posset in justitia, & à justitia declinare; & nunc ita sancti juvantur, ut declinare non possint, siquidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint: vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut si accesserint & recedant, ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est: præter illos qui sic concreati sunt his, qui cum universâ massâ damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Unde in hoc solo volunt à primo parente omnium distare naturam, ut*

" *Lib. de Corr. & grat. cap. 11. & 12*

illum

illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat: hos autem, amiſſis & perditis viribus, credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes. Caterùm quidquidlibet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe & amitti & retineri propria voluntate contendunt. Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent eam quoſdam perſeverantiam percepiſſe, ut niſi perſeverantes eſſe non poſſint.

Hinc Proſper de Maſſilienſibus expoſtulabat, quòd eorum quidem judicio, *voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.* Ac inter alia Auguſtinum precabatur, ut illos eo præſertim in capite eventilaret, oſtenderetque, *Quomodò per iſtam præoperantem & cooperantem gratiam, liberum non impediatur arbitrium.* Quo certè perſpicuum fit, non de quavis internâ gratiâ, ſed de victrici ac ſeipſa efficaci, rem illis cum Auguſtino fuiſſe. Ecquis enim credat, Maſſilienſes viros aliàs eruditos ac pios, eò uſque potuiſſe deſipere, ut gratiâ verſatili liberoque arbitrio ſubditâ liberum arbitrium lædi crederent, cujus aſſenſu vel diſſenſu vis ejus omnis ac energia ſuſpenſa eſt? Quocirca plura addere, facile eſſet, ut gratiam interioris inſpirationis, qualem Molina comminiſcitur, nedum à Maſſilienſibus, verùm etiam à Pelagianis ultimò tandem agnitam probaremus; niſi eo nos levaſſet onere Dominicanus Interlocutor, qui Molinianos eo ſæpiùs in Congreſſibus telo petiit.

Macedo. Gonetus. Contenſonius. Piccinardus.

Notare hìc ſatis fuerit, non deeſſe etiamnum Theologos primæ notæ, eoſque non paucos, qui Semipelagianos hanc ipſam interioris inſpirationis gratiam prævenientem, ad initium bonorum operum, ac ipſius etiam fidei propugnaſſe, dicant; adſtruantque haud levibus argumentis, partim ex Caſſiani, Fauſti, Gennadii profeſſione, partim ex datis ad Auguſtinum Epiſtolis. Ac re ipſa quidem de Maſſilienſibus ita pronunciat doctiſſimus Aquitanus: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem non præviam volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventos.* Hilarius verò id ab eis ſummo conſenſu poſitum monet, *Ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe.* Si quis etiam, ſepoſito partium affectu, Auguſtinum perpendat iis in libris queis illos exagitavit, compertum habebit, ſolam illam gratiam ab iis exploſam eſſe, quæ nocere libertati, neceſſitatem inducere, inutilem denique correptionem efficere videretur: quæ ſanè incommoda nec per umbram patitur interioris inſpirationis gratia cujus vis ac poteſtas ex voluntatis nutu ſuſpenſa eſt. Immò eandem gratiam ad initium fidei à Maſſilienſibus poſitam obſervat cap 17. de dono Perſeverantiæ, qualem ad finalem perſeverantiam neceſſariam fatebantur. *Hi initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam ſic in noſtra conſtituunt poteſtate, ut Dei dona eſſe non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari noſtras cogitationes & voluntates.* Porro Maſſilienſes interioris inſpirationis gratiam ad perſeverantiam agnoſcebant; nec eam alio ſenſu in noſtra poteſtate ſitam effutiebant, quàm quòd invincibili, inſuperabili atque indeclinabili gratiâ nobis à Deo dari pernegarent. Quare D. Auguſtinus cap. 7. libri hujus, veram Maſſilienſium hypotheſim fore ait, ſi primævæ integritatis privilegio homines potirentur: quæ certè minùs adhuc vera foret, ſi interioris inſpirationis gratiam reſpuiſſent, quam Auguſtinus ſtatui Innocentiæ neceſſariam agnovit lib. de Correp. & gratia. *Non eſt hoc*, inquit, *omnino in viribus Liberi Arbitrii, quales nunc ſunt, fuerat in homine antequam caderet. Poſt caſum autem hominis, nonniſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo accedat ad Deum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

Neque movere quemquam poteſt, quod paſſim apud Auguſtinum, Proſperum & Hilarium legere eſt, contendiſſe ſcilicet Maſſilienſes initium fidei à nobis, non ex Dei dono eſſe; ex Libero Arbitrio ſoboleſcere; nec illud Deum in cordibus noſtris operari, ſed ex bono naturæ uſu proficiſci. Quaſi verò in hypotheſi gratiæ interioris, modò verſatilis illa ſit liberoque Arbitrio ſubdita, ſupponi hæc ipſa non poſſint, ac etiam debeant? Certè Auguſtinus gratiam interiorem Adamo atque Angelis datam contendit, auxilium videlicet ſine quo bonum velle non poſſent: & tamen has ipſas loquendi rationes uſurpat, de Adamo & Angelis ſermonem inſtituens, ob id unum quòd illos efficaci gratia deſtitutos contenderet, auxilio nimirum quo Deus in eis operaretur ut vellent. Lib. de Correptione & gratia Cap. 11. *Angeli ſancti... per Liberum Arbitrium, per cadentibus aliis idem Liberum Arbitrium ſteterunt... quòd tunc ita liberum erat, ut bene velle poſſet & malè.* Capite 10. *Per ipſum Liberum Arbitrium in veritate ſteterunt.* Capite 12. *Perſeverare*

ſeverare & non perſeverare in hominis relinquebatur arbitrio. Quid ergo vetat Auguſtinum ejuſve diſcipulos ita de initio fidei, juxta Semipelagianorum hypotheſim, pronunciaſſe, tametſi ii internam ad illud gratiam ponerent, ob id videlicet unum, quòd eam libero arbitrio ſubditam effutirent? Ratio etiam in promtu eſt. Cùm enim interna inſpiratio, Dei dono licet immiſſa, non niſi verſatilis ſupponatur, nec ipſa ſui tribuat uſum, ſed è contrario eum, quantus quantus eſt, à libero arbitrio emendicet, à quo indifferentiæ determinationem applicationemque ſortitur, reliquum eſt ut fidei initium arbitrio, ceu primo fonti atque radici, adjudicetur.

Quæ cùm ita ſint, horum alterum fateri neceſſum eſt: vel gratiam ſeipsâ efficacem fidei capitibus à Cœleſtino digeſtis indivulsè cohærere, atque ex illis ſpontè ac liberè fluere, nec quæſtionibus incurrentibus opinione liberis adnumerari poſſe: vel certè D. Auguſtinum neceſſarium diſputationis modum exceſſiſſe, ſiniſtrâ violatæ fidei opinione laboraſſe, juſtoque titulo Maſſilienſium invidiam ſubiiſſe. Cùm tamen longè aliter Cœleſtinus in datâ ad Gallos Epiſtolâ ac in ipsâ Capitulorum proluſione definierit.

Sed quid tandem, ſi hæc ipſa Capitula ad criſim vocemus? Res patebit ipſa per ſeſe, gratuitamque Prædeſtinationem ac ipſam efficacem gratiam ingenitâ virtute victricem ex iiſdem nullo negotio derivabimus: modò id in anteceſſum principii loco poſuerimus, quod fuſiùs à nobis lib. 3. cap. 8. demonſtratum eſt: Cœleſtinum non ea duntaxat, quæ iis Capitulis diſtinctè atque expreſsè definiuntur, inter fidei dogmata repoſuiſſe, ſed ea etiam teneri voluiſſe, quæ iis intimè connexa eſſent. *Quod ſi quis*, inquit ille in proluſione, *non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum autoritatum brevitate pendere.*

Ac primo quidem in limine, hanc fidei Regulam ſtatuit Cœleſtinus, ex Innocentii ad Synodum Carthaginenſem Epiſtolâ delibatam: *In prævaricatione Adæ, omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe; & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia miſerentis erexerit.* Non igitur innocentiâ duntaxat primigeniâ, ſed & naturali poſſibilitate exutus eſt homo; minoreſque idcircò vires obtinet in ſtatu naturæ lapſæ, quàm haberet in naturalibus conſtitutus. Quo vel uno eliſam vides totam illam Molinianæ doctrinæ machinam, de lapſi hominis viribus, ſeptem propoſitionibus expreſſam, de quibus in decem primis Congreſſibus coram Clemente VIII. habitis quæſtio fuit: ſimulque firmatum vides victricis gratiæ fundamentum, ab Auguſtino millies poſitum, ac tum maximè libro de Corrept. & Gratia capitibus 10. 11. & 12. ubi ex vulnere naturalibus viribus inflicto, indeclinabilis atque inſuperabilis gratiæ neceſſitatem derivavit.

Illos ſubinde altero Capitulo petit Cœleſtinus, ejuſdemque Innocentii autoritate configit, *qui putant ſibi deberi quod boni ſint.* En tibi alterum efficacis gratiæ fundamentum, ab Auguſtino non ſemel uſurpatum. Da enim, ut & Molina re ipſa dedit, duos homines, eâdem verſatili atque indifferenti gratiâ pulſatos, quorum alter, libero benè uſus arbitrio, gratiæ indifferentiam addito conſenſu determinet, nullo uberiori auxilio percepto, quod bonum illum libertatis uſum atque conſenſum efficaciter operetur, alter verò protervo reniſu caſſam gratiam atque inutilem faciat: prior certè ſibi debebit quod bonus eſt, arbitrio, inquam, ſuo, quo gratiæ indifferentiam fixit, ſeque ab altero diſcrevit, ut bonus eſſet; nulloque pacto ſuſceptæ indifferenti atque æquali gratiæ iſtud adſcribet. *Gratia enim*, ut ſæpiùs inculcat Auguſtinus, *quæ eſt communis bonis & malis non ſecernit bonos à malis.* Pone etiam Molinianam illam legem, de Gratiâ iis omnibus certiſſimo pacto conferendâ, qui ex ipſo naturæ penu adniſi fuerint, ſuaſque partes ex liberi arbitrii facultate præſtiterint; ſibi certè debebit homo quòd bonus ſit; utpote qui naturæ liberique arbitrii conatibus, gratiam quo bonus fieret, primùm obtinuit.

Tertio Capitulo decernitur, *Neminem etiam Baptiſmatis gratiâ renovatum idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei, perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.* Quod eo Innocentii I. oraculo munit: *Neceſſe eſt ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Qua brevi explicataque definitione, tota illa laſcivientis ingenii fœtura, de tentationibus ab homine renato *quoad ſubſtantiam* ſuperandis, ex ſolis naturæ viribus (qua de re nonâ ac decimâ Congregatione coram Clemente diſputabatur) eliſa eſt. Is enim ne *quoad ſubſtantiam* quidem tentationem ſuperare poteſt, qui tentatione neceſſariò, hoc eſt

infallibiliter vincitur. Et ecce tibi alteram victricis potentioriſque Gratiæ baſim ab Auguſtino poſitam, libro de Correptione & Gratia cap. 12. *Ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus vincatur hic mundus.*

Quarto aurea hæc ſententia ponitur: *Quòd nemo niſi per gratiam libero benè utatur arbitrio*; Moliniano ſyſtemati è diametro repugnans, primaque Scientiæ-Mediæ, Prædeſtinationiſque meritis nixæ fundamenta ſuffodiens. Qua etenim ſorte, ex præſcientia boni uſus liberi arbitrii facta vocatio fingitur, ſi nullus niſi per gratiam eſſe poteſt liberi arbitrii bonus uſus? Ita planè ex hoc ipſo principio colligit Doctor Angelicus 1. p. q. 23. a. 5. & Lectione 3. in caput 9. ad Romanos. De his videſis extremas ſub Clemente Congregationes capitibus 41. 42. 43. libri 3.

Quinto ac ſexto, ex Epiſtolis Zozimi & Afrorum Epiſcoporum Reſcriptis variæ iſtæ ſententiæ exprimuntur: *Omnia ſtudia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudeſque referenda ſunt; quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit..... Ita in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit ..... In omnibus actibus, cauſis, cogitationibus, motibus adjutor & protector exorandus eſt.* Jam ſi omnem motum voluntatis humanæ divina gratia operatur; ſui igitur uſum motumque, quo divinæ inſpirationi conſentit homo, operetur neceſſe eſt. Non igitur homo gratiæ indifferentiam figit, uti victricis gratiæ oppugnatores ariolantur; ſed hæc, vice verſa, indifferentis verſatiliſque arbitrii potentiam inflectit, determinatque in partem alteram. Quo gravi efficaciſſimoque momento, victricis gratiæ neceſſitatem adſtruit Auguſtinus libro de Gratia & lib. arbit. capite 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod agere ipſe voluerit, qui omninò injuſtè aliquid velle non novit.* Accedit alterum hoc ipſo quinto Capitulo inſinuatum, quo Molinæ ſyſtema attonſum eſt: Dei ſcilicet filios ita Spiritu Dei agi, *ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Qua parte peccaſſe Molinam, Congregatione 57. ſub Clemente VIII. probatum fuit, ubi potiores partes arbitrio tribuiſſe convictus eſt.

Septimo, ex Decretis Concilii Carthaginenſis regula iſta præfigitur, *Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, non propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia Mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus: verùm etiam per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognovimus etiam facere diligamus.* Quo principio nixus D. Auguſtinus lib. de Gratia Chriſti cap. 14. ultra gratiam illuſtrationis nudæque excitationis, quam unam Moliniani profitentur, efficaciſſimæ ac potentiſſimæ operationis gratiam derivavit. *Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina ſonante forinſecus, ſed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.*

Octavo, ex publicis Eccleſiæ ſupplicationibus, queis bona omnia à Deo precatur, decernit, *Totum divini muneris eſſe.* Atque hoc ipſum eſt, quod ſtatuerat Auguſtinus, ut & gratiam efficacem adſtrueret, & prædeſtinationem omnia humanæ voluntatis merita, diſpoſitiones, conatus, conditiones antevertentem tueretur. Lib. 4. ad Bonifacium cap. 9. *Oramus non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, Præparatur voluntas à Domino?* Et alibi: *Meliùs facimus ſi totum Deo damus, & non illi ex parte & nobis ex parte committamus.* Ruit ergo, non Auguſtino tantùm, ſed & Cœleſtino judice, ruinoſum illud Molinianæ Concordiæ fundamentum, de Deo & libero arbitrio, cauſarum, ut loquitur, partialium rationem obtinentibus, in opere juſtificationis.

Nono, de iis qui ad Baptiſmum accedunt, hæc regula ponitur: *Sive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorciſmis & exſufflationibus Clericorum ſpiritus ab eis abigatur immundus: ut tunc verè appareat quomodo Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo priùs alligetur fortis, & deinde vaſa ejus diripiantur, in poſſeſſionem tranſlata Victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.* Unde probatam vides invictam Auguſtini argumentationem, qua commentitiam puerorum non ablutorum felicitatem à Pelagianis excogitatam exſufflavit: quaque nos etiam lib. 4. cap. 21. idem illud figmentum à Molina ſecundò procuſum,

de

de quo in Congregatione 9. ſub Clemente verbum exciderat, eventilabimus.

Decimo tandem & ultimo Capitulo, hanc ex ſtatutis regulis ſummam colligit. *His ergo Eccleſiaſticis Regulis, & ex divina ſumtis autoritate documentis, ita adjuvante Deo conformati ſumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur Autorem: & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quam fit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum. Tanta enim erga omnes homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona; & pro his quæ largitus eſt æterna præmia ſit daturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus. Nec otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda non negligenda donavit: ut & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei, ac ſi quid in nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſollicitè recurramus, qui ſanat omnes languores noſtros, & eripit de interitu vitam noſtram, & cui quotidie dicimus, Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quo vel uno Capitulo, ſi vacuo à præjudiciis & partium affectibus animo perpendatur, univerſam Auguſtini doctrinam, de gratuitâ prædeſtinatione, & gratiâ per ſemetipſam efficaci, accurato compendio contentam, ſimulque attonſum Moliniſmum, nemo non dicet. En etenim tibi gratiam affectuum omnium, ſtudiorum & operum operatricem, omniaque merita conatus ac ſtudia antevertentem. En gratiam in animabus noſtris agentem ut velimus, non quia volumus, aut conſenſuri prævidemur. En demum gratiam voluntatis humanæ ducem, non pediſſequam: gratiam, inquam, quam pro nutu non flectimus, ſed quæ nos pro Dei nutu flectat, ut id omne velimus & agamus, quod ipſe voluerit.

Sed quid hæc ſcrupuloſiùs moror? Illa ipſa toties decantata Capitulorum clauſula, unde Auguſtinum redactum in ordinem, eaque illius dogmata à poſitis Regulis omninò diſſita putant æmuli obtrectatores, utrumque non leviter adſtruit. *Profundiores verò difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Quia ad confitendam Dei gratiam, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas Regulas, Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt: ut prorsùs non opinemur Catholicum quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Profectò ſi divinæ gratiæ operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, nihil itaque virtutem ejus ac liberalitatem fugit; non meritum, non diſpoſitio, non conditio, non conatus, non ipſe tandem liberi arbitrii conſenſus & uſus. Id porrò concilia, ſi potis es, cum hac Molinæ aſſertione, quæ totius penè Concordiæ ſumma eſt. 1. p. q. 23. diſp. 1. Mem. 10. *Quòd item è duobus qui æquali motu gratiæ præveniuntur ac moventur, unus conſentiat, concurrat cum Gratia, eliciat actum & convertatur, alter verò non, certè ſolùm provenit ab innata ac propria & intrinſeca libertate, utriſque bonis & malis, reprobis & prædeſtinatis communi.* Et paulò infra: *Ex eodem capite affirmamus, quòd auxilia prævenientis gratiæ efficacia ſint, aut ineffi cacia ad converſionem, pendere ab eodem influxu arbitrio proprio. Quòd item unus cum æquali auxilio gratiæ prævenientis, aut cum æqualibus aliis donis, poſtquam eſt juſtificatus, intenſiùs aut remiſſiùs operetur, ferventiùs aut tepidiùs; eaque de cauſa is qui intensè ac fervidè operatur, dignus efficiatur, cui plura peccata quoad pœnam dimittantur, & cui tribuantur dona quæ à ſegnibus auferuntur, utique ab influxu ipſi arbitrio proprio emanat: rationeque illius dicuntur magis aut minùs ſtrenuè uti gratia, itemque ea nobis oblata velle uti, aut non uti, adhibendo aut ſuſpendendo talem influxum nobis proprium.* En quo pacto, repugnante Cœleſtino, hac ipſa in clauſula, unde præſidium Moliniani petunt, quod potiſſimum eſt, gratiæ operi ac dignationi ſubtrahunt; quemque adversùs Auguſtinum patronum advocant, turpiter deſerunt.

CAPUT QUINTUM.

Petita ex Brevi Pontificio Innocentii XII. Theologis Lovanienſibus inſcripto, difficultas eliditur.

AGedum quid adversùs lucidiſſimam veritatem, tot momentis ſtatutam, tot rationibus confirmatam objiciant, perpendamus. Uno ſe argumento exſolvunt nuperi Moliniani, ac plurimam ſegetem una falce metunt. Breve Pontificium Innocentii XII. Theologis Lovanienſibus inſcriptum die 6. Februarii 1694. de quo

plura diximus lib. 1. cap. 11. altiùs efferunt, quo uno rem ſibi integram reſtitutam gloriantur. Hæc illius verba potiſſimùm regerunt initio poſita, ut quæſtiones in jus vocatas à Cœleſtini Capitulis diſſitas probent.

Tradidit nobis menſibus elapſis dilectus filius JOANNES LIBERTUS HENNEBEL *Epiſtolam veſtram, datam die 7. Maii anni præteriti, in qua humiliter poſtulatis, ut hujus S. Sedis autoritate licitum vobis eſſet ac liberum, continuare in tradenda doctrina Majorum veſtrorum, quæ continetur in libro Cenſurarum Lovanienſis & Duacenſis Univerſitatum, unà cum Apologia Univerſitatis Lovanienſis: Et ab eadem declarari doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione ante præviſa merita, nullis hactenùs emanatis Apoſtolicis decretis damnatam & enervatam eſſe, eamque proinde poſſe teneri, quouſque ſancta Sedes ipſa aliter ſtatuerit. Quà in re veſtram erga S. Petri Cathedram obſervantiam & reverentiam ſummoperè collaudamus. Verùm quia, ut S. Cœleſtinus ad Epiſcopos Galliæ reſcripſit, profundiores difficilioreſque partes incurrentium in materia Divinæ Gratiæ quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: nec arbitramur opportunum ut in præſens habeatur exactior illa de divinis Auxiliis tractatio, quæ à Prædeceſſoribus noſtris Clemente VIII. & Paulo V. inſtituta fuit; cùm ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credamus quidquid Apoſtolicæ Sedis ſcripta docuerunt: Idcirco felicis recordationis Pauli V. & Urbani VIII. Decretis inhærentes, &c.*

Hinc duplex damnum nobis illatum exiſtimant: Primum, quòd videatur Innocentius quæſtiones de Gratia per ſe efficaci & gratuita Prædeſtinatione, de quibus Doctores Lovanienſes quæſiverant, incurrentium quæſtionum loco ponere, quas uti contemnere non eſt atuſus Cœleſtinus, ita nec neceſſe habuit adſtruere. Secundum, quòd videatur exactiorem Auxiliorum tractationem, ſub Clemente VIII. & Paulo V. inſtitutam parvipendere; ſimulque innuere, ſatis abundè divinæ Gratiæ vim adſtrui, defendi, explicari, atque à fidelibus credi poſſe, iis omiſſis atque neglectis quæſtionibus, quæ in iis Auxiliorum Congregationibus fuerant tanta animorum contentione ventilatæ, modò ea firmiter teneantur, quæ nos Apoſtolicæ Sedis ſcripta docuerunt: quaſi iſthæc ab iis longè ſecernerentur, quæ ſub illis Pontificibus diſputata fuerant.

Damnum equidem maximum ſecuturum fateor, ſi duo hæc ex Brevi Pontificio colligerentur: gloriari quippe poſſent Molinæ vindices, ſe nunc, cùm nec etiam id peterent obtinuiſſe, quod olim cùm id maximè exoptarent, obtinere non potuerant: ſcilicet à ſancta Sede decerni, ſuam ſententiam minimè ad fidem attinere, aut ipſi adverſari; ſed eodem veluti gradu cum adversâ ſententiâ reponi, utramque probabilem pronunciari, atque inter illas quæſtiones ab Innocentio recenſeri, quas nec contemnere nec adſtruere opus eſſet: cùm tamen olim inſtituta de divinis Auxiliis Congregatio Molinæ ſententiam non contemſiſſet modò, verùm etiam gravem illi Cenſuræ notam affricuiſſet. Verùm ſi res penitiùs perpendantur, ac ſingula Pontificii Reſcripti verba ad criſim vocentur, nihil hujuſmodi quidquam extundi poteſt.

Quod etenim primum attinet: id unum ad difficultatem omnem amovendam, obſervare eſt. Nempe duo diſtinctè datis ad Innocentium Epiſtolis poſtulaverant Theologi Lovanienſes, uti ſuo ipſo Reſcripto teſtatur Pontifex: primum de Cenſuris Belgicis earumque Apologiâ; alterum de duobus, Gratiæ ſcilicet per ſe efficacis & gratuitæ Prædeſtinationis, dogmatibus. Duplici quæſito duplici Reſponſo ſatisfacit ſummus Pontifex, & utrique quidem ſeparatim atque diſtinctè, & ordine ſuo. Priori quæſito reſpondet iis Cœleſtini verbis: *Profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.* Quo reſponſo Gratiam per ſe efficacem, & gratuitam Prædeſtinationem non indigitat, nomine incurrentium quæſtionum; ſed alias longè diverſas, quæ magno numero, ex occaſione & acceſſione quadam, in eo Belgicarum Cenſurarum Libro, præter illa duo dogmata ex inſtituto vindicata, reperiuntur: videlicet de pœna puerorum ſine Baptiſmo decedentium, de Gratiæ ſufficientis diſtributione, de voluntate Dei antecedente, de ignorantia invincibili, de malis pœnæ à Deo præordinatis: ut nihil dicam de inſpiratione ſententiarum & verborum Sacræ Scripturæ. Quæ certè incurrentes quæſtiones ſummo Pontifici cauſæ fuerunt, ne totum promiſcuè Cenſurarum Belgicarum librum expreſsè probaret, uti Lovanienſes Theologi Apoſtolicæ Sedi ſupplicabant: ſatiſ-

que

que esse ratus est Innocentius, si nec eas adstrueret nec contemneret; uti de incurrentibus veterum Gratiæ Propugnatorum quæstionibus dixerat Cœlestinus. Quare imis summa miscent, qui eam Pontificii Rescripti partem, dè nonnullis quæstionibus in Belgicis Censuris occasione duntaxat delibatis intelligendam, ad eas quæstiones malo animo referunt, quæ de industriâ atque ex instituto pertractantur. Hæc de primo.

Tum alteri quæsito, de duobus Gratiæ per se efficacis & gratuitæ Prædestinationis quæstionibus seorsim ac distinctè respondet, dum addit: *Nec arbitramur oportunum, ut in præsens habeatur exactior illa, de divinis Auxiliis tractatio, quæ à Prædecessoribus nostris Clemente VIII. & Paulo V. instituta fuit: quia ad confitendam Dei gratiam, cujus operi & dignationi nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid Apostolicæ Sedis scripta docuerunt.* Quâ loquendi ratione tantum abest, ut vel parvipendat tractationem illam sub duobus Pontificibus habitam, vel quæstiones ad examen in ea vocatas ab iis dogmatibus secernere velit, quæ secundùm Sedis Apostolicæ scripta (ne quid gratiæ operi & dignationi detrahatur) asserenda tenendaque sunt: ut potiùs ab ea tractatione in præsenti supersedendum arbitretur, quia ad eas, quæ inibi tractabantur, quæstiones eliquandas, satis superque sufficiunt, quæ nos ea de re Apostolicæ Sedis scripta docuere. Quod sanè idipsum est, quod Thomas de Lemos Scholæ Thomisticæ publicus Actor, non semel in iis Congressibus contestatus est; satis nempe atque abundè sufficere, quæ ab Innocentio I. Zozimo, Cœlestino, Leone, Gelasio I. Felice IV. Conciliisque adversùs Pelagianos illorumque reliquias celebratis definita fuerant, ut quæstiones in controversiam adductæ resolverentur.

Idem ergò Lovanienſi Academiæ respondet Innocentius XII. quod quis quærenti, exempli causâ, de doctrina à S. Augustino adversùs Pelagianos defensatâ, responderet, si vel per otium, vel per injuriam temporum, in tot Librorum à sancto Doctore editorum examen ingredi nollet, aut fortè non posset, *ad internoscendam doctrinam ab Augustino adversùs Pelagianos defensatam, id sufficere arbitror, quod Conciliorum Africanorum, & Arausicanæ ac Valentinæ Synodi Canones docuerunt.* Quo dicto, non modo Augustini lucubrationes adversùs Pelagianos adornatas flocci non faceret, nec earum synodorum canones aliud spirare innueret, quàm quod S. Augustini libris expressum est: immò veriùs compendiariam Augustinianæ doctrinæ Synopsim, earum Synodorum Canonibus contineri significaret: quibus scilicet introspectis, universa Augustini doctrina tot libris diffusa, uno intuitu tota conspicitur. Sic Innocentius XII. cùm in ea quâ premebatur negotiorum mole, exactiorem illam Auxiliorum tractationem habere non posset, quæ tantâ Sedis Apostolicæ gloriâ sub Clemente VIII. & Paulo V. fuerat instituta, id unum compendio reposuit: *Ad confitendam Dei gratiam, cujus operi ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est* (qua de re in Auxiliorum Congregationibus potissimè tractabatur) *satis sufficere credimus quidquid Apostolicæ Sedis scripta docuerunt.* Id unum videlicet significans, dogmata in iis congressibus controversa, in Innocentii I. Zozimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Felicis Rescriptis compendio contineri: ac de quæstionibus ibidem agitatis, satis interim ex iis Apostolicæ Sedis definitionibus judicari posse, quid tenere, quid credere debeamus, donec superatâ præsentium injuriâ temporum, pleniùs ac distinctiùs de iisdem judicium promulgetur. Quidni enim id aliquando futurum sperare liceat? Aut cur eam spem bonam nobis adimeret Innocentii XII. Rescriptum Lovanienſibus datum? Quandoquidem vocato ad superos Cœlestino, qui ad confitendam Dei gratiam satis sufficere dixerat, quæ nos Apostolicæ Sedis scripta docuerant (id enim ab illo mutuatus est Innocentius) explicatiores alias de Divina gratiâ definitiones edidit Apostolica Sedes, queis pleniùs distinctiúsque sancita sunt, quæ primis illis fidei capitibus à Cœlestino digestis summatim continebantur. *Vide lib. 3. cap. 8.*

Cæterùm hanc nostram interpretationem Brevi Pontificio planè congruere, non id duntaxat evincit, quòd ex illius verbis sponte fluat, non longiùs accersita atque extorta, sed è re nata; verùm & alia longè multa fidem illi locupletissimam faciunt.

Primùm: quotquot Romanæ Curiæ formulas norunt, satis exploratum habent, non eos esse summos Pontifices, qui Prædecessorum suorum diligentiam ac zelum, in dogmatibus præsertim eventilandis ac discutiendis, parvipendere soleant; cùm contra potissimam gloriæ partem in illorum premendis vestigiis ponendam existiment,

ment. At ſi Innocentius XII. ita de exactiori illa tractatione ſub Clemente & Paulo habitâ pronunciaſſet, uti pronunciaſſe ſibi fingunt, qui nobis eo ex capite negotium faceſſunt, eorum certè Pontificum zelum ac diligentiam contemſiſſet: cùm eas illi quæſtiones integro decennio examinaſſent, quòd eis ad fidem Catholicam pertinere viderentur.

Alterum: ſi ideò ſuperſederet Innocentius ab exactiori illa tractatione, quòd quæſtiones inibi agitatæ nihil ad ea dogmata pertinere crederet, quæ ſecundùm Sedis Apoſtolicæ ſcripta tenenda ſunt; profectò non ad præſens & ad tempus duntaxat, ut ait, omittenda eſſet illa tractatio; ſed nuſquam in poſterum de illa iterum ſuſcipiendâ cogitandum eſſet. Siquidem ſtatuto ſemel fidei Canone, Theologis licitum ſemper erit, de incurrentibus minoris momenti quæſtionibus, pro arbitrio ſentire ac diſputare.

Tertium: Qui abſonum illum ſenſum Brevi Pontificio tribuunt, Innocentio XII. imprudentis animi ac violati juris labem irrogant. Quid enim tam imprudens ac juris legibus pugnans, quàm nullâ præmiſsâ de Divinis Auxiliis tractatione, (uti nullam tunc habitam norunt omnes) ea dogmata opinione libera pronunciare, quæ tanquam fidei capita decennali examine non ita pridem judicata fuerant. Neque tamen id obiter noto, quaſi Molinianæ ſcholæ ſententiam liberæ utcunque diſputationi obnoxiam non agnoſcam, agnoſco planè: at longè alia opinandi libertas eſt ex pronunciato judicio nata; alia diſputandi ex judicii dilatione permiſſa interim ac tolerata.

Quartum: Tractationem ſub Clemente & Paulo habitam, non exactam modò, ſed & exactiorem appellat Innocentius: quò ſuam de illa exiſtimationem prodat. illudque pervulgatum effatum, ex quo cauſæ ſuæ præſidium potiſſimum accerſebant victricis Gratiæ defenſores, ſuo calculo munit atque confirmat: *Gratiæ operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt*: Unde Molinæ cauſa attonſa eſt; gratiæ operi ac dignationi, gratiæ uſum, liberique Arbitrii determinationem ſubtrahentis.

Quintum addere liceat, quod omnem difficultatem abſolvat. Eminentiſſimus Cardinalis Hieronimus Caſanate, Romani nominis titulus, ingens latii decus, Senatui populoque Literatorum caput venerandum, ex cujus recenti interitu tantum ſacris Muſis diſpendium accidit, is, inquam Brevis Pontificii præ cæteris dignus interpres audiendus venit, qui in eo adornando Pontifici à ſecretis ac manu fuit. Hunc porrò non ſemel illis indignatum ſenſi, qui tam abſonum ei ſenſum affingerent, ac longè quàm vellet aliter interpretarentur, ut ſcholæ Thomiſticæ, cui Patronus aderat munificentiſſimus, importatam injuriam, damnumque illatum effutirent.

Jam verò neminem movere debet Lovanienſium Theologorum ſupplicatio Pontifici facta, quâ ab illo declarari poſtularunt, Gratiæ per ſe efficacis & gratuitæ Prædeſtinationis doctrinam, nullis hactenus emanatis Apoſtolicis decretis damnatam aut enervatam eſſe. Non enim id eo conſilio declarari poſtularunt, quaſi ea de re apud ipſos eruditoſque cæteros dubitatio ſubeſſet aliqua; ſed ut audax quorumdam petulantia Pontificiâ authoritate coerceretur, qui ea dogmata in Janſenii damnatione obliquè petita fabulantur, ſuiſque paſſim alphabetariis inſuſurrant, ut apud imperitos ſcholæ Thomiſticæ invidiam concitent, & Auguſtinum ipſum per Janſenii latus petant. Quin immò, ſi Lovanienſium ſupplicationem cum Pontificio Reſcripto conferamus, erit profectò ubi myſterium demiremur. Quid enim amabo eſt, quòd petentibus illis ut declaretur, duo hæc Thomiſticæ ſcholæ dogmata nullo Eccleſiæ judicio damnata vel enervata eſſe, nihil eo de judicio reſpondet Pontifex; nihil de judicio contra Janſenium, in quo æmuli obtrectatores enervata Thomiſtica dogmata paſſim obtendunt: ſed è contra, de ſolis Auxiliorum Congregationibus ſermonem habet, non eſſe inquiens opportunum ut exactior illa tractatio habeatur? Itane ut in Babelica molitione petenti trullam, cæmentum offertur? Minimè gentium. Sed eo Reſponſo ſignificavit Pontifex, tantum abeſſe, ut eorum dogmatum indemnitati conſulere neceſſe ſit, ut potiùs Auxiliorum Congregationem, ubi tam diligenter diſcuſſa probataque ſunt, ſuſpicere oporteat; cujus eſſet dubio procul ſententia pronuncianda, ſi id præſentium temporum opportunitas pateretur.

Hæc pro exponendo Pontificio Reſcripto Lovanienſibus dato abundè ſufficiant. Quæ ſi minùs refractariolis ingeniis ſapiunt, alio nos multóque faciliori reſponſo exſolvemus. Duo nempe eo Reſcripto contineri dicimus; primum, quod ex inſtituto contendit Pontifex, non expedire ſcilicet pendentem de divinis Auxi-

liis

liis Controverſiam definiri ac declarari, quod Lovanienſes Theologi precabantur: alterum, quod ex occaſione adfertur, uti ſuſcepti ab ſummo Pontifice conſilii ratio, clauſula ſcilicet Cœleſtini huic ſuo argumento accommodata. Certè tametſi quod ex inſtituto reſcribit Pontifex, ad fidei quæſtiones attineret, ut in decretalibus & Conciliorum ſanctionibus evenit; nulla tamen ratio poſtularet, ut rationes atque momenta, ad muniendam fidei definitionem inſinuata, religioſum à nobis aſſenſum extorquerent. Audi Melchiorem Canum, Epiſcopum Canarienſem, id eruditè ediſſerentem lib. 6. de locis cap. 8. ubi Alexandri III. definitionem exponit, capite *Cùm eſſes*, de Teſtamentis, qua decernit alienum eſſe à generali Eccleſiæ conſuetudine, & à divina Lege, & à Sanctorum Patrum ſtatutis, ut Teſtamenta niſi quinque vel ſeptem teſtium fuerint ſubſcriptione munita, penitùs reſcindantur. *In Decretis Pontificiis duo cum primis diſtinguenda ſunt. Unum eſt tanquam intentio concluſioque Decreti, alterum quaſi ratio & cauſa à Pontifice reddita ejus rei, quam conſtituerit. Atqui in Concluſione Pontifices ſummi errare nequeunt, ſi fidei quæſtionem è tribunali Apoſtolico decernant. Sin verò Pontificum rationes neceſſariæ non ſunt, ne dicam aptæ, probabiles, idoneæ, in his nihil eſt videlicet immorandum. Non enim pro cauſis nos à Pontificibus redditis tanquam pro aris & focis depugnamus. Alexander igitur non definit, conſuetudinem illiuſmodi eſſe divinæ legi contrariam, ſed quod Juriſperitis ferè placere video, jubet ut in legatis piis duo vel tres ſolùm teſtes à Judicibus exigantur. Hæc Decreti hujus concluſio eſt, hic finis: nec dubium eſt quin rem eam Pontifex jure quodam ſuo potuerit præſcribere. Sed ſi in ejus præſcripti confirmationem, Deuteronomii Lege utitur, (hanc quippe divinam nuncupat) ſi ad Canonum ſtatuta revocat, ſi Eccleſiæ morem affert, non eſt operæ pretium rationes illas ad vivum reſecare. Quemadmodum ſi Concilia quædam definiant duas eſſe in Deitate perſonas, Patrem & Filium, afferantque in hoc illud quoque Geneſeos teſtimonium,* Pluit dominus à domino, *non protinùs in fidei judicio errant, quamvis ex illo loco parùm aptè Trinitas comprobetur. Exſtat item Synodus, ubi de perpetuâ Mariæ Virginitate pronunciatum eſt: eâ re ſuadendâ referunt Patres portam apud Ezechielem clauſam. Irrideat ſi quis vult, ſed ridebit tamen fruſtra. Non enim ſemper Patres in fidei quæſtione cauſas afferunt neceſſarias, ſed interdum veroſimiles. Quòd ſi etiam Pontifices hujuſmodi ponendis cauſis quandoque falluntur, ne calumniandi ſunt quidem, tantùm abeſt ut inde loci hujus auctoritas infirmetur.* Ita planè eximii & accuratiſſimi criterii Theologus, idemque Pontificiæ autoritatis vindex ſtrenuus, quem ut ſplendidum Angelicæ Scholæ jubar ſuſpicio, vixque ulli conferendum. Jam ſi in ipſis Conſtitutionibus Decretalibus, Conſiliorumque ſtatutis, ubi fidei ſumma decernitur, rationes ac momenta definitionum, ab ipſis definitionibus ita ſecernere opus eſt, ut prioribus facti error ſubrepere poſſit, ſeu falſorum inſtrumentorum allegatione, ſeu ſiniſtra ſenſuum acceptione: quantò magis in Brevi Epiſtolari, ubi ab edenda definitione conſultò temperat, levis aberratio ſubrepere potuit, Cœleſtini clauſula perperam accipi, & peregrino argumento accommodari?

Ita reſpondeant neceſſe eſt, qui Baronii, Noriſii, Surii, Voſſii, Quenellii, Suareſii, Sirmondi, Labbæi ſententiam ſecuti, Cœleſtini ad Gallos Epiſtolam, in hæc verba deſinere putant: *Dominus incolumes vos cuſtodiat, fratres chariſſimi:* Reliqua verò adnexa Capitula Divo Proſpero, aut S. Leoni adjudicant. Criticæ lapſum Brevis Epiſtolaris Editori dubio procul adſcribent. Adſcribent & ii, qui cùm ea Capitula ſummæ authoritatis eſſe velint, ſubjectam tamen de quæſtionibus incurrentibus clauſulam addititiam exiſtimant, nec niſi longo poſt tempore Capitulis aſſutam. Et quidem Codices Manuſcripti non pauci, ac nonnulli etiam cuſi, miſsâ clauſulâ Capitula referunt. Quin etiam Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, adversùs Remigium Lugdunenſem, & Prudentium Tricaſſinum ſcribens, recenſitis decem Capitulis, clauſulam ſilet; tametſi hæc illius inſtituto plus fortè conduceret, quàm ipſa recenſita Capitula: unde non levis ſuſpicio ſubit, hanc à Remenſis Bibliothecæ Codicibus abfuiſſe. *Vide Sirmondi Editionem.*

Hæc fuſiùs proſequi libuit, ut omnes intelligant, quàm levi quàm futili niterentur argumento, qui objectâ Paulo V. hujuſce clauſulæ evanidâ ſpecie, judicium de divinæ gratiæ controverſiis morari conabantur: utque ſeri ac ſuccedanei Molinianæ cauſæ patroni, quibus hoc idem nuper in Belgio recudere libuit, fiduciam deponant, nec ſe eo deinceps ſcuto protegant. Jam Hiſtoricam narrationem reſumimus, ac textrinum ingreſſi, telam denuò capeſſimus, novoque

voque labore redordimur.

CAPUT VI.

Paulus V. meliora Consilia &c.

Ad Cap. 5. *Pag.* 609. *lin.* 30. *post hæc verba* : Veritas inerit.

At ut ut se res habeat, nihil sales illos, nihil facetias, scommata, dicteria, divinæ gratiæ vindices morantur : sua quoque ab Pelagianis imposita per contumeliam cognomina passum Augustinum satis norunt; *Traducianum* scilicet, ob assertum Originale Peccatum, ex Adamo traductum in posteros, vulgò dictum, seu *Traducianæ gentis Primatem*. Libro 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 66. & 76. Quod illi primùm impositum nomen, ab Anniano petulantis ingenii viro, cujus operas Pelagius & Orontius, ad sectam promovendam locarunt; ut ex ejus Epistolâ Nuncupatoria versionis Latinæ Homiliarum D. Joannis Chrysostomi, de laudibus D. Pauli, colligi potest : tum deinceps frequentiùs ab Juliano per ludibrium decantatum. Cui & familiare præ cæteris erat, S. Augustinum inter disputandum dicteriis proscindere : *Numidam cetratum*, *tractatorem pœnum*, *Philosophastrum*, *pistillo obtusiorem*, *patronum asinorum* vocitare. Ut hinc noveris, quonam ex fonte, insulsa illa dicteriis ludendi & illudendi licentia fluxerit.

Subjunxit &c.

Ad Cap. 15. *Pag.* 668. *lin.* 24. *post hæc verba* : dignitas postularet.

Scriptorum à Jesuitis ea occasione exhibitorum, de quibus clarissimus Bossutius pronunciavit, primum erat, *Collatio doctrinæ Thomisticæ & Calvinianæ*, à Ferdinando de Bastida elaborata, & in publica disputatione coram Paulo V. recitata die 10. Januarii. Hanc extemporaneâ Responsione jam pridem refellerat Thomas de Lemos, hoc ipso solenni congressu, quo primùm à Molinianis producta est; ac tum demum, triplici scripto Pontifici dato, majori otio confutaverat : atque ut par pari referret, Collationem addiderat doctrinæ Molinianæ ac Pelagianæ circa divinam Prædestinationem & Gratiam : qua Propositiones Molinæ triginta tres cum Pelagianis erroribus eâdem staterâ appendebantur; additâ singulis, instar antidoti, S. Augustini sententiâ, Ecclesiæ judicio consecrata.

Lib. 4. Cap. 14.

Exstat in Lemosii Advers. vol. sig. T. p. 245.

De omnibus fusè dixit doctissimus Bossutius in Judicio Censorio. Lemosii Responsa per omnia probavit, ut solvendis Bastidæ cavillationibus opportuna. Productis in medium Lutheri & Calvini assertionibus, Thomistas etiam severiores, ac ipsum quoque Bannesium, in quem potissimum turbo detonuerat, procul ab iis stare ait, tum ex ipsa loquendi ratione, tum in ipsa Doctrinæ, summâ, tum fine ac scopo, quo Gratiam se ipsâ efficacem tuebantur. Bastidam etiam eo maximè nomine fraudis reum habuit, quòd minùs sincerâ & integrâ fide utriusque partis sententias retulisset.

Scriptum alterum à Molinæ Actoribus Paulo datum, illud ipsum est, de quo nobis lib. 2. cap. 11. sermo fuit, ad suffuranda quorumdam Doctorum Bononiensium suffragia anno 1600. consarcinatum, & à Thoma de Lemos prolixa jam tunc scriptione confutatum, cui titulum fecerant, *Status Controversiæ de efficacia Gratiæ*. Septem veluti partes complectebatur. Prima quatuor statuebat Doctrinæ Capita, de quibus Thomistas inter & Molinianos conveniret. Altera, Thomistarum sententiam exponebat. Tertia, momenta decem, queis ea refelleretur, exsequebatur. Quarta, Molinianæ scholæ opinionem repræsentabat. Quinta, quid Theologi de utraque sententiâ pronunciarent, referebat. Sexta, nonnulla derivabat consectaria. Septima, quorumdam Theologorum Bononiensium emendicata suffragia continebat.

In singulas scripti partes Censuram acuit Jacobus Bossutius; totamque lucubrationem ad sublinienda imprudentum Theologorum ora fucatam, multaque cerussâ compositam dixit. Quatuor doctrinæ capita in quibus Molinistæ ac Thomistæ mutuò convenire dicebantur, ambiguo ac versatili sensui obnoxia esse; quin etiam ex illis postrema duo à Molinæ mente longè distare censuit. Scripti consarcinatores in exponenda Thomisticæ scholæ sententiâ ingentis fallaciæ reos egit; quòd multa illi peregrina supposuissent, iisque pigmentis doctrinam ejus obduxissent; quasi non aliam gratiam, nisi se ipsâ prorsus efficacem agnosceret; dissentiendi facultatem Libero Arbitrio efficaci gratiâ moto diffiteretur; idemque auxilii genus ad mala perinde ac bona peragenda desideraret. Decem Momenta queis Angelica sententia fugillatur, minutatim dispunxit, objectâ non semel importunis accusatoribus fraudis & fallaciæ criminatione. Molinianæ sententiæ expositionem nihilo sinceriorem habuit : seu quòd multa verbis ambiguis

ac verſatilibus involveret, ne virus palam prodiret; ſeu quòd multa complecteretur à Molinæ mente remotiſſima: quod is novem præſertim Capitibus demonſtravit. Conſectaria ex ſtatutis aſſertionibus derivata, eodem hærere luto multis oſtendit, totamque rei ſummam in duodecim Capita digeſtam in aperto poſuit, ſemota undique larvâ qua fucum facere nitebantur: ac tandem Theologos in Molinianæ ſententiæ præſidium, quinto ordine advocatos, nonnullosque Bononiæ Magiſtros, qui fucatâ utriusque ſententiæ expoſitione decepti, incircumſpectè ſubscripſerant, eodem quo cæteros (de quibus mox alterius ſcripti occaſione ſermo erit) ſale defricuit.

Tertium Scriptum obtulere Moliniani, Theſium farraginem, jam dudum anno 1600. Clementi exhibitam, ac duplici Prædicatorum ſcripto ex ejusdem juſſu confutatam, de quo Libro 2. Capite 10. multa diximus. Has Theſium laſcinias, quibus Molinæ aſſertiones numero quatuor à privatis viris ſoloque capite cenſis, defenſatæ ferebantur, immiti virgâ excepit Cenſor æquiſſimus. Has D. Auguſtino ac D. Thomæ repugnantes demonſtravit: eaque ſingulari Tractatu in pauca contulit, quæ fuſiùs Prædicatores exſecuti fuerant, ad elevandam defenſorum Authoritatem; quos projectis artibus & indecorâ prehenſatione Jeſuitæ redemerant, ut hanc qualemcumque Molinianæ cauſæ advocationem accommodarent.

Quartum Scriptum à Societatis Oratoribus Paulo V. exhibitum, non aliud ab eo eſt, quod aliàs ex Clementis VIII. juſſu eruditâ Cenſurâ confixerat Cardinalis Ludovicus Madrucius anno 1599. eo maximè nomine, quòd Scholæ Thomiſticæ doctrinam, tacitis defenſorum nominibus, adulteraſſent decem Societatis Profeſſores, alieniſque coloribus obduxiſſent; ut nonnullas Academias, Ingolſtadienſem ſcilicet, Græcenſem Dilinganam, Wirceburgenſem, Moguntinam, Muſſipontanam, Trevirenſem ac Viennenſem occuparent, illarumque ſuffragia dolo extorquerent. Qua de re legendus venit Liber 2. Cap. 4. ut hinc videas, Molinianos extremo iſto conatu nonniſi detritas atque interpolatas merces, Apoſtolicæ Sedi obtuliſſe; in quas jam diu Vir meritiſſimus, primuſque hujuſce cauſæ Cognitor ab Apoſtolica Sede datus, pronunciaverat.

In hanc itaque Scriptionem, (cui titulus erat, *Confutatio cujuſdam Sententiæ falſæ de efficacitate divinæ gratiæ*) ſeveriorem Cenſuram exercet Jacobus Boſſutius. Thomiſticæ Sententiæ expoſitionem diſſimulatis Authorum nominibus initio poſitam, uti ſpuriam ſugillat, & ab Thomiſtarum mente remotiſſimam. Quocircà poſt multa eruditè obſervata, ita colligit: *Quòd ſi concedamus rejiciendam eſſe Sententiam, quam tot fallaciis hi Patres implicarunt potiùs quàm explicarunt; non continuò concederemus rejiciendam eſſe Sententiam de Gratia movente activè, propriè, & per conſequens determinante.* Tum momenta decem, quibus expoſita Sententia confutabatur, minutatim diſpungit. Primum, quo Gratia ſe ipsâ efficax & prædeterminans, atris coloribus expreſſâ, cum Calvinianorum errore conferebatur, duriùs præ cæteris excipit; hancque Cenſuræ ſuæ partem, hac brevi obſervatione concludit. *Conſtat ſatis ex ſuperioribus, tantis fallaciis & ambiguitatibus, ne nominem falſitates, implicatam potiùs quàm explicatam, omninò alienam eſſe à Sententia Patrum Dominicanorum. Tantum abeſt ut ex eis ſequatur concluſio, quæ hìc ponitur, (nempe cum hæreticorum Doctrina convenire) ut potiùs ſequatur ex animadverſionibus & reſponſis, magnam illis injuriam per hanc Concluſionem irrogari, ſaltem quantum ad ſuſceptam contra eos Diſputationem. Nam in re, nihil contra eos concluditur, propter illa ſic aut propoſita aut expoſita à Patribus Societatis. Cùm illorum Sententia & libertatem arbitrii perficiat per gratiam, & cum deciſionibus Sacri Concilii benè cohæreat.*

Cætera quæque momenta ad criſim exigit vir eruditus; abſterſo ubique fuco, quo ſcholæ Angelicæ doctrinam obduxerant, ut incautorum Theologorum nares verberarent. Ac tandem greſſum ad ultimum faciens, criminatores malæ fidei poſtulat, quòd hanc extremo tandem loco Thomiſticæ ſententiæ expoſitionem dediſſent, dignum patellâ operculum, totiuſque larvati operis colophonem. *Authores illi* (verba ſunt criminatorum adverſæ partis ſententiam exponentium) *propterea contendunt, Deum antecedenter omninò prædeterminare illo modo voluntatem ad actum converſionis, quia ſibi perſuaſerunt, Deum ut cauſam univerſalem, non aliter cum qualibet cauſa ſecunda contingenti ſeu libera concurrere ad ſuum effectum prædeterminando, & priùs aliquid imprimendo & efficiendo in illa; quo poſito non poſſit non agere.* A quo quidem errore Angelicæ ſcholæ Theologos procul abire, multis oſtendit.

Ea officii parte exſolutus Boſſutius, ſermonem ad Theologorum ſuffragia convertit, qui ſententiam tum hoc tum altero ſuperiori ſcripto atris coloribus expreſſam, adjecto Chirographo, erroneam dixerant, & in Societatis partes abierant. Quocirca non pauca habet obſervatione digniſſima. Primùm nil mirum fore ait, ſi plures Societatis doctrinæ (quam Semipelagianam pronunciat) albos calculos adjeciſſent, quòd ea ſit erroris indoles, ut ſerpat veluti cancer ; quod Arianorum exemplo perſpicuum facit. Secundò non ſuccenſendum viris fortaſſe piis & eruditis, ſi falſa imagine deluſi, erroris luto hæreant, quo necdum tempore Eccleſiæ judicio eliquata veritas eſt ; uti planè in hæreſi Semipelagiana videre fuit. Quare, *nil mirum*, addit, *ſed dolendum, quod Molina, Suares, & alii Patres Societatis omnes egregiè docti, hujus opinionis ab Eccleſia profligatæ patrocinium ſumſerint, alioſque viros doctos habuerint ſibi conſentientes.* Tertiò, nihili faciendum eorum Theologorum ſuffragium, qui ex præjudicatâ eruditionis ac probitatis opinione, in Societatis ſtudia venerant ; & adverſæ partis ſententiam, uti illis exponebatur, incautâ ſubſcriptione damnaverant, quia eas Academias magnâ ex parte Jeſuitæ moderabantur, eoſque ipſos Theologos Molinianæ ſententiæ ſuffragatores inſtituerant. *Cùm ergo*, inquit, *certum ſit, Patres Societatis illarum Academiarum, quarum ſuffragia proferunt habenas moderari, ibique reſidere eos Theologos, aut qui ſunt de eadem Societate, aut qui à Patribus Societatis hanc Doctrinam hauſerant; à quibus etiam Theſeon defenſores, quas ſecundùm illorum opiniones defenſarunt, didicerunt; non mirum videri debet, ſi ad illorum ſententiam venerunt; quos etiam nomine pietatis & literarum ubique celebres eſſe perſpiciebant.* Quare & iis Jeſuiticæ Doctrinæ Approbatoribus, dictum illud accommodat D. Proſperi, quo imprudentes Semipelagianæ hæreſeos ſuffragatores ludebat, qui una Magiſtrorum ſuorum exiſtimatione concitati, ex ſententiâ pronunciabant : *Simpliciores quique, apud quos magna eſt horum de contemplatione probitatis reverentia, hoc tutiſſimum ſibi exiſtimant, quod audiunt eos, quorum authoritatem ſine judicio ſequuntur, aſſerere.* Quartò, tantum abeſſe ait Cenſor meritiſſimus, ut pauculi illi, & qualeſcumque Molinianæ cauſæ ſuffragatores, præſidio illi eſſe poſſint, ut contra potiùs luculentiùs oſtendant, partem adverſam Approbatorum numero vincere. *Quia cùm ſint penè innumeri Doctores ſeu Magiſtri in Theologia in omnibus locis Catholicis, cumque illi qui ſtant à partibus Patrum Societatis, ſint in numerato magnum eſt præjudicium, eos qui non ſtant vincere longè majore multitudine. Et ſecundò apud me mirum eſt, quòd cum hi Patres tot annis conati fuerint emendicare ſuffragia tot Theologorum, qui ſunt in omnibus Academiis Catholicis, tam pauci fuerint reperti ſententiæ illorum aſſertores.* Quintò expungendos omnino cenſet ex eo Theologorum ſubſcribentium calculo quotquot erant è Societate Profeſſores, qui ſub honeſto Academiarum nomine aliis Doctoribus permixti, de controverſa doctrinâ pronunciaverant : *quòd eorum ſuſpecta ſint teſtimonia quæ de ſe ipſis perhibebant in actione contra illos intentatâ.* Sextò, Germanicas illas Academias, quarum ſuffragatione gloriabantur, nihil aliud magna ex parte fuiſſe monet, quàm ipſorum Jeſuitarum Collegia, quæ ſuperbo Academiarum nomine cohoneſtaverant. *Hoc ſolùm dico*, inquit, *me accepiſſe, Patres Societatis, in illis partibus, aliquorum Collegiorum derelictorum ſuſcepiſſe patrocinium, & illa cohoneſtaſſe nomine Univerſitatis, conſtitutis paucis Profeſſoribus, ſive ex ſua Societate, ſive ex ſuis diſcipulis.* Septimò, nihil contra germanam Prædicatorum doctrinam extundi poſſe, quòd iis ſcriptis adversùs illos elaboratis ſuos calculos adjeciſſent aliqui : *Quia per hæc teſtimonia, non improbatur abſolutè ſententia Patrum Dominicanorum, ſed prout (ait Univerſitas Ingolſtadienſis) vel uti hic (ait Dilingana) refertur : cæteræ verò Univerſitates dicunt ſe improbare ſententiam hoc ſcripto propoſitam & confutatam. Conſtat verò ex his, quæ diximus ad res ipſas contentas, tam in primo quàm in tertio, illam ſententiam malè fuiſſe propoſitam, & pejus refutatam.*

Epiſt. ad S. Aug.

Tum demum, breviter eventilatis, nonnullis commendatitiis Epiſtolis, jam olim ad Clementem VIII. datis, quarum tranſumta, hac etiam occaſione Paulo V. obtulerant, ut illum quoque eodem ariete pulſarent, cenſuram omnem his verbis abſolvit: *Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ mihi viſa ſunt obſervanda in ſcripturis PP. Societatis, quas veſtra Sanctitas voluit à nobis examinari. In quibus ſi veſtra Sanctitas reprehendendam judicet, vel obſcuritatem in ſententiis, vel rigiditatem in his verbis*, fraudes, fallaciæ, falſitates, *& ſimilibus ; primò veniam precabor talium & ſimilium errorum, qui mihi obrepſerint : deinde*

de respondebo, materiarum quæ tractantur difficultates, & studium brevitatis, peperisse talem obscuritatem; rigiditatem verò verborum adhibitam fuisse pro indignatione qua afficior, dum video, tenui meo judicio, non agi apud vestram Sanctitatem ea fide & candore animi, quem res tam seria, & Sanctitatis vestræ veneratio postularent. Feret etiam patienter vestra Sanctitas liturας & maculas hujus codicilli; quia ætas mea ingravescens, & continua qua torqueor stomachi infirmitas non siverunt, me rursus illum transcribere; ut tersiorem exhiberem vestræ Sanctitati, Quam Deus ad Ecclesiæ suæ sanctæ profectum diu servet incolumem. Vestræ sanctitatis servulus humillimus, F. Jacobus le Bossu Benedictinus ex Cœnobio S. Dionisii in Francia, & Doctor Theologus ex Sorbona Parisiensi. Exstat Autographum in Tabulario Bibliothecæ Angelicæ, Ord. S. Augustini, inter cætera documenta ad causam *de Auxiliis* spectantia.

Libuit de eo Clarissimi Bossutii Judicio Censorio dicere paulò fusiùs; & quæ ad elevanda Germanicarum Academiarum suffragia observavit, distinctiùs adnotare; ut hinc Viri Literarii norint, quàm temerè ea nobis suffragia venditent scriptores Moliniani: quàm fidenter suas illas Academias jactitarit novissimus Actor Rotomagensis, in Thesibus die 10. Januarii 1698. *Molinæ Librum Academiarum undecim judicio comprobatum* effutiens, ut incautos superbo Academiarum nomine terrefaceret. Scholæ siquidem, quas hic taeitis nominibus appellat, Ingolstadiensis, Græcensis, Dilingana, Wirceburgensis, Moguntina, Mussipontana, & Trevirensis, non tam Academiæ titulo censendæ veniunt, quàm mera Societatis Gymnasia nuncupandæ. Aut certè, si eas honesto Academiæ nomine insignire lubet, has saltem Academias Jesuitæ moderantur, Theologicas Cathedras occupant, gradus literarios dispensant, omnia pro nutu & arbitrio regunt; ut non tam Theologi affectu liberi, quàm Jesuitæ ipsi, in quos intentata lis erat, pro sua ipsorum sententiâ suffragia tulisse, atque in partem adversam pronunciasse, putandi sint. Ac re quidem ipsa sic factum comperitur: quandoquidem Theologos inter quadraginta & octo, qui iis qualiumcumque Academiarum judiciis subscripserunt, triginta & eo ampliùs è Societate numerare licet, qui arrogato sibi suffragii jure, domesticæ causæ judicium affectabant: atque etiam, quod festivum magis ac lepidum, dissimulato in Chirographis tacitoque Jesuiticæ Professionis nomine, ut Romanis oculis faciliùs illuderent. Rem totam ob oculos ponam, & occultæ machinationis vela reducam: ne quis fortè putet, id à me pro arbitrio dictum, ut Academiarum suffragia licentiùs exsufflarem. Ita quippe se habent publica earum instrumenta, queis quartum illud scriptum à Jesuitis elaboratum, de quo mox dicebam, sua subscriptione comprobarant.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ INGOLSTADIENSIS.

Exstant in Tab. Augustin. Romæ.

Nos infra scripti, almæ Universitatis Ingolstadiensis Professores Theologi, ad hujus quæstionis discussionem Collegialiter & specialiter congregati, matura adhibita consideratione, unanimiter censuimus sententiam istam, de præmotione & prædeterminatione voluntatis humanæ in opere justificationis, prout hic refertur & refutatur, erroneam, & à scholis & Templis procul arcendam.

Petrus Stevartius Academiæ Ingolstadiensis Professor Theologus, & pro tempore Rector.

Albertus Hungerus ejusdem Academiæ Professor Theologus, & Procancellarius.

Michael Eiselin Theologiæ Professor, & hoc tempore Decanus.

Joannes Ripelius Sacræ Theologiæ Doctor, ejusdemque in dicta Universitate Professor.

Jacobus Gretserus Sacræ Theologiæ Professor.

Duos hìc Societatis Theologos habes, Michaelem Eiselinum & Jacobum Gretserum, qui tacita in Chirographis Professione, in causa domestica judicium exercent, eaque studiosa dissimulatione incautis illudunt.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ GRÆCENSIS.

Nos quoque infra scripti, Sacræ Theologiæ Doctores & Professores Almæ Universitatis Græcensis, eamdem sententiam hoc scripto propositam & refutatam, Catholicæ doctrinæ adversari, atque ab Ecclesia & scholis exterminandam esse, censemus.

Paulus Heukirchius S. Theologiæ Doctor & Academiæ Rector.

Joannes Klein S. Theologiæ Doctor & Professor & hoc tempore Decanus.

Michael Pollet Doctor S. Theologiæ.

Joannes Gerottus S. Theologiæ Professor.

Academiam Græcensem, nil nisi Societatis Collegium esse, à Carolo Archidu-

ce Ferdinandi II. Imperatoris Patre erectum, & Academiæ titulis ornatum, nota res est. Paulum Heukirchium, Joannem Kleinum, & Joannem Gerottum, Societatis Jesu viros esse, æque constat; tametsi ad fucum faciendum, religiosam Professionem subscribendo reticuerint. De solo Michaele Polleto dubium mihi.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ DILINGANÆ.

Nos quoque Doctores ac Professores Theologiæ in Academia Dilingana, Collegialiter congregati, sententiam illam de Gratia prædeterminante, scripti hujus initio propositam, omninò falsam & erroneam, atque ab Ecclesia rejiciendam, & cum nostri temporis hæresibus conjunctam, beneque ac solidè hoc scripto confutatam existimamus. In quorum fidem nos hìc subscripsimus 26. Maii 1599.

Matthias Mairhofer Rector Academiæ.
Julius Priscianensis Cancellarius.
Joannes Pelicyus Professor.
Petrus Bacherus Theologiæ Professor.
Georgius Thederus Theologiæ Professor.
Joannes Saller Theologiæ Professor.

Et hi omnes ad unum Jesuitici instituti Viri sunt: quod inter subscribendum de industria silent; ne cæteris stomachum moveant, dum de lite in Societatem suam intentata sententiam ferunt.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ WIRCEBURGENSIS.

Et nos Theologi & Professores Academiæ Wirceburgensis, judicamus, sententiam illam de Gratia prædeterminante, uti in hoc scripto refertur, falsam esse; & hoc potissimùm tempore à scholis (quod hæreticis non parum faveat) eliminandam.

Eucharius S. Theologiæ Doctor & ordinarius Professor; ac ejusdem Facultatis pro tempore Decanus.

Petrus Thyræus S. Theologiæ Doctor & ordinarius Professor.

Martinus Becanus S. Theologiæ Doctor & Professor ordinarius.

Joannes Pernotus.

Hermandus Sandorpius Studiorum Præfectus.

Nullo omninò demto, latent hic sub larvâ Jesuitæ Senatores, & de gravi supercilio in partem adversam, virgam exerunt, novo atque in hanc diem inaudito jure. Et verò Wirceburgensem sive Herbipolensem Academiam bellorum injuriâ collapsam, Societatis tandem Patribus anno 1564. datam esse, illorumque curæ commissam, testatur Andreas Mendo Societatis Jesu Professor, libro de jure Academico quæst. 4. & Jacobi Middendorpii suffragio confirmat. *Herbipolensis Episcopus*, ait ille, *& Princeps Fridericus Urbem & Provinciam instauraturus, à religione & litteris, quæ unà ferè interierant, exordium duxit; & anno 1564. dum adhuc fluctuabat, Societatis Jesu Patres evocavit, illisque juventutem tam in bonis litteris quàm pietate & moribus erudiendam instituendamque commisit.*

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ MOGUNTINÆ.

Et nos inclitæ Academiæ Moguntinæ, Theologi Professores, a Facultatis Theologicæ Decano convocati, cùm privatim singuli scriptum hoc legissemus ac perpendissemus, unanimi consensu judicavimus, Opinionem illam, de divina prædeterminatione voluntatis nostræ, initio propositam & confutatam, inter periculosas, erroneas & temerarias numerandam, meritóque sedis Apostolicæ calculo, videri condemnandam.

Stephanus Umberus Episcopus Misiensis Suffraganeus Moguntinus, S. Theologiæ Doctor, & Facultatis ejusdem pro tempore Decanus.

Joannes Buscus, S. Theologiæ Doctor & Professor ordinarius.

Christianus Agricola D. Petri & Pauli Collegiatarum Ecclesiæ Moguntinæ Præpositus & Decanus, Sigillifer Reverendissimi.

Joannes Musulinius S. Theologiæ Professor ordinarius.

Albertus de Puteo S. Theologiæ Doctor, Ædis D. Albani extra muros Moguntinus Vicarius.

Franciscus Rapedius S. Theologiæ Doctor.

Georgius Bademus S. Theologiæ Doctor & studiorum Præfectus.

Thomas Masonius S. Theologiæ Doctor, & Professor ordinarius.

Petrus Windus S. Theologiæ Professor ordinarius.

Nicolaus Serrarius S. Theologiæ Doctor & Professor ordinarius.

Septem hìc Societatis Actores in scenam veniunt, qui sepositâ Sodalitii veste, Thomisticæ scholæ doctrinam ludunt. Nimirum Joannes Buscus, Joannes Musulinius, Franciscus Rapedius, Georgius Bademus, Thomas Masonius, Petrus Windus, & Nicolaus Serrarius. Academiam Moguntinam nil nisi Societatis suæ scholam esse, monet idem ille: jam à me appellatus Andreas Mendo. *Moguntina Academia*

Academia instituta anno 1482. *à Diethero Isenburgio Archiepiscopo Moguntino, Patribus nostræ Societatis Jesu diu tradita est, in eaque Philosophiam, linguarum notitiam & Theologiam edocent.*

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ TREVIRENSIS.

Nos Decanus & Facultas Universitatis Trevirensis, re propositâ diligenterque discussâ, tandem concluſimus, hanc sententiam, quæ sequitur Gratiam Dei efficacem contineri propriè divina quadam Prædeterminatione voluntatis humanæ; quæ prædeterminatio sit impressio divina hujusmodi naturæ, ut illa impressione positâ & stante in hominis voluntate, non possit homo non converti, sed necessariò ex illius impressionis hypothesi, suapte naturâ voluntas hominis convertatur, esse non modo temerariam & periculosam, verùm etiam à sacrosancta Synodo Tridentina non obscurè improbari; ac proinde minimè in scholis tradendam, aut evulgandam: salvo meliori judicio.

Ego Joannes Macherentinus S. Theologiæ Doctor, & pro tempore Facultatis Theologicæ Decanus, subscripsi.

Similiter & ego Ambrosius Carolus, S. Theologiæ Doctor, & Professor ordinarius, & Præfectus studiorum.

Idem & ego sentio Adrianus vanden Bruele, S. Theologiæ Doctor ad sanctum Simeonem Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Trevirensis, Rector.

Idem & ego Jacobus Fischerus S. Theologiæ Doctor Canonicus & Cantor S. Mariæ Rolatiolensis.

Similiter & ego Petrus Rossembam Collegii Rector.

Similiter & ego Conrardus Hungerus S. Theologiæ Professor.

Huic Trevirensium judicio, consedere viri è Societate, numero quatuor; Joannes Macherentinus, Ambrosius Carolus, Petrus Rossembam, Conradus Hungerus; tametsi de industria nullam, inter subscribendum, instituti sui mentionem faciant.

Quid plura? hæc ipsa Trevirensis Academia, eâ præsertim ætate temporum, quâ se in istam de divinis auxiliis litem intulit, sub Patrum Societatis curâ degebat. Id ex Jacobo Middendorpio facilè colligas, Opusculo de Academiis Christiani Orbis, quod anno 1572. Pio V. Pont. Max. nuncupavit: ubi hæc habet Lib. 2. *Trevirensis hæc Academia, antiquissima quidem omnium Academiarum Germaniæ esse creditur, sed propter varias ejus mutationes, temporisque injuriam, ferè collapsam, nuper prudentissimi Archipræsulis Joannis voluntate & munificentiâ, Dominî de Societate Jesu instaurarunt.*

Porrò quamvis Trevirenses illi Theologi scholæ Thomisticæ doctrinam de gratia per se efficaci, convertendis peccatoribus necessaria, alienâ larvâ fraudulenter tectam damnarint, iidem tamen veram Thomistarum sententiam forsan ambabus ulnis amplexi fuissent, si sincerè illis esset exhibita. Quin enim eorum saltem nonnulli eamdem atque Thomistæ profiterentur sententiam dubitare nos non sinit *Joannes* ille *Theodorici* Facultatis Decanus, è vico *Macheren* in ditione Luxemburgensi *Macherentinus* dictus. Is enim in Explanatione Catechismi Catholici, autoritate Joannis S.R.I Electoris & Archiepiscopi Trevirensis edita A. 1599. dum ferverent Romanæ de Auxiliis Congregationes, & A. 1612. eâdem autoritate denuò recognitâ & auctâ; is, inquam, explanans *gratiam obtemperandi divinis præceptis*, ut loquitur, sic illam exponit ut SS. Augustini & Thomæ discipulum audire te putaveris. Primùm enim quid possit natura sine gratia sic explicat: *Post peccatum corruptâ naturâ, invetitum nititur homo, ut sine peculiari Dei auxilio cujusvis potiùs quàm Dei voluntatem sequatur. Captivus enim tenetur ad voluntatem dæmonis, conversatur in desideriis & voluntate carnis & cogitationum, quæritque invenire & perficere voluntatem suam.* Postmodùm agens *de Contritione prima pœnitentiæ parte*, quærit, *quod est verè ac salutaris pœnitentiæ principium atque origo*, sicque respondet: „ Divinæ gratiæ operatio cor nostrum ad se convertentis. Unde Apostolus *eos qui veritati contradicunt, modestè corripiendos* monet, ne quando (inquit) *det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à laqueis diaboli, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Est igitur liberale donum Dei pœnitentia, nullis nostris meritis redditum, sed infinitâ Dei misericordiâ propter nomen suum donatum nobis, juxta Scripturæ Sacræ & Ecclesiæ definitiones. Quæ doctrina ut veræ humilitatis & solidæ pietatis solidum fundamentum retinenda est.

Explic. Orat. Dominicæ ad Fiat voluntas tua.

2. *Tim.* 2

Tum explicat varios affectus actusque quibus utitur Deus ut peccatorem ad veram pœnitentiam adducat, illosque appellat *divinæ gratiæ admirenda opera*, quibus eosdem *suaviter Deus disponit, prout scilicet illi placet, qui habet corda nostra in manu sua.*

Posteà sciscitatur, *Quinam communiter inveniuntur gradus ad pœnitentiam veram?* Respondet, *post primam illam divinæ gratiæ operationem, communiter quinque actibus quasi quinque gradibus ad veram pœnitentiam pervenitur.* Postque fidem, timorem servilem & spem, *Quartus*, inquit, *veræ charitatis, quo propter Deum ipsa peccata displicent. Quintus denique Timoris filialis, quo Deo ultrò ob reverentiam ejus, emendationem vitæ & satisfactionem prout possumus, offerimus.*

Quærit insuper *quanta debeat esse contritio, seu dolor ut ad peccati remissionem sufficiat?* scilicet in Sacramento & per Sacramentum Pœnitentiæ, de quo agit. En ut satisfacit quæstioni: *Requiritur & sufficit, ut ex vera Dei charitate super omnia emanet, ipsamque habeat conjunctam. Si enim ille animi motus ex aliis, quàm Dei amore, procedit, non ad Deum, sed ad illud bonum ducit. Si procedit ex Dei amore, sed non perfecto, non conjungit perfectè.*

Dolor iste (inquit) (*qui voluntatis est non sensus*) *& qui odium peccati, detestatio & nolitio dici potest, in pœnitente summus esse debet, ut scilicet peccatum præ cæteris omnibus malis detestemur, odio habeamus & nolimus. Quoniam hìc dolor respondet amori charitatis, qui principatum & dominium ita habere debet in corde, ut alia omnia quæ amantur, minùs amentur quàm Deus.*

Quamobrem *hic dolor esse debet integer & verus, sicut verus Dei amor, ut excedat in Dei oculis omnem alium affectum voluntatis &c.*

Non otiosè & extra propositum hæc de dolore charitatis referimus: arctissimo enim sibi invicem vinculo connectuntur duo ista veræ conversionis principia, *gratiæ divinæ operatio, & amor charitatis*, quibus, isto autore, concipitur, mirabile veræ conversionis opus. Quamobrem æquis plerumque passibus progrediuntur in scholis, gratiæ ad conversionem necessariæ operandi modus, & dispositio ex parte pœnitentis requisita. Molinianæ gratiæ modulus iis sufficit qui ex solo gehennæ timore conceptum dolorem unicè requirunt; Augustinianæ gratiæ validam & efficacem operationem necessariam prædicant, qui dolorem ex amore Dei offensi ortum remissioni peccatorum viam necessariò sternere contendunt: ex istis unum esse Joannem Macherentinum satis superque manifestum faciunt quæ ex eo hactenus descripsimus.

Idem confirmat quæ apud illum sequuntur *de modo ac via rectè agendi Pœnitentiam. Primum*, inquit, *volentem agere integrè, ante omnia divinæ bonitati ejusque gratiæ inniti oportet, & per humilem instantemque orationem ante omnia gratiam pœnitendi sibi à Deo postulare necesse est. Proponendæ sunt igitur Sanctorum & Prophetarum orationes, quibus tam instanter illi hoc à Deo postulant, & confitentur se id à seipsis habere non posse. Unde illud Jeremiæ:* Converte me Domine, & convertar, quia tu Deus meus. Jerem. 31.
Et quod sequitur est valdè considerandum: Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum: confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Itaque opus est ut Deus ostendat nobis, quales in peccato simus & qualia sint ipsa peccata: ostendat, inquam,* NON TANTUM PROPONENS ANTE OCULOS (en Molinianæ gratiæ agendi modum) *Sed etiam* AGENS UT *considéremus, & ita considéremus ut consideratio penetret voluntatis ipsius intima* (Ecce efficacem gratiæ Augustiniano-Thomisticæ vim, omnipotentissimamque operationem) *Cum ergo* (pergit Autor) *dicitur per Prophetam peccatrici animæ:* Leva oculos tuos in directum, & vide ubi non prostrata sis; Jeremiæ 3
Statim id convertamus in orationem, ut videlicet ipse qui præcipit DET *levare oculos & perspicere atque perpendere, quàm longè à Deo per peccatum recedamus.*

Denique quàm potenter in pœnitentis corde operetur Deus *Justificationis donum, non satis dignè*, inquit, *commendandum*, pluribus expendit. *Beatus Augustinus*, inquit *tanti hoc opus justificationis facit, ut verba illa Christi:* Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & majora horum faciet, *de hoc justificationis opere exponens quod cooperante Deo nos etiam facimus.* PRORSUS *inquit*, majus hoc „esse dixerim quàm est cœlum & terra „&c.... *& denique Angelorum creationi „hoc opus ibi conferens:* Non, *inquit*, hic „audeo præcipitare sententiam, intelligat „qui potest, judicet qui potest, utrum „majus sit justos creare, quàm impios justi„ficare. Certè enim si *æqualis est utrumque potentiæ*, hoc majoris est misericordiæ. Tractatu 72. in Joann. c. 14.

Quantum verò hoc, ut cum post hoc beneficium inimicos nos constituerimus, rursus nos invitet ad amicitiam & recipiat..... & ita trahit, ut nisi traheret nequaquam redire possemus: Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit illum. Joann. 6.
Meritò itaque gloriatur Deus: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Isaiæ 43.
Itaque qui peccarit se quasi in profundissimam voragi-

nem dejectum atque à se ipso præcipitatum cogitet & absorptum à vi atque tempestate profundissimi maris, non aliter certè quàm Jonas fuit in ventre ceti. Et ita opus est ut oret & clamet ad Deum pro gratia pœnitentiæ, sciens quod non possit se magis à peccato excutere, quàm demersus ille ex tanta profunditate potuit emergere ... Quibus omnibus (relatis Scripturæ verbis) *exhortandi sunt Peccatores & stimulandi ad orandum pro dono pœnitentiæ, & admonendi ut cum ita oraverint etiam agnoscant sibi orandum esse, ut eis hoc gratis à Deo donetur.*

Talia qui scripsit veram Thomistarum sententiam proscripsisse, & pro Molinia-na suffragium tulisse, credat qui volet; ego certè non credam: nec quisquam puto cordatus homo adduci poterit, ut tam absonæ opinationi consensum præbeat.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ VIENNENSIS.

Nos infra scripti almæ Universitatis & Archigymnasii Viennensis Theologi censemus, sententiam initio hujus scripti propositam, & eodem scripto confutatam erroneam esse, nec in Ecclesia Dei tolerandam.

Joannes Pollinger S. Theologiæ Doctor, & pro tempore Academiæ Viennensis Rector.

Melchior Chelst Episcopatus novæ Civitatis Administrator, nec non Academiæ Viennensis Cancellarius.

Joannes Montanus Mollensis S. Theologiæ Doctor, ac ejusdem in Academia Professor, & pro tempore Facultatis Theologicæ Decanus.

Joannes Pampelius S. Theologiæ Doctor & Professor primarius, Canonicus Viennensis.

Balthasar Scultetus S. Theologiæ Doctor, Canonicus Custos Cathedralis Ecclesiæ, nec non Curiæ Episcopalis Viennensis Officialis, & Vicarius generalis.

Laurentius Bruyckeius Bonsamus, S. Theologiæ Doctor & ejusdem Professor in eadem Academia.

Joannem Montanum Mollensem, & Balthasarum Scultetum, Theologicas Societatis Cathedras ea ætate rexisse comperi, factâ per amicos inquisitione. Et hi porrò ut vides, institutum ac professionem de industriâ in syngraphis silent.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ MUSSIPONTANÆ IN LOTHARINGIA

Nos infra scripti Academiæ Mussipontanæ Theologi & Professores existimamus, Sententiam in hoc scripto propositam & refutatam, periculosam & erroneam esse, neque in Ecclesia tolerandam.

Joannes Michaldus, Rector Academiæ.
Christophorus Brossardus, Cancellarius.
Joannes Vuelesius, Doctor.
Balthasar Chavassius Theologiæ Professor.
Joannes Castellarius Theologiæ Professor.
Joannes Bonettus Theologiæ Professor.
Leonardus Perinus Theologiæ Professor.
Philippus Moncæus Theologiæ Professor.

Uno demto Joanne Vuelesio, cujus mihi ignota professio est, cæteros omnes Societatis viros esse, certò liquet. Quin & ipsam Mussipontanam Academiam ab Cardinali à Lotharingia erectam, nil nisi Societatis Collegium esse, Academiæ juribus auctum, & graduum conferendorum authoritate donatum, nemo nescit.

E Theologis ergo quadraginta & octo, quorum nomina iis Academiarum Instrumentis inscribuntur, 35. Societatis Professores habes. Horum quindecim nobis exhibet Societatis Bibliotheca, Principibus permixtos Achivis, occasione scilicet Librorum ab eis editorum; nimirum, Michaelem Eiselin, Jacobum Gretserum, Matthiam Mairhoferum, Julium Priscianensem, Joannem Pelecium, Joannem Sallerum, Balthasarem Chavassium, Leonardum Perinum, Philippum Moncœum, Joannem Macherentinum, Petrum Thyreum, Martinum Becanum, Joannem Buseum, Joannem Mulusinium, Nicolaum Serrarium. Quinque nobis exhibet Sherlogus Societatis scriptor, qui sub Pauli Leonardi nomine, scientiæ mediæ Apologiam elucubravit, uti Societatis viros: videlicet Joannem Pernotum, Hermannum Sandorpium, Franciscum Rapedium, Thomam Masonium & Petrum Uvindum. Cæteros, factâ per amicos inquisitione, Societatem professos esse deprehendimus. *Pag. 36. & 47.*

Cæterum quis id legat, nec statim fiduciam demiretur, qua Molinianæ scholæ senatores domesticæ causæ judicium sibi arrogabant, & quidem tacitâ ubique in syngraphis Professione Jesuitica, ut pudori consulerent; & ostentato Academiæ titulo, ut imprudentibus ora sublinirent, & Romanos magni nominis umbrâ terrefacerent? Et tamen de eo juniorum Academiarum suffragio sibi plaudunt boni homines, è quo si Jesuitas præcipuos totius scenę actores expunxeris, vix intra

tredecim

tredecim Theologos, in ipsa schola Jesuitica institutos, totum octo simul Academiarum judicium stabit: quos etiam fucatâ Thomisticæ sententiæ expositione deludere facile fuit. Æque ergo exsibilandus, quisquis id in Societatis doctrinæ commendationem ostentat, ac si quis hęresim Arianam (abśit tamen comparationis invidia) eorum Conciliabulorum suffragio communiret, quibus Ariani Præsides aderant, & Catholicarum partium Episcopos numero atque authoritate vincebant. Exsibilandus longè magis Rotomagensis Professor, qui eas Jesuiticas Academias, Molinę Librum approbasse comminiscitur, quæ unius Gratiæ se ipsâ efficacis ac prædeterminantis judicium sibi arrogaverant; cæteris silentio missis Molinæ placitis, quæ majori Theologorum invidiæ patent.

Quamquam, si qui Theologi iis Judiciis calculos addiderunt, partium conditione exsolverentur, omnique affectu vacui, censendi jure potiri possent; necdum tamen iis suffragiis læsa Angelicæ scholæ doctrina putanda esset, utpote quæ aliis planè coloribus expressa erat. Id quippe unum damnasse censerentur, cujus damnatio oblato scripto petebatur; uti doctissimus Bossutius observavit. Quâ itaque lege Pelagius à synodo Palæstinâ absolutus censeri nequit, dum *absolutionem fallendo furatus est*, ut loquitur D. Augustinus: quia fallaci doctrinæ suæ professione exhibitâ, *creditus est sentire laudanda, cùm eum judices non intelligerent occultare damnanda*: ita nec Prædicatorum sententia, proscripta putanda esset dum larvatâ ejusdem expositione incautis Theologis oblatâ, *crediti sunt sentire damnanda, cùm non intelligerent, ab illorum æmulis occultari laudanda.*

Libr. de Pecc. orig. 14. & 16

CAPUT DECIMUM NONUM.

Paulus V. inito finiendæ Controversiæ consilio Bullam Pontificiam Consultoribus delineandam committit: quam illi, diligenti studio elaboratam, Sanctitati suæ tradunt.

INterea Paulus V. die 9. Martii, post habitam die superiori Congregationem, de qua initio præcedentis Capitis diximus, majoris Cardinalium &c.

Eadem pag. 668. lin. 2 à fine, post hæc verba, & obsidem.

Ciascuno de Consultori seperatamente, senza communicar l'uno con l'altro, mirando solo al la verità, & al servizio di Dio, e posposto ogni rispetto è passione, come ricerca la verità della Causa che si tratta, metta in carta con la maggior brevità e chiareza che sia pssiobile, il parer suo, circa quello che s'ha da tener de fide in materia de viribus liberi arbitrii, & de gratia Dei efficaci.

Di piu noti distintamente le propositioni, che sono errone, che si hanno da dannare, con assegnare le piu principali raggioni & autorità, che lo muovono, però brevamente è chiaramente.

In oltre si desidera che mostri la diversità ch'in questa materia è fra la dotirina Catolica e l'mpietà de gl' Eretici, tocando brevemente, in che consista la diversità.

Di piu noti il modo, che li parerà si deve tenere in formar la Bolla ò Constitutione, che s'haverà da fare, & in partecolare, se nella narrativa, s'havera da far menzione d'Auttori che habbino stampati libri in questa materia: Si delle due Religioni di san Domenico, e Gesuiti, e di quel piu che li occorrerà d'avertire e ricordare.

Sordini a ciascuno da parte nostra che del presente nostro Ordine, e del parere, e scrittura, che daranno, non ne parlivo, ne la mostrino ad alcuno, mà la mandino à noi medemi; e là consegnino ad uno delli secretarii sigillata. Volendo noi che si servi il secreto, sotto pena di scommunica latæ sententiæ: *acciò li voti e pareri, che si daranno non siano publicati e divulgati.*

PAULO PAPA V.

Quod quidem Pontificium Rescriptum ita latinis oculis dedit Gregorius Coronellus, cujus in commentariis legitur.

Unusquisque &c.

Pag. 670. lin. 8. sic lege.

Exhibuit sacro Consessui Archiepiscopus Armachanus Canones à se jam antè elaboratos, quibus superiorum annorum potissimas Censuras brevì comprehenderat, ut in Pontificium Diploma transferrentur. Noluit Antonius Bovius sententiam dicere, sed contrariis universo ordini studiis & opinionibus occupatus, suum de controversis quæstionibus judicium per Epistolas exposuit, Mense Julio anni sequentis, addito informi edendæ Bullæ Pontificiæ specimine, contra cæterorum omnium vota atque judicia: quæ omnia dabimus in Appendice Num. XIV. Cæteri omnes cum Archiepiscopo Armachano ita pronuntiarunt, ut in Autographo Coronelli legimus, propriis Consultorum

torum ſubſcriptionibus munito, prout exhibemus in Appendice.

Finitis Conſultorum &c.

Eadem pag. 670. lin. 4 à fine, ſic lege.

Tertia propoſitiones quinquaginta erroris notabat, quatenus ſtatutis capitibus adverſæ erant. Quatuor ſcilicet priores propoſitiones configebat, uti capiti primo repugnantes: atque ita ex ordine, octo proximè ſequentes, uti ſecundo capiti adverſas proſcribebat: tum ſubinde quinque tertio contrarias: rurſus quinque alias quarto oppoſitas, duodecim quinto, tres ſexto, tres iterùm ſeptimo, ſex octavo, quatuor nono capiti repugnantes erroris notabat.

Lucubrationis eruditionem. &c.

Pag. 671. lin. 26. poſt hæc verba.

Per omnia Conſultores.

Intacto meditatæ Bullæ Proludio, ita de reliquis partibus ab Archiepiſcopo Armachano digeſtis pronunciarunt, datis Sanctitati ſuæ brevibus obſervationibus, die 24 Junii, quas in Congregationis Commentarios retulit Coronellus.

AD CAPITA

doctrinæ exhibita RR. DD. Conſultoribus, cum propoſitionibus illis contrariis, ex Molina deſumtis, Obſervationes.

1. *Cenſuerunt omnes, doctrinam contentam in dictis Capitibus eſſe ſanam & Catholicam, ſed obſcurè traditam, & præter Mandatum SS. D. N. atque adeò inconſultâ Sanctitate ſuâ de illa agendum non eſſe. Quòd ſi S. D. judicabit è re præſenti fore, ut doctrina aliqua præponatur Propoſitionibus condemnandis, illam reducendam eſſe ad ſtrictiorem & clariorem formam.*

2. *Obſervarunt, ex prædictis Propoſitionibus, aliquas quidem eſſe Molinæ, & manifeſtè erroneas; ſed neque in Diſputationibus anni 1601. neque in Concertationibus habitis primùm coram felicis recordationis Clemente VIII. poſtea verò coram S. D. N. Papa Paulo V. fuiſſe agitatas: alias verò eſſe aliorum Doctorum, quorum opera expurganda commiſſa non ſunt Congregationi. Et idcirco ne ulla juſtæ offenſionis occaſio detur, utraſque omittendas, quouſque ſua Sanctitas hac de re conſulatur.*

Videlicet ex Capite primo, priores tres Propoſitiones: ex Capite ſecundo, octavam; ex Capite quinto, ſextam & octavam: In quarum loco ſufficiuntur duæ ex Dubio propoſito à SS. D. N. Papa Paulo V. ſub eiſdem verbis. Ex Capite ſexto omnes: ſimiliter ex Capite ſeptimo.

3. *Cenſuerunt præterea, Propoſitiones noni Capitis non ſatisfacere Diſputationibus habitis coram S. D. N. in quibus reſolutum fuit, Donum Perſeverantiæ eſſe ſingulare & proprium donum Electorum: per illud non ſolùm fieri ut poſſint perſeverare, ſed etiam ut non niſi perſeverantes ſint: & cum ejuſmodi dono optimè conſiſtere humani Arbitrii libertatem: doctrinam verò Molinæ continere tres errores Semipelagianorum iis veritatibus contrarios; atque adeò condemnandam eſſe ſub iiſdem terminis, quibus de ea diſputatum fuit prout in Actis.*

4. *Denique cenſuerunt, nonnullas ex prædictis Propoſitionibus in ſcripto traditis, reducendas eſſe ad meliorem & clariorem formam, videlicet ex ſecundo Capite primam, ſecundam, quintam, ſextam, & octavam; ex Capite tertio, quintam.*

Deſiderarent etiam, ut in prioribus quatuor Propoſitionibus, adderetur verbum, Naturalem. *Sed R. D. Rada, putavit per quintam Propoſitionem ſatis explicari de quo actu agatur in prioribus. In quarta Capitis quarti addendum,* & ut victoria meritum vitæ æternæ contineat. *Item ex prima & ſecunda quinti Capitis, formandam eſſe unam Propoſitionem: quartam verò reformandam, & ex ea amovendam omnem æquivocationem. Addendam etiam unam propoſitionem, de duobus æquali auxilio vocatis ad fidem & pœnitentiam: hæc enim fuit origo totius Controverſiæ. In ſeptima addendum (poſt verbum,* conditioni naturali hominis) aliiſque exterioribus circumſtantiis. *Ex Capite* 8. *in prima ponendam eſſe definitionem ſcientiæ mediæ ſub iiſdem verbis Molinæ. In quinta addendum (poſt vocabulum,* beneficiorum) quibus prout veniunt à Domino certiſſimè liberantur: *poſtea verò addendam illam Propoſitionem Molinæ:* Deus voluntate abſoluta nulli adultorum voluit Beatitudinem, & merita ad eam conſequendam neceſſaria.

Ita ſentio ego Archiepiſcopus Tranenſis, F. Joannes de Rada Epiſcopus Pactenſis.

Ego F. Julius Sanctuccius Epiſcopus.

Ita ſentio ego Lælius Landus Epiſcopus Neritonenſis.

Ita ſentio F. Hieronymus Pallantierus Epiſcopus Bitontinus.

Ita ſentio Domnus Anaſtaſius Abbas S. Pauli de Urbe, Secretarius.

Ita ſentio F. Joannes Baptiſta de Plumbino Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Procurator Generalis.

Ita ſentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Boſſu Doctor Sorbonicus.

Deſcendit in vota Conſultorum Paulus V. Archiepiſcopo Armachano data eſt &c.

Pag. 673. lin. 20. poſt hæc verba in Appendice, *ſic lege.*

Univerſa hæc ſciviſſe Franciſcum Annatum, ſed de induſtriâ diſſimulaſſe, certum eſt; dum in Informatione de quinque propoſitionibus, quas Epiſcopi Galliæ Romano Pontifici ad cenſuram obtulerant, ſuos his verbis Janſeniſtas convenit, pag. 66. N. 59. *Sextò monendi ſunt Janſeniani, non unicam circumferri Bullam ad terminandam controverſiam de Auxiliis compoſitam. Eſt & alia quam alii fortè non viderunt, à præcedenti differentiſſima. Poſſem uno illis verbo indicare ubinam ſit; ſed exercenda eſt eorum diligentia. Inquirant ubi aſſerventur ſcripta Antonii Bovii Epiſcopi Melfetenſis, & Petri Lombardi Archiepiſcopi Armachani, qui in hujus Controverſiæ diſcuſſione inter Conſultores fuere eruditione & pietate non infimi. Videant num inter illa reperiatur ſcriptum, cui titulus*: Tenor Bullæ talis vel ſimilis eſſe poterit. *Exordium autem ſubjicitur in hunc modum*: Inter alia multa & graviſſima &c. *Hæc eſt Bulla ſub finem diſputationum compoſita, in qua nullius Propoſitionis damnatio exprimitur; duodecim tantùm Articuli divinæ Gratiæ definiuntur, excluſo ſemper illo capitali Controverſiæ puncto, de Gratia phyſicè prædeterminante, quod ſcriptor diſertè ſignificat indeciſum eſſe debere, donec Eccleſiæ ſuæ lumen abundantius Dei providentia communicarit.*

Duplex quidem Pontificii diplomatis ſpecimen, editum ſcimus: at unicum à ſummo Pontifice ultimò recognitum probatumque: illud nempè quod à venerando Cenſorum Ordine digeſtum fuerat, quodque lati judicii loco haberi poteſt, etſi non rati aut legitimè promulgati. Alterum ab unico Bovio, cæteris omnibus Cenſoribus diſſentientibus, delineatum oſtendimus; cui nulla idcirco Authoritas ineſt. Tam ergo ridendus venit, qui hoc ultimum oſtentare velit; ac ſi privati cujuſpiam Senatoris ſuffragium, cui ſingularis de agitata lite opinio fuit, ſuperbiùs efferret; & cum adverſo ſupremæ Curiæ judicio componeret. Turpiùs autem hallucinatur Annatus, dum Petrum Lombardum Archiepiſcopum Armachanum, Cenſorum caput, Antonio Bovio, in eo ſingulari diplomatis ſpecimine elaborando ſocium adjunxit, quem aliis perpetuò ventis enavigaſſe, nemo neſcit. Ac ſua ille pro more figmenta liberaliter vendit.

CAPUT DECIMUM SEXTUM

Illata &c.

Pag. 678. lin. 10. à fine, poſt hæc verba: damnationem meruiſſe. AD CAPUT 16.

Sic ſanè Theologi è Societate primi ſubſellii pronunciarunt: Suares tom. 1. de gratia, prolegomeno 6. Cap. 2. Vaſques in 1. 2. diſt. 190. Cap. 18. quorum ultimus ſuum illud interpretamentum ab ipſo Franciſco Toleto, Pontificii Diplomatis denuntiatore, ſcripto probatum profitetur: *Senſum hujus damnationis, prout à me explicatus eſt, contuli cum Illuſtriſſimo D. Card. Franciſco Toleto, cum adhuc ſacri Palatii Concionator & Theologus eſſet anno Domini* 1586. *qui ut dixi, pro hac Bulla & damnatione recipienda, Lovanium miſſus fuit: eumque probavit, & germanum eſſe dixit, propriaque manu ſubſcripſit: cujus ſubſcriptionis exemplar apud me adhuc eſt*

Hoc idem ultimis. &c.

Pag. 683. lin. 21. à fine, poſt hæc verba: conditi fuiſſent. AD CAPUT 17.

Ex tabulis etiam Congregationum anno 1606. habitarum ad Pontificium damnationis diploma delineandum, diſcimus, Cenſores omnes ad eas vocatos, communi calculo Canonem hunc edidiſſe: *Dicere quod parvuli, cùm poſt judicii diem reſumpſerint ſua corpora, liberabuntur ſupernaturaliter ab omnibus moleſtiis & ærumnis, quibus in hac mortali vitâ ſubjacemus, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus umquam mortalium duxerit, temerarium eſt, nimiumque accedens ad illum, ab Eccleſia Dei errorem ſemper habitum, adeoque in Pelagiano & Celeſtiano dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiamſi non baptizentur, adeoque excluſi maneant à Regno Cœlorum, æternam ac beatam quamdam vitam, ſed extra cœlum habere.* In appen. N. XIII.

Quod &c.

Pag. 688. lin. 25. poſt hæc verba: Lumen clariſſimum *ſic lege.*

Cui illud jure conveniat, quod de Titinio Capitone minor Plinius prædicat: *Vir optimus, & inter præcipua ſeculi ornamenta numerandus. Colit ſtudia, ſtudioſos*

ſtudioſos amat, fovet, provehit, multorumque qui aliqua componunt, portus, ſinus, præmium, omnium exemplum. Ipſarum denique literarum jam ſeneſcentium reductor ac reformator.

Quàm &c.

Pag. 699. *lin.* 18. *poſt hæc verba:*
ſatis poſſint, *ſic lege.*

Octo illa novæ ſolutionis paradoxa; de quibus parcam plura dicere, ne cum larvis luctaſſe, & compoſiti manes ſollicitaſſe, videri poſſim.

1. Parvuli Sacro Baptiſmate non abluti, ad alium providentiæ ordinem attinent. Colligitur ex pag. 48. 14. 29.

2. Peccatum originale non eſt niſi ſpoliatio juris ad vitam æternam. Colligitur ex pag. 48.

3. Parvulus ſolo peccato originali detentus, & ita ex hoc mundo ſublatus, nec Deum deſeruiſſe dici poteſt, nec à Deo deſertus; nec demum perit, nec damnatur. Colligitur ex pag. 98. 114. 118.

4. Parvuli non abluti propriam culpam non habent, immò illibatam habent innocentiam perſonalem. Colligitur ex pag. 114. 119. 120. 164.

5. Parvulis ſine peccato ſublatis reſervatur in alterâ vitâ bona aliqua compenſatio pœnarum, quas in præſenti patiuntur: quare nec excluduntur à felicitate naturali. Colligitur ex pag. 48. 118.

6. Parvuli ſalutari lavacro non abluti eo beneficio donantur, in altera vita; quod & gratiæ & cœleſti felicitati anteponendum eſt: nemoque prudens fuerit, qui ſtatum illorum, ſi daretur optio, non anteponeret ſuo, cœloque præferret. Colligitur ex pag. 48. 120. 164.

7. S. Auguſtinus aliter quidem de puerorum ſorte pronunciaſſet: at nequaquam nobis ſublata libertas eſt, nova ſyſtemata procudendi; cùm novis jam armis utendum ſit ad Calviniſtas & Janſenianos debellandos. Colligitur ex pag. 164.

8. Theologi omnes, uno agmine, parvulos non ablutos, à pœnis ſenſibilibus eximunt. Colligitur ex pag. 56. 114. 115. 119.

Jam à diverticulo, in quod novus nos accuſator deduxerat, ad hiſtoriam redeundum.

CAPUT XXII.

Paulus V.

Ad Caput. 18. *Pag.* 704. *lin* 2. *poſt hæc verba:*
fidem monuit.

Suſceptum ab Paulo V. conſilium, ſuos monuit Generalis Societatis Præpoſitus, die 5. Septembris, miſſis per Provincias univerſas Encyclicis Epiſtolis. *In negotio de Auxiliis facta eſt poteſtas à ſummo Pontifice, cùm diſputatoribus, tum Conſultoribus, redeundi in Patriam aut domos ſuas: additumque, fore ut ſua Sanctitas declarationem aut determinationem quæ exſpectabatur opportunè promulgaret. Verùm ab eodem SS. Domino ſeriò admodùm vetitum eſt, in quæſtione hac pertractanda, ne quis partem ſuæ oppoſitam aut qualificaret, aut cenſurâ quapiam notaret. Ad hæc, tam noſtris quàm Patribus Dominicanis injunctum, ut ſevera caſtigatione plecteretur, quicumque adverſus hanc legem deliquiſſet, quam vult modis omnibus obſervari. Datum Romæ die 5. Septembris 1607. Claudius Aquaviva.*

Hoc idem Prædicatorum Generalem ſuis denunciaſſe, nullus dubito, quamquàm tranſmiſſam Epiſtolam videre non contigit. Non abſimiliter Hiſpanos fidei Quæſitores, Pontificis voluntatem, intra ditionis ſuæ fines, ac iis maximè locis, ubi fuerat excitatus turbo, ſignificaſſe certum eſt; tametſi ſignificationis Inſtrumenta fruſtra quæſierim. Horum unum exhibet Paulus Leonardus in ſuis Scientiæ mediæ Vindiciis, pag. 15. (Unde injudicatam litem, atque in ſuſpenſo duntaxat poſitam colligas) Illud nempe, quod in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi promulgatum eſt.

Nos Inquiſitores Apoſtolici, contra hæreticam pravitatem & apoſtaſiam, in Urbe & Archiepiſcopatu Hiſpalenſi, cum Epiſcopatu Gaditano &c. Scire facimus Provinciales & Prælatos Religionum, & Profeſſores, atque Univerſitates hujus noſtri circuli, SS. Dominum noſtrum, circa materiam de Auxiliis divinæ gratiæ ordinaſſe, tam Diſputatoribus quàm Conſultoribus, qui Romæ hujus negotii cauſâ aſſiſtebant, ut domum poſſint reverti; aſſerens ſe opportuno tempore ſuam evulgaturum determinationem. Interim præcipit cum rigore, ut in tractanda hac Controverſiâ nemo audeat alteram cenſurare partem. Qui ſecùs fecerit graviter punietur. Et ſua Beatitudo optat hoc ipſius mandatum inviolabiliter obſervari: & ut omnes abſtineant à verbis mordacibus, & quæ malam redolere intentionem valeant. Quamobrem tenore præſentium tollimus quamcumque prohibitionem factam per hoc ſanctum Officium, & facultatem præſtamus interim, quoad ſua Sanctitas reſolvat de Controverſiâ, ut poſſint diſputare & tractare de præfata materiâ. Et mandamus ſub pœnâ Excom-

communicationis majoris, ut nullus audeat cenſurare contrariam ſententiam; nec utatur verbis mordacibus, quæ malam intentionem animo latentem indicare videantur: admonentes, puniendos cum rigore qui aliter fecerint, ut inobedientes Mandato ſuæ Sanctitatis, & hujus ſancti Officii. Datum in Caſtello Trianæ, die 9. Septembris, anno 1608.

Licentiatus Petrus de Camino.
Licentiatus D. Antonius de Hozes.
Licentiatus Petrus de Villagomez.
Secretarius Ferdinandus Servicial de Villagomez.

Interea Sodalitii &c.

AD CAPUT 10.

Pag. 706. lin. 26. poſt hæc verba:
cenſurare partem.

Et paucis interjectis: *Facultatem præſtamus interim quoad ſua Sanctitas reſolvat de Controverſia, ut poſſint diſputare & tractare de præfata materia.*

Pag. 708. lin. 40. poſt hæc verba:
non ſponte fateatur ac probet.

Neque verò id exemplo vacat, ut ortâ inter clariſſimos Ordines Controverſiâ, inſtituto cauſæ examine, ſanciroque Judicio, ſententiæ promulgatio in aliam tempeſtatem, certis de cauſis, miſſa ſit; interim tamen, ſervandæ pacis ſtudio, caveatur, ne ulla parti ipſi, quæ judicio cecidit, Cenſura inuratur, donec Apoſtolicæ Sedis judicium promulgetur, ex formâ juris. Hoc nobis Spondanus ſubminiſtrat, in Continuatione Annalium Baronii, ad annum 1462. *Hoc eodem anno magna Quæſtio mota eſt, inter Fratres Minores & Prædicatores de Sanguine Chriſti in triduo paſſionis à corpore ſeparato, utrum divinitati unitus perſeveraverit? Cùm enim apud Brixiam Jacobus Marchianus Ordinis Minorum, die Paſchæ ſermonem ad populum habens, inter cætera aſſeruiſſet, pretioſum Chriſti Sanguinem, dum triduo illo jacuit in terra ſparſus, indignum fuiſſe latriæ cultu, quoniam fuſus, & à Corpore dominico ſeparatus, hypoſtaticam verbi unionem protinùs amiſiſſet: hoc audiens Inquiſitor hæreticæ pravitatis Ordinis Prædicatorum, illicò Jacobo præcepit revocare tanquam erronea quæ dixerat, & interim contrariam ſententiam per unum è ſuis prædicari fecit. Creſcente contentione, & ſchiſmate in populo facto, nec valente Epiſcopo loci tumultum ſedare, res ad Apoſtolicam Sedem remiſſa eſt. Qua de re Pius II. eo tempore ſummus Pontifex, Præfectis Ordinum mandavit, doctiſſimos eorum Theologos ad Curiam mittere, quos in feſto Natalis Domini audivit diſputantes, tribus diebus in Palatio Apoſtolico, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, ac divini & humani juris Doctoribus, qui in Curia erant. Denique poſt triduum, cùm partes quæcumque voluiſſent in medium produxiſſent, diſſoluto auditorio, Pium cum Cardinalibus, pleriſque diebus rem tractaſſe: majorem partem ſententiam Prædicatorum approbaſſe, paucos cum Minoribus ſenſiſſe: Pium quoque cum majori parte fuiſſe, ſed non eſſe viſum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcos prædicatio neceſſaria, offenderetur; ac propterea in aliud tempus deciſionem differri placuit. Quam tamen numquam placuit decidere: ſed biennio poſt Anconæ, dum eſſet navigaturus in Turcos Calendis Auguſti* 1464. *die ante obitum decima quinta, Conſtitutionem edidit, qua ad pacem inter illos Ordines, & in univerſa Eccleſia ſuper hac quæſtione conſervandam, ſtatuit nulli licere, opinionem negantem Sanguinem Chriſti, in triduo paſſionis à Corpore ſeparatum, divinitati unitum permanſiſſe, ut hæreticam proſcribere, donec per Sedem Apoſtolicam, quid in hujusmodi Quæſtione ſentiendum eſſet, definiretur.* Ita Spondanus.

Exitum haud multò abſimilem habuit excitata de divinis Auxiliis Controverſia; niſi quòd vulgandæ apoſtolicæ definitionis fidem, conceptiſſimis Reſcripti ſui verbis oppignoravit Paulus quintus; ut eam litem minimè finitam, extremoque Judicio necdum hactenùs eliquatam, certiſſimè colligamus. Iis ergo, ſi lubet, Reſcripti verbis ſe muniant Molinæ vindices, ut Magiſtri ſui ſenſa à privatorum Cenſuris tueantur interim: modò tacitè atque in ſinu, & ſurdo gaudio, Pontificis indulgentiâ perfruantur; nec finitam &c. AD CAPUT 20.

Pag. 714. lin. 2. poſt hæc verba;
meritis adſcriberent.

Quis non videat quemadmodum hic error de judicio ubi convictus atque damnatus eſt, tamquam de victoria glorietur? Verba ſunt Auguſtini lib. de Geſtis Pelagii cap. 29.

Eadem pag. 714. lin. 11. *ſic lege.*

Ex qua cæteras diſcere, & impotentem exundantis lætitiæ ſenſum noſſe liceat.

Pag. 723. lin. 25. poſt hæc verba; AD CAPUT 21.
favete ſuperi.

Nobis ſatis abundè fuerit, ne auſos quidem Societatis Profeſſores Baſtdæ palinodiam inficiari. Nam quod duo iſti, Abulæ *fortaſſe* factum ſcriptitarunt, factum

factum omninò profitentur alii ejuſdem Inſtituti Magiſtri : quamquam in hoc conſpirent univerſi , ut quod ægrè dederint , ſiniſtris interpretationibus deprimant. *Baſtida*, inquit Franciſcus Oviedo Controv. 10. Phyſicorum puncto 3. *Phyſicam Prædeterminationem Abulæ defendit, inter Clauſtra Dominicanorum, in prælectionibus habitis pro laurea doctorali.* Scilicet dolent oculi , dum ſuum illum Athletam, transfugam tandem ac deſertorem, & in alienis caſtris merentem vident: hancque unam reſarciendæ jacturæ viam ineunt, ſi illum uti projectum doctrinæ negotiatorem traducant, qui ſenſus ſuos pro varia conditione temporum fœneraret. At longè aliter de Baſtida pronunciabunt, quotquot libero à præjudiciis animo fuerint. Hunc ſanioribus conſiliis avocatum, & Cardinalis Perronii, quem Pariſiis domuitionem faciens viderat, exemplo permotum dicent, ut unà cum illo caſtra mutaret. Nemoque Oviedi diverticulum non ridebit qui ne ſui Athletæ deſertionem, ſolenniorem faceret, intra Dominicanorum Clauſtra concluſit ; quaſi prælectiones pro laureâ doctorali capeſſenda , in angulis ac ſemotâ turbâ, haberi ſoleant; ac non potiùs in totius Academiæ luce , iis teſtibus & arbitris , qui eruditionis & ſufficientiæ judicium ferant.

Apud Piccin. Tom. 3. de Approb. Doc. S. Tho. pag. 137.

CAPUT XXVI.

Objecta Thomæ de Lemos, aliiſque nonnullis Thomiſtis palinodia confutatur.

Pandite nunc helicona Deæ, dum anilem fabellam remetimur , de decantatâ poſt ſolutas Congregationes ab Lemoſio noſtro palinodiâ: fabellam, inquam, tot ineptiis, mendaciis & anachroniſmis ſcatentem , ut mirari omninò ſubeat , virum ante paucos dies inventum eſſe , qui eam novis etiam ornatam phaleris, otioſis lectoribus recantarit.

Fabulatoribus vexillum pridem erexerat. &c.

Pag. 726. lin. 18 poſt hæc verba:
vel invitam pertrahat.

Pari invidiâ oneratum ſecutis temporibus vidimus Thomam Turcum , Ordinis Prædicatorum Præpoſitum Generalem , cujus verbulum in publicis Theſibus caſu emiſſum , tamquam Oraculum de ſanctiori Cortinâ fatum excepere Moliniani Profeſſores , ut Thomiſtis Phyſicarum Prædeterminationum aſſertoribus cornua affingerent. Ludis omnibus ac cachinnis digna res eſt. Theſes publicas anno 1647. Valentiæ in Generalibus Ordinis Comitiis habebat P. Antoninus Reginaldus , ingentis tunc ſpei juvenis, quam magnis poſtea virtutibus ac meritis cumulavit. Theologicas aſſertiones , de reali , ut vocant , rerum omnium præſentiâ in æternitate , deque divinâ futurorum in decretis cognitione , Theſibus inſcripſit, communem ſcholæ Thomiſticæ ſententiam defenſurus. Objectis pari ingenii elegantiâ & eruditione ſatisfecit vir religioſus. Finitâ externorum diſputantium collatione , brevem velitationem habuit Præpoſitus Generalis , ut Religioſi reſpondentis vires intimiùs exploraret ; & erudito Confeſſui aliquid ex ipſo audire cupienti , morem gereret. Objecit ergo Reverendiſſimus Pater , mutuò ſecum pugnare ambas illas aſſertiones ; aut certè alterutram abundare : fruſtra ſcilicet Dei decretum deſiderari , quo futura videat, ſi hæc in æternitatis præſentiâ cognoſcantur : aut contra , fruſtra hæc in æternitatis præſentiâ cognoſci , ſi in ipſo Dei decreto videantur.

Reſpondit eruditus defenſor, neutrum abundare, quin potiùs alterum ex altero ſequi; ex decreto ſcilicet , quo Deus futura prædefinit, conſequens eſſe , ut hæc æternitati præſentia fiant. Inſtitit Reverendiſſimus Pater , nuſquam inquiens Doctorem Angelicum ad ea decreta confugiſſe , ut certam futurorum notitiam Deo vindicaret, ſed eam ex una eorumdem præſentiâ in æternitate perpetuò derivaſſe. Quin & addidit (honoris ambitum, non ſecùs ac eruditionem in defenſore probaturus) eum ſe Magiſtrum extemplò renunciaturum, ſi vel unum Doctoris Angelici locum daret, ubi divinam futurorum ſcientiam oſtenſurus, ad ea decreta confugiſſet.

Verbum, velut injectam avidis faucibus offam , vorarunt Moliniani Profeſſores. Præpoſitum Generalem, à ſuis ſegregem, ad Moliniana caſtra tranſiiſſe conclamarunt, ſecutis inde temporibus : utpote qui in clariſſimo Conſeſſu , ac ſpectante delibato totius Ordinis flore , D. Thomam proculab Thomiſtarum ſententiâ ſtetiſſe, conteſtatus eſſet: quodque ille , objiciendi occaſione, ac præter mentem (ut inter diſputantes uſu venit) oppoſuerat , uti certam ejus ac deliberatæ mentis aſſertionem, libellis ac ſcriptiunculis evulgarunt. Neque verò id ſatis: ſed quod is de divino decreto futuris prænoſcendis inutili dictita-

dictitarat, ad physicas prædeterminationes præposterè detorsere; quasi eas ille à D. Thoma peregrinas asseruisset, de quibus tota illa disputatione ne verbum quidem exciderat. Eruditissimum Generalem in hæc verba loquentem passim ubique prodidere: *Fateor Prædeterminationes physicas esse doctrinam plurium Thomistarum, sed à S. Thoma longè aberrantium: quibus si mihi ostenderis S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magisterium.*

Verùm incallidè prorsùs atque intempestivè in eam fabulam ingressi sunt: ac sicut aliàs nescio quis cunctando restituit rem, ita & isti præcipitando perdiderunt. Necdum enim rebus humanis exemtus erat Reginaldus, qui Theses in eo generali Ordinis consessu defenderat, dum has illi nænias canerent, & ex Thomæ Turci suffragio sibi plauderent, dissimulato totius disputationis argumento. Idcircò ab Reginaldi Præpositis æstimatum est, è re suâ esse, ut totius rei gestæ seriem secundùm juris formulas, & interposito Sacramento testaretur, antequam è vivis excederet; erat enim tunc Reginaldus effæta ætate, atque exiguâ spe vitam trahens. Instrumentum Notarii publicis tabulis inscriptum subjicio; ne viri in omnem vellicandæ scholæ Thomisticæ occasionem intenti, pro more in posterum fabulentur.

„ NOTUM sit omnibus præsentibus & „ futuris, quòd cùm à pluribus annis ex „ variis Regionibus, Provinciis & Regnis „ delatum ad nos fuerit, quosdam parùm „ sincerè vulgasse, quòd Reverendissimus „ Pater Thomas Turcus, olim Generalis „ Ordinis Prædicatorum, in Capitulo ge„ nerali Valentiæ in Hispania anno 1647. „ in Thesibus propugnatis nomine Pro„ vinciæ Tholosanæ, die lunæ, post fe„ stum Pentecostes, adversùs illum qui eas „ tuebatur arguendo, indicasset S. Tho„ mam in nullo suorum Operum loco fa„ visse sententiæ Prædeterminationem phy„ sicam asserenti: Idcircò Nos Prior Con„ ventus Tholosani, Ordinis Prædicato„ rum, & scire & promulgare omnibus „ veritatem cupientes, vocavimus R. P. F. „ Antoninum Reginaldum, tunc temporis „ in Academiâ Tholosanâ Professorem, „ quem vocant Conventualem, & nunc „ in eadem Professorem publicum & Re„ gium, qui in præfato Capitulo Valenti„ no pro Provincia Tholosana tuebatur „ Theses, & inquisivimus ab eo rei gestæ „ veritatem. Ille verò jam fere septuage„ narius, paratum se esse ad dicendam ve„ ritatem, eamque Juramento firmandam „ respondit. Illum ergo adduximus, coram „ amplissimo & perillustri Domino du Four, „ Archidiacono Ecclesiæ Cathedralis, & „ Vicario generali ejusdem Ecclesiæ Tho„ losanæ, Sede vacante, & coram Nota„ rio, & Testibus infra scriptis, ut ibi ju„ ratus circa hæc diceret veritatem.

„ Dixit ergo præfatus P. Reginaldus; „ anno illo 1647. in Capitulo generali Va„ lentiæ in Hispania celebrato, in Thesibus, „ quas pro Provincia Tholosana tuebatur, „ ita rem gestam esse. Postquam plures „ disputassent, Reverendissimus P. Tho„ mas Turcus Generalis assumpsit duas ex „ Thesibus agitatis, videlicet eam, quam „ ego P. Reginaldus proposueram, de præ„ sentiâ reali omnium rerum nobis futura„ rum in æternitate; alteram de cognitio„ ne divinâ futurorum in decretis: & ar„ gumentatus est præfatus Revendissimus „ contra me, dicens: Quòd alterum ex „ his duobus mediis cognoscendi futura, „ esset superfluum: si enim Deus cognos„ cit omnia nobis futura, in reali eorum „ præsentia in æternitate, superfluit decre„ tum efficax, in quo Deus illa eadem co„ gnoscat: si Deus illa cognoscit in decreto, „ superfluit illa præsentia realis in æterni„ tate. Respondi, neutrum esse super„ fluum immò unum sequi ex alio: ex de„ cretis enim sequitur præsentia realis in „ æternitate. Replicavit Reverendissimus „ Generalis: Numquam S. Thomas recur„ rit ad decreta, sed ad præsentiam in æ„ ternitate: & si mihi ostendas vel unum „ locum D. Thomæ, in quo recurrat ad „ decreta, ex nunc pro tunc creo te Ma„ gistrum Theologiæ, contra jura & „ consuetudinem tuæ Provinciæ. Tunc „ ego Pater Reginaldus, qui ex aliis ca„ pitibus noveram, quòd P. Reverendis„ simus Turcus vellet tentare, utrùm „ ambirem Magisterium, respondi: De „ Magisterio quod offert mihi vestra Re„ verendissima Paternitas gratias ago: no„ vit vestra Reverendissima Paternitas, nos „ in nostra Provinciâ non acceptare Ma„ gisteria. De locis autem D. Thomæ, „ vestra Reverendissima Paternitas, alter „ Thomas, novit illa, nec opus est illa „ citare. Insusurrabant ferè omnes: Cita „ locum, cita locum, & fies Magister. „ Ego tamen perstiti in mea sententia. „ Urgebat Reverendissimus Generalis: No„ li mihi adulari; sed ostende mihi locum „ D. Thomæ, in quo ipse dicat, Deum „ cognoscere futura in decretis suis, osten„ de. Perstiti nihilominus in mea Res-

ponsione

„ ponsione, ne viderer ambire Magiste-
„ rium. Post multa hinc & inde, semper
„ de illa & eadem quæstione, sub finem
„ disputationis dixit mihi Reverendissimus
„ P. Generalis Turcus, explica tuam sen-
„ tentiam.

„ Explicavi hoc pacto, dicens: quòd
„ cùm res non possint de possibilibus fieri
„ futuræ in tempore, nec præsentes realiter æternitati, nisi per aliquam causam;
„ & illa causa nulla possit esse alia, quàm
„ Deus liberè agens, & has potiùs quàm
„ alias volens esse futuras in tempore, &
„ sibi realiter præsentes, idem prorsus est
„ dicere, quòd Deus cognoscat res ut realiter præsentes æternitati, & dicere quòd
„ illas cognoscat in decretis; quia per decreta fiunt præsentia æternitati. Quare
„ autem D. Thomas ferè semper recurrat,
„ ad præsentiam rerum in æternitate,
„ quando agit de cognitione, qua Deus
„ cognoscit res nobis futuras, ratio est, quia
„ vult reddere rationem, cur Deus eas
„ cognoscat scientiâ visionis; visio enim
„ corporea debet terminari, ad res præsentes; & ideò D. Thomas recurrit ad
„ præsentiam rerum realem in æternitate,
„ quando agit de scientia visionis: quamvis aliquando, cùm non agit de scientia
„ visionis, dicat Deum cognoscere omnia
„ nobis futura, in sua voluntate, ut causâ,
„ nimirum determinatâ per decretum, ut
„ constat ex eodem, in primo contra gentes Cap. 67. & 68. & alibi sæpiùs
„ ubi expressè Divus Thomas dicit, *Deum*
„ *cognoscere ab æterno actus nostros liberos,*
„ *in suâ voluntate, ut causâ.*

„ His à me dictis, acclamarunt quidam:
„ Citavit locum, fiat Magister. Sed Reverendissimus Generalis, annuentibus
„ Archiepiscopo & Prorege Aragoniæ,
„ qui aderant, finem disputationi imponi
„ præcepit. Hanc esse veram illius rei
„ narrationem, tactis Sacrosanctis Evangeliis juro, & protestor coram Deo &
„ Sanctis Angelis ejus, in manibus vestris,
„ Amplissime & Perillustris Archidiacone,
„ & Vicari-Generalis, jubente & præsente R. P. Joanne Francisco du Four,
„ Ordinis Prædicatorum, Conventus Tholosani Priore, & Sacræ Theologiæ
„ Professore, præsentibus etiam Notario,
„ & Testibus infra scriptis.

„ Unde juro & protestor, ac declaro sub
„ eodem Juramento, falsum esse, quòd
„ Reverendissimus P. Generalis dixerit:
„ *Fateor Prædeterminationes Physicas, esse*
„ *doctrinam plurium Thomistarum, sed à*
„ *Sancto Thoma longè aberrantium; quibus*
„ *si mihi ostenderis S. Thomam alicubi fave-*
„ *re, promitto tibi Magisterium.* Falsum
„ etiam declaro sub eodem Juramento,
„ eumdem dixisse mihi: *Ostende mihi lo-*
„ *cum S. Thomæ, in quo Physicam Prædeterminationem defenderit, & ego te crea-*
„ *bo Magistrum in Religione, contra Con-*
„ *stitutiones tuæ Provinciæ.* Falsum sub
„ eodem Juramento declaro, quod alii sic
„ narrant: *Reverendissimus P. M. Thomas*
„ *Turcus, Generalis Ordinis S. Dominici,*
„ *cùm in Capitulo generali Valentiæ Mense*
„ *Maio, anno* 1647. *interesset Disputationi,*
„ *in qua Hispanus Thomista ex Provincia*
„ *Tholosana tuebatur physicas Prædetermina-*
„ *tiones, tanquam à S. Thoma edoctas, as-*
„ *sumto argumento Excellentissimi D. Ludo-*
„ *vici Crespi de Boria Episcopi Placentini,*
„ *tunc Præpositi Muri-veteris, oppugnantis*
„ *Prædeterminationes physicas, contendentisque*
„ *non esse sententiam S. Thomæ: idem cùm*
„ *esset versatissimus in S. Thoma, semel &*
„ *iterum dixit: Ostende mihi locum in quo*
„ *S. Thomas phisicam Prædeterminationem*
„ *doceat, & creabo te Magistrum in tua*
„ *Religione, contra Constitutiones tuæ Pro-*
„ *vinciæ: repetendo multoties, Ostende, osten-*
„ *de. Quatuor Doctores Theologi Universi-*
„ *tatis Valentiæ testantur sub Juramento, co-*
„ *ram Notario, se illa verba audivisse.* De-
„ claro itaque hanc narrationem, quantum
„ ad id quod dicit, de Prædeterminatio-
„ ne physicâ, falsam omninò esse. Nullo
„ enim modo agebatur de Prædetermi-
„ natione physica. Sic me Deus adjuvet,
„ & hæc Sancta Dei Evangelia.

Et signatum erat.

F. Antoninus Reginaldus.

„ Nos Joannes du Four Presbyter, Ju-
„ rium Doctor, Canonicus, Archidiaconus
„ Ecclesiæ Tholosanæ, nec non Vicarius
„ Generalis dictæ diœcesis, Sede vacante,
„ testamur præfatum R. P. Antoninum
„ Reginaldum qui supra, hoc Juramen-
„ tum præstitisse in manibus nostris, præ-
„ sente R. P. Joanne Francisco du Four,
„ Priore Conventus Prædicatorum hujus
„ Civitatis, præsentibus etiam Notario,
„ & Testibus infra scriptis. In cujus rei
„ fidem, his sigillo nostro munitis sub-
„ scripsimus, die 10. Septembris 1674.

Et signatum erat.

Du Four, Vicarius Generalis.

F. Joannes Franciscus du Four, Prior Tholosanus.

„ *Ego Raymundus Dangla Presbyter, &*
„ *Ecclesiæ Tholosanæ Habituatus, præsens.*
„ *Ego Jacobus Brousse Presbyter & in Ec-*
clesia

,*cleſia Tholoſana Habituatus, præſens.*
Sauveſtre Notarius Apoſtolicus.
Et impreſſum erat ſigillum in cera viridi.

Longè ergo à phyſicis Prædeterminationibus quæſtio aberat. Quamquam etſi quid durius de iis inter arguendum pronunciaſſet Præpoſitus Generalis, quod minùs Thomiſtæ concoquerent, nemo prudens arguentis ac diſputantis verbum, veluti certam ejus atque conſtantem ſententiam accepturus eſſet. Cæterùm quid de iis ſenſerit Thomas Turcus, quid docuerit, meliùs fortè cæteris dixerim, qui Cremonæ in publico Ordinis Muſæo legerim dictata ab eo ſcripta Theologica, hoc ipſo de argumento, dum Bononiæ Profeſſorem ageret. Sed hanc ſpartam exſecutus eſt ante me Eruditiſſimus ac piiſſimus Pater Antoninus Maſſoulié, *in D. Thoma ſui interprete*, tom. 2. Diſſert. 4. quæſt. 3. Art. ult. ubi non pauca ex Apographo, publici ſcribæ manu recognito defloravit ac publici juris fecit.

Unus forſan &c.

AD CAPUT 22. *Pag. 728. lin. 24. poſt hæc verba:*
eximiis Commentariis adornaſſe.

Mirandum immò, tanto nunc pretio apud Molinianos haberi Campanellam, quem non ita pridem curto vix aſſe licitabantur; jamque uti virum celeberrimum, ab iis ipſis in cœlum efferri, à quibus ante Annos aliquot, tantùm non in culinam detruſus eſt. *Tametſi viſus ſit*, inquit
In diatr. 51. 57. Theophilus Raynaudus, *per aliquod tempus Cymbalum mundi, tamen re vera eſt ignorantiſſimus; ita ut ne ipſos quidem terminos ſive Philoſophicos ſive Theologicos intelligeret. Sententias autem invehit, non modò à S. Thoma, ſed etiam à ſenſu cujusvis ſani hominis adeò abhorrentes, ut deſipere potiùs videatur quàm diſſerere. Hæreſes craſſæ in ejus libris tam multæ & tam inexcuſabiles occurrunt, ut mirum ſit adeo pinguem Scriptorem Superioribus annis invenire potuiſſe laudatores.*

Verum nihil &c.

AD CAPUT 24. *Pag. 747. lin. 8. poſt hæc verba:*
Autorem peccati.

Quis hanc agendi rationem probet? Prudentum enim fuerat, & amicorum (uti non abſimili occaſione notaverat
Lib. 1. Con. Ruſin. Hieronymus) poſt reconciliatam ſimultatem, etiam leves ſuſpiciones fugere: ne quod fortuitò feciſſent, conſultò facere putarentur. Neque enim illos fugiſſe putandum eſt, celebratum illud Tullii Ciceronis, in Commentariis cauſarum, pro T. Gabinio: *Ego cùm omnes amicitias tuendas ſemper putavi ſummâ religione & fide, tum eas maximè quæ eſſent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium prætermiſſum imprudentiæ, vel, ut graviùs interpretemur, negligentiæ excuſatione defenditur: poſt reditum in gratiam, ſi quid eſt commiſſum, id non neglectum, ſed violatum putatur; nec imprudentiæ, ſed perfidiæ aſſignari ſolet.*
Rei nuncius &c.

AD CAPUT 26. *Pag. 763. lin. 35. poſt hæc verba:*
Claudius Aquaviva.

Præpoſiti Generalis Edicto, quo Suareſii ſyſtema, eliminato Moliniano, in ſcholas inducebatur, obtemperarunt Hiſpani Societatis Theologi, commodique publici rationes, privatis affectibus prætulerunt. Quamquam enim proniori in Molinam animo eſſent, & in ejus recens inducta paradoxa ſuopte ingenio propenderent, Suareſium tamen, uti communem doctrinæ Magiſtrum ſequebantur: ita nempe injuriâ temporum poſtulante, ut ſi alteri animum, linguam ſaltem alteri devoverent. Res miraculi loco prope eſt, quæ vix apud nos fidem inveniat, niſi teſtem oculatum haberemus, Franciſcum Macedo, qui hoc ipſo anno 1613. & 1614 in ipſo Societatis Inſtituto Conimbricæ degens, totam illam ſcenam oculis bibit, teſtatamque reliquit, tom. 1. Collat. 12. differ. 1. ſect. ult. *Erat tum in vivis P. Franciſcus Suares, ſummus in omni ſacra doctrina vir, recens à Cathedra primaria Theologiæ illius clariſſimæ Academiæ, poſt annos viginti emeritus Profeſſor: cujus ſententiam omnes ferè illi Magiſtri (Societatis) amplectebantur: niſi quòd ad Fonſecam & Molinam, quorum recens erat memoria, magis inclinabant.* Anno 1614.

Cæterum &c.

AD CAPUT 27. *Pag. 766. lin. 25. poſt hæc verba:*
reſiſtere poſſent.

An is excitandæ hujuſce controverſiæ zelus, & creandæ ob id Prædicatoribus invidiæ ſtudium ardens, S. Ignatii juſſis & exemplo reſpondeant, nil dicam hìc: dicant qui Joannem Petrum Maffæum legerint lib. 3. de vita S. Ignatii Cap. 9. *Cùm Martinus Olavius*, inquit ille, *qui Collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellentivir ingenio doctrinaque, Theſes aliquot propoſuiſſet, in quibus caput erat, de Immaculato quod appellant Virginis conceptu, licet ea de re*

Ignatius

Ignatius pro ſua egregia in Deum & Virginem pietate, minime dubitaret : adde, licet in Univerſitate Pariſienſi, juxta aliquorum ſententiam, ſe illum ſemper propugnaturum juraſſet; tamen ne Fratres Dominicani, qui ad diſputationem invitabantur, ægrè ferrent, ſeque nominatim provocari putarent (contrariam enim ſententiam Authore divo Thomâ tuentur plerique) eam Theſim, quamquàm ingemiſcente Olavio, expungi tollique omninò imperavit. Ita ſanè Societatis Inſtitutor. At uti ad vias Moliniſmo ſternendas, leges ejus de tenenda S. Thomæ doctrinâ concutere neceſſe fuit; ita in tuendo Moliniſmo, ejuſdem exempla minùs æmulari, fuit opus.

In hoc igitur &c.

Pag. 775. lin. 6. à fine poſt hæc verba:

palmam obtinuit.

Quæ etiam in dictatis nova pompa exſequitur Theologus Profeſſor, Molinam ſuum novis phaleris & corollis ornans; fictitioſque triumphos in Belgio, Luſitania, Hiſpania ac demum Romæ reportatos ſuperbè congerens. De quibus conſule Appendicem.

Pag. 776. in fine.

CAPUT ULTIMUM.

Quadraginta in gratiam Scholæ Auguſtino-Thomiſticæ, adverſùs Molinianam Præjudicia, ex ſuperiori Auxiliorum Hiſtoriâ derivata.

CEleberrimæ Congregationis Hiſtoriæ ſupremâ tandem manu impoſitâ, brevem in gratiam ſcholæ Auguſtino-Thomiſticæ, coronidem addimus: iis ex integro opere compendiò delibatis, quæ illam juris prærogativâ ſuperiorem certò probent; quæque totidem veritatis à Thomiſtis aſſertæ præjudicia, adversùs Molinianos cæteroſque obtrectatores, haberi debeant. Quamquam enim ſingula ſeorſùm accepta minùs fortè cauſam conficiant; univerſa tamen ſimul ſpectata abſolutiſſimæ demonſtrationis inſtar erunt.

Primum illudque potiſſimum, in gratiam Angelicæ ſcholæ, adversùs æmulam præjudicium, iſtud eſto, in quod tota hæc collimat Hiſtoria. Molinæ cauſa integro decennio Romæ cognita, ſepties ad examen vocata, toties ſuffragiis cadit: Schola Thomiſtica toties judicio vincit.

2. Academiæ Lovanienſis & Duacenſis Leſſium & Hamelium Moliniſmi præformatores Cenſuris notant; Thomiſtarum ſententiam probant; ſuffragantibus Belgii Præſulibus, Synodumque parantibus, ut Societatis doctrinam ex Juris formâ configerent.

3. Academia Pariſienſis Belgicarum Academiarum judicio annuit, eidemque præludit ſuis in Joannem de Mercuria diſtrictis Cenſuris.

4. Leſſius gravem à Sixto V. animadverſionem ſubit, quòd ſummo Lovanienſis Academiæ ſcandalo, prædeſtinationem meritis nixam Lovanii docuiſſet, & Catharini ſententiam ſuſcitaſſet.

5. Prudentium de Monte-major, alterum Moliniſmi velitem, configit Valliſoletana Inquiſitio, probante Academiâ Salmanticenſi, unáque ſententiam pronunciante.

6. Gaſpar Cardinalis Quiroga, Archiepiſcopus Toletanus, ac ſupremus in Hiſpania Fidei Quæſitor, non pauca doctrinæ capita configit, queis Molina Concordiam ſuam reſperſerat: híncque illam extra ejus Jurisdictionis fines cogitur typis edere.

7. Molina Syſtema ſuum, quo gratiam cum Libero Arbitrio conciliandam ſibi ſumit, novum prorſus agnoſcit, nulli hactenus notum, alienum ab Auguſtino, cæteriſque Pelagianæ Sectæ debellatoribus impervium.

8. Idem ille Syſtema ſuum, quo Gratiam ſeipsâ efficacem, & prædeſtinationem decreto per ſeſe infallibili nixam oppugnandam ſibi ſumit, proſcripto jam dudum à Sixto IV. Petri de Rivo Axiomate ſuperſtruit: *Quidquid per neceſſariam conſequentiam ſequitur ex inimpedibili, illud eſt inimpedibile & neceſſarium.* Eo quippe principio nixus Molina, ex gratiis ac decretis ſeipſis efficacibus Liberum Arbitrium læſum iri colligit.

9. Molinam ejuſque defenſores carpit Cardinalis Baronius. Societatis Præpoſitos monet, ne famam ſuam in illius defenſione periclitari ſinant.

10. Molinæ cauſam Eccleſiæ judicio dimittendam ſenſent Viri è Societate primæ notæ: quòd excogitatum ab eo novæ Concordiæ Syſtema, ex unius privati Viri ingenio nata eſſet.

11. Prædicatorum doctrinæ calculum adjiciunt Theologi è Societate primi ſubſellii: Molinam ſuum uti novatorem non pauci exagitant datâ operâ: Cardinalis Bellarminus, purus quidem, non Germanorum additamentis adulteratus; Cardinalis Toletus, Alfonſus Salmero, Bene-

dictus Perrerius, Henricus Henriques, Joannes Mariana, varii Romani Theologiæ Professores, Joannes Phelippæus, Claudius Typhanius, Dionysius Petavius, Gervartius. &c.

12. Gratuitam Prædestinationem, cujus nulla ex nobis conditio aut ratio sit, cui asserendæ potissimùm incumbit Thomistica schola, quamque novo impetu insectatur novæ Concordiæ Architectus, adstruunt Deputati omnium Nationum Theologi, ab Generali Præposito Romam adsciti, ut studiorum Canones præfigant; ac veluti SS. Patrum Hæreseos Pelagianæ debellatorum, summorumque Pontificum dogma, à suis tradendum decernunt.

13. Divi Thomæ Sententiam fatentur esse iidem illi Nationum Deputati, quam modò ejus esse communiter negant Societatis Professores: nempe, *secundas causas esse propriè & univocè instrumenta Dei, & cum operantur, Deum in illas influere primùm aut eas movere.* Quod idem fassi sunt etiam Robertus Cardinalis Bellardinus Lib. 4. de Gratia Cap. 16. Franciscus Suares Lib. 1. Concurs. Cap. 11. & in Opere posthumo, de vera intelligentia Auxilii efficacis Cap. 40. Collegium Conimbricense Societatis Jesu Lib. 2. Physic. Cap. 7. Quæst. 13.

14. Sixto V. & Clementi VIII. usque adeò perspectum est, Societatis Professores, nova ista Systemata procudentes, à Doctore Angelico procul abire, ut ob id maximè Societatis Præpositos moneant, ne Paterna instituta insuper habeant, quin & injunctum illis est, ut D. Thomam uti proprium Doctorem habeant.

15. Jesuitæ Vallisoletani, post susceptam Molinianæ causæ defensionem, infausto institutæ disputationis exitu commoti, Molinæ Librum tanquam de hæresi suspectum, sacro Inquisitionis Tribunali denunciant; ut hâc saltem speciosâ in illum actione, publicam indignationem avertant.

16. Jesuitæ Salmanticenses clarigationis duntaxat jure, Calviniſmi Prædicatores incusant, utque Pelagianismi accusationem declinent, quâ primùm ab illis appetiti fuerant: teste Joanne Martinez de Ripalda Societatis Scriptore.

17. E Censuris undeviginti, seu jubente Clemente VIII. seu rogante Generali Hispaniæ fidei Quæsitore, datis in hujusce causæ proludio, unica Prædicatoribus æquè ac Jesuitis incommodat: cæteræ omnes in Molinæ caput pronunciant, Quatuor quidem, tametsi illum ab hæresi vindicent, novitatis tamen, audaciæ ac temeritatis passim incusant: ejusque doctrinam probabilem dicunt, suâ tamen Prædicatoribus probabilitate servatâ, potiorique jure asserto. Quatuordecim, Prædicatorum doctrinam necessariò certóque tenendam definiunt; Societatis verò Dogmata, uti falsa, temeraria, scandalosa, erronea, ac etiam hæretica *respectivè* proscribunt.

18. Interdictum de divinis Auxiliis disputandi initio latum, à Clemente VIII. demùm temperatur, daturque disputandi venia; ita tamen ut Prædicatoribus plena concedatur, de gratia scilicet disputandi juxta D. Thomæ mentem; uti hactenus egerant: cùm contra Jesuitis circumscriptione temperetur; ut nimirum eodem de argumento disputent, non ut hactenus egerant, sed modò sanam doctrinam tueantur.

19. Ludovicus Cardinalis Madrutius, primus ab Apostolica Sede Molinianæ causæ Cognitor datus, litem Prædicatoribus adjudicat, Jesuitas suscitati Pelagianismi incusat in privatis documentis, quæ moriens Clementi VIII. tradi jubet.

20. Gregorius de Valentia Molinianæ causæ publicus Actor in Congregationibus Auxiliorum, coram Clemente VIII. profitetur sæpenumero, nolle se Molinæ doctrinam uti probabiliorem tueri, sed solùm ut ab hæresi liberam.

21. Multa sibi in Molina non probari, tandem aliquando fatetur Societatis Præpositus, Clementem VIII. alloquens. Quin etiam Indicem expurgatorium à suis paratum ait, quo multa in eo notantur Censurâ digna.

22. Concedunt Societatis Oratores in solenni congressu, modum quo Prædicatores physicam Prædeterminationem exponunt, probabilem videri posse.

23. Prædicatorum doctrinam, quam antea hæreseos incusaverant, admitti tandem, atque uti probabilem dari postulant quàm sæpissimè, tum libellis supplicibus Summo Pontifici datis, tum oblatis pacis conditionibus; modò suæ quoque sententiæ probabilitatis jus concedatur.

24. Litem bonâ gratiâ componi sæpiùs rogant, varias compositionis rationes offerunt: adeò scilicet iniquis titulis litigant! Contrà verò, Prædicatores oblatas conditiones constanter repudiant, optimi juris fiduciâ tuti.

25. Commendatitias Epistolas undecumque emendicant, Potentum gratiam

&

& præſidium aucupantur ; ut quod in ſuæ doctrinæ eventilatione obtinere ex jure nequeunt, favore extorqueant.

26. Achilles Gagliardi à Societate delegatus, ſuos exceſſu peccaſſe, bonâ fide profitetur, dato Pontifici Libello ſupplici, illosque paratos ait, novum à ſe inventum ſyſtema excipere, proſcripto Moliniano.

27. Scriptum in quindecim Articulos digeſtum adornat Clemens VIII. quo ſuam de controverſis quæſtionibus mentem obſignat, & Thomiſticæ Scholæ partes innumeris S. Auguſtini teſtimoniis adſtruit ; nihil quidem ſupremâ authoritate ſanciens, ſed privati Doctoris judicium ferens

28. Miſſa in aliud tempus lati judicii promulgatione, quaſi extremo ſubducti periculo triumphant Jeſuitæ; publicas lætitiæ ſignificationes edunt, ludos & choreas agunt; Prædicatores ex oppoſito, audito rei nuncio conſternuntur. Quid ita? Niſi quòd illi pendentem ſententiam ſibi adverſam præſentiant, iſti ſibi propitiam certò norint: illi improbo, iſti optimo jure litigent?

29. Prædicatores ut meditatum Judicium publicè prodeat, inſtant ſæpè numero, ac repetitis ſupplicationibus : Jeſuitæ, ne prodeat modis omnibus adnituntur. Quid ita porro, niſi quid ſibi dorſo penderet, certò ſcirent?

30. Cardinalis Perronius, præcipuus Romæ Molinianæ cauſæ patronus, patriæ tandem redditus conteſtatur, non ea ſe periclitanti Societati officia contuliſſe, quòd ejus ſententiam probaret magis, cùm contrà Thomiſtis aſſentiretur ; ſed quòd ita in mandatis haberet ab Henrico IV. Galliæ Rege, cujus nomine Legationem obibat Romæ.

31. Ferdinandus de Baſtida eruditiſſimus Societatis Actor, ſolutis demùm Congregationibus caſtra mutat, & in Prædicatorum ſententiam venit Valliſoleti, in Exercitationibus Academicis, pro gradu litterario obtinendo.

32. Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis, qui univerſum penè Ordinem in Molinæ defenſionem armaverat, Molinianum tandem Syſtema à Domeſticis ſcholis ſolenni decreto proſcribit, ut Suareſii temperamentum inducat.

33. Moliniani ſyſtematis, de gratia verſatili & Libero Arbitrio ſubditâ, interpretatio, à nonnullis hujus ſcholæ Profeſſoribus data non ita pridem ac vindicata, ab Innocentio XI. de conſilio ſupremæ Inquiſitionis Romanæ proſcribitur, Edicto publico.

34. Decretum Capituli generalis Inſtituti cujuſpiam Religioſi, quo ſtatuerant ut Moliniana dogmata de Gratiâ, ſcientiâ mediâ, & Prædeſtinatione meritis nixâ, in Provinciâ Belgicâ, ad evitandos neſcio quos errores, à ſuis Profeſſoribus traderentur, ab eadem Romanâ Inquiſitione generali reſcinditur, & à domeſticis Ordinis tabulis expungitur.

35. Auguſtinienſium Ordo doctrinam de gratuita Prædeſtinatione, & Gratia ſeipſa efficaci, decretis ſancit; Molinianam explodit, ac ne à ſuis doceatur, ſtatuto vetat.

36. Hanc ipſam doctrinam, erroris à nonnullis notatam ac ſugillatam, non modò ab injuriâ vindicant Romani Cenſores ſub Innocentio XII. verùm etiam communem Patrum ſententiam vocant, datâ Cenſurâ, quam ſacer ipſe tuendæ fidei Senatus ſuam facit ; atque ut illi ſubſcribat præceps calumniator, Reſcripto jubet.

37. Excitatos Ludovico Molinæ triumphos disjicit Remenſis Archiepiſcopus, latâ Cenſurâ.

38. Ejuſdem de gratia iis conferenda qui ſolis naturæ viribus adnituntur, Sententiam Cenſorio ſtigmate inurit Clerus Gallicanus die 4. Septembris 1700.

39. Poſtrema editio Concordiæ Molinianæ Antverpiæ adornata eſt anno 1595. multis expunctis quæ in prioribus editionibus ipſi autori viſa ſunt magis à probatis Theologorum placitis aliena. At deinceps ab illo anno ad noſtra uſque tempora nullam auſi ſunt Jeſuitæ infauſtæ Concordiæ editionem procurare, nimirum ex quo tot illius capita nigro lapillo notata ſunt à Cenſoribus Romanis: nec impunè illam hodiernis typis ſubjicere ſinerentur Societatis Proceres ipſéque Generalis Præpoſitus.

40. Ultimi in gratiam doctrinæ Auguſtino-Thomiſticæ Præjudicii loco ſit ſuprema Eminentiſſimi, doctiſſimi, piiſſimi Cardinalis Hieronimi Caſanate diſpoſitio, qua, non Patres Jeſuitas, ſed Patres Dominicanos, bonorum ſuorum, magnam partem, ſcripſit hæredes, ut S. Thomæ doctrina ab Auguſtino hauſta ab illis quotidie traderetur, gaudente Roma, approbante Pontifice, plaudente Orbe Catholico.

Si reſpondere cogitas, noli cauſam relinquere & in ſupervacaneis evagari. Ea quæ dicta ſunt intuere: ad ea quæ dicta ſunt, non fallaciter eludendo, ſed rationabiliter diſputando reſponde. Auguſt. Lib. 29. Cont. Gaud. Cap. ultimo.

FINIS HISTORIÆ.

ADDENDA
IN APPENDICE
HISTORIÆ CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS.

Pag. 214. ante numerum XIV.

EPISTOLA
JOANNIS ANTONII BOVII
AD PAULUM V.

Quâ ſuam, de finiendâ Auxiliorum Controverſiâ ſententiam dicit, à cæteris Cenſoribus diſſentientem.

BEATISSIME PATER.

ETſi per alia Scripta Sanctitati veſtræ oblata, jam explicavi, quâ facillimâ & optimâ ratione videretur mihi, pro tenui meo judicio, poſſe terminari longa hæc & difficilis Controverſia; nunc tamen, quia Sanctitas veſtra jubet ut ſententiam noſtram dicamus, eam reducentes ad hæc Capita, videlicet Quænam propoſitiones videantur definiendæ de fide, quæ condemnandæ; Quid interſit inter horum Catholicorum ſententias, & damnatos hæreticorum errores; & An in Bulla Definitionis facienda ſit mentio librorum, in quibus propoſitiones reperiuntur, & Religioſorum Ordinum inter quos fuit hæc Controverſia; ut reſpondeam in terminis, ad quatuor propoſita puncta, eodem ordine, non verebor repetere ex his quæ jam dixi in prioribus meis Scripturis, ea quæ ad rem facient, & alia interſeram & addam, prout opus eſſe judicavero; & hæc omnia quàm maximè potero & breviter & dilucidè. Sed antequam propiùs rem aggrediar, aliqua adnotabo.

Et primò debere omnes Conſultores in hoc convenire, circa punctum principale Controverſiæ, de prædeterminatione Phyſica, vel gratiâ congruâ; quòd ſicut non poteſt utraque pars definiri tamquam certa de fide, ita neque utraque pars poteſt damnari & rejici. Quòd ſi alicui neutra opinio plenè ſatisfacit, debet ipſe ſuſpendere judicium, tamquam in re maximè dubia. Non enim poteſt unam damnare, donec de altera ſit certus, quòd ſit vera, & in fide tuta: quia dum unam damnamus, alteram ſaltem implicitè approbamus. Et ratio hujus eſt, quia in explicando hoc myſterio de Auxiliis efficacibus, quibus à Deo certiſſimè liberantur quicumque liberantur, & de certitudine prædeſtinationis, an Deus certò cognoverit, quam partem liberè electurus eſſet homo, ex eo quia ſciret, ſe poſſe, & velle in eam partem illum phyſicè prædeterminare; an verò quia viderit in quam partem voluntas à nullo prædeterminata, ipſa ſeipſam eſſet, cum iis vel illis Auxiliis, ſi darentur, determinatura; in hoc, inquam, myſterio explicando, duæ ſententiæ ſunt, ita & directè & immediatè oppoſitæ, ut neque utraque vera, neque utraque falſa eſſe poſſit: ſed ſi una vera eſt, altera neceſſariò ſit falſa. Et è contra, ſi hæc falſa, illa vera; neque poſſit dari medium: & hoc fuſiùs probavi longiori ſcripto, quod Sanctitati veſtræ jam exhibui. Sed modò non erit opus gravari Sanctitatem veſtram, ut ipſum legat: facilè enim id omnes concedent. Certè in diſputationibus & conſultationibus, audivimus ſemper id ſibi invicem partes conceſſiſſe, conveniſſeque in eo Conſultores omnes.

Adnoto ſecundò, in hoc negotio, ſicut in aliis pleriſque, aliud eſſe ſpeculativam diſputationem, quid veritatis vel falſitatis, certitudinis vel dubitationis ſit in hac vel illa ſententia; aliud eſſe practicam conſultationem, quid agendum ſit, & qua optimâ ratione liceat, deceat, & expediat controverſiam hanc terminari. Neque enim hæc duo coinciderent: ſed ſæpè contingit admodùm diverſa eſſe. Nam, exempli gratiâ, de multis contractibus ſpeculativa quæſtio an liceant nec ne, eſt maximè dubia inter Doctores; practica tamen reſolutio, ſcilicet quod ſtante ſpeculativo dubio, poſſit quis in praxi cohærere opinioni probabili; & ſecundùm illam ejuſmodi contractus ſine pec-

peccato celebrare, certissima est; immò verò illemet, qui speculativè non potest capere, quomodo contractus non sit illicitus, potest tamen suam conscientiam conformare sententiæ probabili aliorum tenentium esse licitum, & secundùm eam existimare sibi licere, & ejusmodi contractum licitè sine ullo peccato celebrare. In speculativa dispositione debet unusquisque dicere, quod suo ingenio potest capere, & quod sibi videtur verum esse: quidquid sentiant & reclament alii; in practica verò resolutione, multò plura sunt nobis attendenda. Si enim sint diversa consilia atque sententiæ, cùm ad opus deveniendum est, una tamen ex multis potest executioni demandari: & proinde, non solùm nostræ, sed aliorum sententiæ rationem habere debemus; reque totâ diligenter examinatâ cum suis circumstantiis, eligere quod hìc & nunc omnibus pensatis, factu optimum videatur.

Hoc adnotavi propter meipsum, qui quamvis (ut ingenuè fatear) argumentis quæ contra prædeterminationem fiunt ita convincar, ut capere non valeam, quomodò prædeterminatio possit sustineri, & distingui ab errore Calvini, in Concilio Tridentino damnato, non auderem tamen omnibus pensatis, & stantibus rebus ut modò stant, practicè consulere Sanctitati vestræ ut eam condemnaret, propter rationes quas infra adducam. Et quia quamvis ego non videam modum & viam quibus defendi possit, hoc tamen scio, posse alios videre quod ego non video. Pari modo (meo quidem judicio) debent & alii de se humiliter sentire, si videant doctos & multos contrarium tenere, ut non statim condemnent quod ipsi non capiunt, sed sibi persuadeant, posse facilè alios capere quod non capiunt ipsi. Hâc modestiâ usus est Sanctus Thomas præ aliis omnibus, qui quam sententiam vidit defendi à catholicis Doctoribus, vix unquam in tam multis suis operibus condemnavit hæresis, aut aliâ gravi censurâ. Licet ipse, inquam, plurimis & gravissimis dogmatibus, ab aliis Doctoribus dissenserit, eosque validissimis rationibus impugnaverit. Ut certè & miranda & dolenda sit nostrorum temporum, præcipuè in Hispaniis, licentia quâ sibi quisquis præsumit aliorum Catholicorum sententiis temeritatis aut hæresis notam inurere. Et iis præmissis.

Ad primum & secundum punctum, Quæ propositiones definiendæ tamquam de fide, & quæ damnandæ, dico meam sententiam esse (quam tamen saniori judicio & correctioni Sanctitatis vestræ humiliter subjicio) quòd neque opus sit, neque deceat, neque expediat, stantibus rebus ut stant, hanc sanctam Sedem determinare principalem quæstionem de efficacia gratiæ & certitudine prædestinationis, An sit per physicam prædeterminationem, an verò per auxilia congrua, alteramque partem tamquam de fide certam definire, alteram verò damnare. Porrò rationes quæ me ad hoc sentiendum adducunt, hæ sunt.

Quia sicut pro certo habeo expetere omnes bonos quod Sanctitas vestra summo studio desiderat, summâque diligentiâ procurat, ut scilicet quamprimùm controversiæ istæ terminentur, tollanturque omnes contentionum occasiones, non enim potest non afferre maximum damnum Reipublicæ Christianæ, quod duo in Ecclesia Dei, & doctrinâ & pietate præcipui Religiosorum Ordines (qui mutuis auxiliis, & conjunctis viribus debent contra communes hostes, hæreticos depugnare) civilibus inter se armis decertent, & alter alterum minùs sanæ in fide doctrinæ reprehendat; ita etiam mihi persuadeo, Sanctitatem vestram pro sua singulari prudentia videre, quantopere sit pro communi Ecclesiæ bono optandum omnibus & curandum, ut (si fieri possit) servato utriusque partis honore & existimatione res componantur. Est enim magna in Ecclesia Dei autoritas scholæ Theologicæ, quæ cùm in hac controversia in duas partes sit divisa: vix etenim est mediocris ullus Theologus, nulla certè est Academia, quæ in unam harum sententiarum non descenderit; non potest sententia seu hujus, seu illius partis damnari, quin dimidia scholastica schola errasse dicatur, quæ ideo magnum auctoritatis detrimentum pateretur, cùm tamen eam & deceat & expediat à Romano Pontifice pro viribus sustineri; quoniam habet magnam vim, & plurimum prodest Ecclesiæ Dei ad res fidei probandas, declarandas & confirmandas, Hæreticosque convincendos.

Addo alteram harum Religionum, eam esse quæ pleraque negotia fidei nostræ & sanctæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem pertractat. Alteram verò esse quæ in plerisque Regionibus, Anglia, Belgio, Germaniâ, Gallhâ, Bohemiâ, Poloniâ, Hungariâ, totoque ferè

Septentrione contra hoſtes fidei decertat, & hæreticorum impetum ſuſtinet: cujusque diſputationibus, concionibus, doctrinâ, operâ, continentur in Fide Catholica earum Provinciarum incolæ. Ideóque nemo eſt qui non videat curandum modis omnibus, ne demus hæreticis triumphandi locum, & gloriandi cum maximo parvulorum ſcandalo, damnatos eſſe de erróre in fide eos, qui in Romana Eccleſia ſunt fidei vel judices, vel propugnatores.

Quis enim non vereatur (& jure merito) ne ſi in Anglia, ejuſmodique aliis Regnis audierint ſimpliciores illi Catholici, damnatos eſſe Patres Societatis Jeſu in ea ipſa doctrina, quam adverſùs præcipuum Calvini errorem de arbitrii libertate hactenus docuerunt, & ſuſtinuerunt, facilè contingere poſſit, ut quamplurimi animo conſternati, dum hæſitant quid, aut cui credunt, non magno negotio ab hæreticis ſeducantur, qui illis perſuadebunt, quando & hinc & inde erratur, ſatiùs eſſe errare cum ſuis Principe & civibus, vitamque tandem & bona in tuto conſtituere, quàm cum bonorum jacturâ, miſerâ ſervitute, aſſiduoque vitæ periculo, errare cum alienis.

Demum ſententia, de phyſica prædeterminatione (quidquid ſit, an ſit eadem cum errore Calvini) certè eſt ei admodùm ſimilis. Confundent ergò hæretici has duas ſententias; nec difficile erit populis perſuadere, eſſe unam & eandem; quando doctiſſimi Theologi, vix vel ne vix quidem inter eas ſciunt ullum diſcrimen aſſignare. Unde ſi definiatur tanquam de fide certa phyſica prædeterminatio, & dicatur in ſenſu compoſito, ſcilicet poſitâ prædeterminatione verum eſſe, quod Liberum Arbitrium à Deo motum non poteſt diſſentire, canent Calviniſtæ victoriam; jactabuntque Romanum Pontificem Concilii Tridentini errorem retractaſſe; nec potuiſſe jam ampliùs ejus deliriadefendere, ſed ipſâ tandem veritate coactum, ſuam ſententiam approbaſſe: hunc errorem, de quo damnati ſunt Jeſuitæ, eſſe eundem illum Pelagianiſmum, in quem Patres Tridentinæ Synodi, dum cum Calvino ſentire refugiunt, & volunt contra gratiam Chriſti humani arbitrii ſtatuere libertatem, impegerunt: de quo Pelagianiſmo ipſi ſtatim & Tridentinum accuſarunt, & deinde contra Jeſuitas Tridentini Concilii defenſores (hoc enim titulo eos impugnant Kemnitius, & alii) aſſiduè damnare non deſtiterunt.

Quod ſi quis dicat, propter hæc inconvenientia, aliáve quæcumque, non eſſe tolerandos in Eccleſia errores; & pluris quàm hæc omnia faciendam fidei puritatem; libens ego concedo: ſit hoc veriſſimum, ſi tamen de errore conſtet. At verò in hac cauſa (quidquid dicant Theologi Conſultores) non latet arbitror Sanctitatem veſtram graviſſimos viros, doctos Epiſcopos, integraſque Academias diſſentire, &, ut ex longa partium diſputatione conſtitit, afferri hinc inde multas & ſatis apparentes rationes: quorum Doctorum & Academiarum autoritate & rationibus, quis negabit rem ſaltem reddi dubiam, & opinionem probabilem? Jam verò ſi communis eſt Theologorum & Jeſuitarum ſententia, licere ſequi opinionem probabilem, certè poterit Sanctitas veſtra jure optimo, donec altera ſententia in ſcholis prævaleat, & altera ab omnibus vel ferè omnibus rejiciatur, interim exiſtimare utramque probabilem. Neque ſtante hoc dubio, ſecundùm rectam prudentiæ & conſcientiæ regulam, tenetur Sanctitas veſtra devenire ad illius damnationem: præſertim cùm res agatur inter pios & religioſos Viros, Eccleſiæ Catholicæ obſequentiſſimos filios, qui ejus cenſuræ ſubjiciunt quidquid docent, parati quotiescunque aliquid declaratum fuerit, mutare ſententiam.

Immò verò, quamvis poſſet Sanctitas veſtra definire hanc controverſiam, & quidquid definiſſet certiſſimâ fide tenendum eſſet, ſi tamen ſervandus ſit antiquiſſimus mos Eccleſiæ in rebus fidei definiendis, non video quomodo adſint prærequiſita neceſſaria, ut poſſit deveniri ad definitionem puncti principalis hujus controverſiæ, de gratia congrua, citra prædeterminationem phyſicam, aut è contra, de neceſſitate phyſicâ prædeterminationis. Hæc enim duo ſemper ſervata ſunt in Eccleſia: primum eſt, ut quod definitur de fide certitudinem habeat ex ſacris litteris, Apoſtolicis traditionibus aut Sanctorum Patrum concordi doctrina; non enim debent dogmata fidei in humana ſolùm ratiocinatione & paucorum Doctorum authoritate fundari: ſecundum eſt, ut definitionem fidei præcedat magnus Doctorum Catholicorum conſenſus in hoc convenientium, quòd veritas definienda habeatur ex Scriptura ſacra, Eccleſiaſticis traditionibus, ſanctis Patribus, vel certè ex illis per apertam conſequentiam deducatur. Illorum neutrum habemus in præſenti controverſia.

Si

Si enim, exempli gratia, contendat quis, definiendam esse de fide physicam prædeterminationem, cum qua non possit conjungi dissensus, ex quonam Sacræ Scripturæ textu, ex quibusnam sanctis Patribus hujusmodi terminos mutuabimur? Quod si instet, per apertam consequentiam ex Scripturâ & Patribus rem deduci, licet non sub iisdem terminis; nullâ veritate aut verisimilitudine id dicetur, cum tota hæc doctrina innitatur, non tàm Scripturæ & Patribus, quàm principio cuidam metaphysico: quòd scilicèt motio vel concursus causæ primæ cum secundis ponat aliquid prævium in causa, & non concomitans in effectu: quod principium inter Theologos & Philosophos est maximè dubium; neque ullus unquam asseruit esse certum de fide, aut habere certitudinem ex Scriptura vel Patribus; imò ferè omnes Doctores, & ex Thomistis etiam præcipuis aliqui, citra ullum scrupulum oppositum tenuerunt. Adde, quòd si principium hoc universale supponeretur, plus probaret quàm veritas patiatur: probaret enim Deum præmovere & prædeterminare ad actum peccati, cujus oppositum videtur quamplurimis definitum fuisse in Concilio Tridentino. Et certè dicere, quod dum Judas consultaret, animi dubius, quid faceret, hinc turpi lucro allectus, inde facinoris turpitudine deterritus, cumque esset voluntas ejus indifferens ad utrumque actum, ad prodendum Christum, vel ad perseverandum fideliter in ejus disciplina, dicere, inquam, quòd Deus sua prævià motione applicaverit, & physicè determinaverit voluntatem Judæ, ut potiùs eligeret actum proditionis, quàm oppositum, est facere Deum per se causam proditionis, & Deum non permisisse solùm, sed propriè & per se operari opera mala. Nam Deum operari in nobis propriè, & per se opera bona, secundùm istos Doctores, non est movere per illustrationes, & inclinare per inspirationes; sed ipsos & physicè præmovere, & prædeterminare ad actum bonum: ergo si ad actum malum efficienter Deus præmovet, & physicè prædeterminat voluntatem, æquè propriè & per se dicetur operari actum malum, etiamsi ad hunc Deus non moveat illuminando, & inspirando, immò potiùs ab eo retrahat.

Hoc autem, scilicet Deum operari in nobis actus malos sicut bonos, damnatur in Concilio, & est de se ita horrendum, ut id non potuerit diffiteri Calvinus ipse; & in causa nostra videamus jam aliquos ipsâ rei horribilitate deterritos, non audere ampliùs sustinere hanc prædeterminationem ad actus malos; quam tamen non possunt non admittere, si eam ex illo generali principio admittunt ad actus bonos.

Sed quidquid sit de illo metaphysico principio, quod si semel admittitur, valet in omnibus tàm malis quàm bonis operationibus; & si semel negatur, in omnibus corruit; de ipsa physicâ prædeterminatione ad unum, non est concors sententia Doctorum, quod ex Scriptura & Patribus habeatur aut deducatur, cùm eorum multi, immò plerique eam censeant cum Scripturæ & Patrum doctrinâ de arbitrii libertate pugnare.

Ex iis ergo concludo, Beatissime Pater, quòd cùm speculativa veritas sit admodùm dubia, & inter Doctores Catholicos æquis ferè partibus divisos controversâ; & è contra in consultatione practicâ certum sit, quod si fiat in hanc vel illam partem determinatio, multa & gravia afferet incommoda & damna: & cum etiam non minùs certum sit, stante hoc dubio, antequam apertè constet de errore & conveniant de eo plerique Doctores & Academici, non teneri Sanctitatem vestram, immò verò vix rationabiliter posse definire aliquid tanquàm de fide; concludo, inquam, neque expedire, neque opus esse Sanctitati vestræ descendere ad definiendum punctum ipsum hujus controversiæ, quod est de modo efficacitatis gratiæ, an sit per auxilia congrua, an verò per physicam prædeterminationem.

Quia tamen aliquando una pars objicit alteri, quòd quædam neget quæ sunt de fide certa: verbi gratiâ, Patres Societatis objiciunt Patribus Dominicanis, quòd negent, hominem, positâ gratiâ, posse dissentire, seu resistere; & Patres Dominicani Patribus Societatis, quòd negent gratiam, quæ faciat facere, quæ immutet voluntatem; quæ tamen neutra pars negat, ut audivimus: poterunt hæc omnia, & quæcumque certa habemus, ex Conciliis Milevitano, Arausicano, & Tridentino, Patribus & præcipuè Augustino & Prospero, in quasdam propositiones reduci, ex ipsismet Conciliis, & Patribus desumtas, quibus tota hæc nostra de gratia & de Libero Arbitrio fides contineatur. Et ista poterunt definiri (si tamen judicabitur expedire, ut hoc tempore ad ullas propositiones definiendas

niendas procedatur, in quo me remitto ſaniori & prudentiori Judicio) præcipiendo partibus, ut in iis, quæ iſtis aut aliis veritatibus definitis expreſſè non contradicant, altera alteram non cenſuret, ſed cum omni modeſtia loquatur.

Quod ſi quis objiciat, hâc viâ non tolli & ſedari hanc controverſiam, fatebor ingenuè non tolli Theologicam diſputationem; ſed addam, neque eſſe opus, immò neque poſſe tolli ſcholaſticas ejusmodi diſputationes, niſi tollatur ipſa ſcholaſtica Theologia, quæ in hoc à Theologia merè poſitivâ diſtinguitur, quòd plerumque principiis fidei immiſceat naturalia, & ex utriſque naturæ lumine diſcurrat & diſputet. Sufficere nobis debet, quòd in hac controverſia firma ſtet fidei veritas, & ſervetur inter diſputantes modeſtia, ſicut in innumeris aliis quæ in Eccleſia Dei Theologorum diſputationi relinquuntur.

Et adnoto, in myſteriis fidei aliud eſſe ſubſtantiam ipſam myſterii & Catholicæ veritatis, aliud eſſe modum, quo à Theologis declaratur. In ipſa ſubſtantia myſterii debent omnes Catholici convenire, & ſi qui diſſentiant debent hujus ſanctæ Sedis autoritate coerceri; in modo autem declarandi & probandi Theologis diſſentire ſemper licuit, & diſputare, etiam circa ipſa potiſſima & fundamentalia fidei noſtræ myſteria, Trinitatem & Incarnationem.

Catholica veritas de Trinitate eſt, eſſe unum Deum, & tres eſſe divinas perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unam, inquam, eſſentiam in tribus ſuppoſitis Divinis. In hac tamen veritate declaranda multum diſcrepant Theologi, dum alii volunt principia per quæ procedunt Divinæ Perſonæ, intellectum ſcilicet & voluntatem, à parte rei inter ſe diſtingui, perſonasque ipſas conſtitui & inter ſe diſtingui proprietatibus abſolutis: alii è contra contendunt intellectum à voluntate in Deo ſola intellectûs noſtri operatione diſtingui ab invicem. Incarnationis myſterium in eo eſt, quòd unum Chriſtum Deum & Hominem fateamur, unam, inquam, Perſonam in duabus naturis ſubſiſtentem. Attamen declarando quid ſit hæc ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas, an ſola negatio, an poſitivus terminus & complementum naturæ ſubſtantialis: ſimiliter, an in una perſona Chriſti ſit unum eſſe exiſtentiæ, an plura, ſcholaſticorum Principes diſſentiunt.

Quòd ſi rurſus inſtetur, in noſtra controverſia modos declarandi myſterium deſtruere ipſam ſubſtantiam myſterii; ſcilicet prædeterminationem phyſicam tollere arbitrii libertatem, vel gratiam congruam deſtruere veram gratiam Chriſti: reſpondeo, ita partes invicem ſibi objicere, & prætendere, neutrum tamen hactenus ſemper apertè conſtare. Etiam in myſterio de Trinitate D. Thomas objicit: Si diſtinguantur voluntas & intellectus à parte rei proprietatibus abſolutis, tolli divinam ſimplicitatem ſimpliciſſimamque divinæ Eſſentiæ Unitatem: Si divinæ Perſonæ diſtinguantur proprietatibus abſolutis, ſequi nullam de perſonis divinis eſſe perfectiſſimam; ac proinde nullum eſſe Deum, ſi unaquæque careat abſolutâ perfectione quæ eſt in alia. E contra objicit Scotus: Si intellectus & voluntas in Deo à parte rei non diſtinguuntur, neque poſſe perſonas diſtinctas produci, & ſic tolli Divinarum Perſonarum Trinitatem. Similiter, in materia de Incarnatione, D. Thomas cum ſuis objicit: Si in Chriſto eſt duplex eſſe, non eſt una perſona, ſed duæ. Alii verò in contrarium inſtant: Si non eſt duplex eſſe, non poteſt eſſe duplex natura realis, cùm nulla natura ſeu eſſentia ſit realis extrà nihil, niſi per ſuum eſſe, ab ipſa ſola ratione diſtinctum. Hæc licet ſibi invicem objiciant, quibus videtur tolli veritas Trinitatis & Incarnationis, quia tamen iſtæ ſunt tantùm prætentiones partium, & non apertæ atque indubitatæ veritates, licuit jam tot ſeculis de iis diſſentire: neque enim Eccleſia judicavit neceſſarium, ſuam definitionem interponere.

Nulli ergò pariter videri debet novum aut mirum, ſi hinc inde collectis omnibus, quæ in Eccleſia Dei uſque ad hanc diem definita habentur de efficacia gratiæ & arbitrii libertate (vix autem credibile eſt, aliquid eſſentiale huic myſterio prætermiſſum definiri, in antiqua tàm diuturna controverſia contra Pelagium, & nova contra Lutherum, Calvinum, & ſuos) ſi, inquam, modus explicandi gratiæ efficaciam, Theologorum diſputationi relinquatur; modò præſcribatur modeſtia, & ſcandalorum occaſiones præſcindantur; deferveſcet ſpero contentionis fervor, cùm primùm deſinet in judicio actorem, & reum agere, ſublatisque paſſionum nebulis ſuo ſe lumine veritas prodet. Et ſi verum eſt, quod prætenditur, alteram iſtarum ſententiarum eſſe de fide, ipſa ſe veritas paulatim hominum animis

animis insinuabit, fietque ea sententia communis in scholis: & tunc commodiùs poterit definiri, & opposita damnari, quando existente jam re clarâ & indubitatâ, ad nullius partis instantiam, in nullius condemnationem, sine detrimento auctoritatis scholæ Theologicæ, aut existimationis ullius Religiosi Ordinis, emanabit hæc definitio, tamquam simplex fidei declaratio ex officio edita, non autem tamquam sententiæ alicujus condemnatoria.

Et quod dixi de principali controversia, idem sentio de aliis quæstionibus, quæ disputatæ fuerunt, circa vires liberi arbitrii ad credendum fide humanâ, diligendum, &c. nec non de faciente quod in se est, & aliis; nulla enim ibi propositio accusata fuit in Molina, pro qua non sint adducti multi & graves Doctores, qui eam ante Molinam tenuerunt; neque tamen ante hanc ortam contentionem alii Doctores notarunt eos minùs tutæ in fide doctrinæ. Immò Medina in parte secunda, quæstione centesimâ nonâ, Articulo sexto, ex professo eos excusat, & affert differentias aliquas, inter has Catholicorum doctrinas, & Pelagianorum errores: quod puto viderunt etiam accusatores Molinæ in Hispaniis, qui nihil tale adnotarunt, sed in sua censura ex Hispaniis transmissâ notarunt tantùm novem propositiones, omnes attinentes ad principalem controversiam, de efficacia gratiæ. Hæc alia deindè adnotata sunt & revocata in dubium à Theologis Consultoribus, & initio quidem longè plura, deinde reducta sunt ad multò pauciora. De iis, inquam, quæstionibus idem sentio, non esse opus, neque decere aut expedire devenire ad aliquam novam definitionem aut condemnationem, propter easdem rationes; sed sufficere in aliquot propositiones resumere quidquid ex Conciliis & Patribus certum, & ab omnibus Catholicis concessum habemus, easque definire: quas propositiones cum aliis de efficacia gratiæ ego collegi, & simul cum tenore Bullæ (qui posset præmitti, vel similis) humiliter offero Sanctitati vestræ.

Ad tertium punctum: Quid intersit inter horum Catholicorum sententias, & damnatos hæreticorum errores.

Circa distinctionem erroris Calvini ab opinione ponentium physicam prædeterminationem, dico Calvinum non solùm abstulisse liberum arbitrium, sed & in eo errasse, quòd talem posuerit Dei motionem quæ liberum arbitrium destruat.

In priori illo agnosco discrimen, Patres enim Dominicani, ut sunt Catholici, & pii, per suam prædeterminationem negant arbitrii libertatem destrui: in hoc verò posteriori, quod contra Calvinum damnatum est in Concilio, talem sentiunt esse motionem Dei, cui non possit homo dissentire si velit. Et ille & isti admittunt ex motione sequi quamdam necessitatem, & in aliquo sensu verum esse, quodliberum arbitrium motum non dissentire potest: sed Calvinum admittere necessitatem antecedentem, quæ libertatem tollit, Patres verò Dominicanos non nisi necessitatem consequentiæ, & secundùm quid: & solùm in sensu composito verum esse, quòd homo non potest dissentire. Sed quid, quod has ipsas distinctiones, de sensu composito & diviso, necessitate antecedente & consequente, simpliciter & ex suppositione, hæc, inquam, ipsa sæpè Calvinus, ut in Congregationibus legi audivimus, iteraverat in suis Institutionibus, dicens se loqui in sensu composito, & de necessitate, non simpliciter, & antecedente: & tamen damnatus est, & à Doctoribus Catholicis impugnatus eo nomine, quòd cùm ponat necessitatem deductam ex Dei motione, quæ est quid prius, & causa, sequitur ex ea, velit, nolit, necessitas simpliciter, & antecedens, quæ libertatem tollit. Quòd si quis dicat, Calvinum posuisse voluntatem à Deo moveri & determinari per modum naturæ, & ideò damnatum esse; istos autem ponere, quòd determinetur secundùm modum proprium agenti libero, ac proinde non tolli libertatem: contra est, quòd inter agens naturale quod movetur à Deo, & agens per modum naturæ, puta lapidem, & voluntatem divinâ motione prædeterminatam ad unum, non possunt concipi, nisi hæ tres convenientiæ: prima est, quòd agens naturale non fertur in objectum cognitum per rationem, neque rationis judicium sequitur; secunda, quòd in eo non est voluntas potentiæ rationalis; tertia, quòd antequam agat, est prædeterminatum ad unum per ipsam suam naturam, vel aliquam in eo permanentem qualitatem, sicut lapis per gravitatem ad motum deorsum. Calvinus certè non dixit primum, hominem scilicet velle quod nullo modo per intellectum ei repræsentatur ut bonum; immò apertissimè admisit divinas illustrationes: neque dixit secundum, destrui scilicet per Dei motionem

tionem ipsam naturalem potentiam voluntatis, ut patet : neque dixit tertium, quia necessitatem voluit imponi, non per qualitatem ullam, sed per actualem Dei motionem, ut patet ex ejus verbis, ab illustrissimo Bellarmino & aliis relatis, *Movet Deus voluntatem, non quemadmodùm multis seculis creditum est; &c.* & ut patet ex ipsâ definitione Concilii Tridentini contra ipsum facta. Ergò ex nullo capite posuit Calvinus voluntatem moveri per modum naturæ, plusquàm ponant Patres Dominicani.

Videtur ergò ex eo solo damnatus, quòd per divinam ipsam actualem motionem voluerit talem necessitatem imponi, ut ex eâ, à solo Deo in nobis positâ, non possit voluntas dissentire, seu cùm ea conjungere dissensum. In quo ingenuè fateor, ut jam superiùs dixi, & professus sum sæpè aliàs, me non posse scire, aut assignare ullum discrimen inter has duas sententias. Assignabunt fortasse alii, qui prædeterminationem defendunt, & percipient ipsi quod ego percipere non possum; non enim auderent eam defendere, nisi saltem sibi persuaderent videre discrimen aliquod inter hanc sententiam & damnatum Calvini errorem.

Quid verò interfit inter sententiam de gratiâ congruâ & errorem Pelagii & Semipelagianorum, facilius meo judicio est assignare: multa enim & lata intercedunt discrimina.

Primò Pelagius nullam agnovit supernaturalem gratiam, internamve illustrationem aut inspirationem, si credimus divo Augustino ipsi, qui Libro primo de gratia Christi hoc sibi proponit ostendendum, discurrendo per omnia dicta Pelagii, & ostendendo eum, etsi aliquando videtur errorem suum, ne damnaretur, damnasse, magnificisque verbis commendasse adjutorium Dei, nunquam tamen agnovisse aliud quàm naturam, legem, atque doctrinam *exteriùs auribus insonantem* (sunt verba Augustini) Unde capite nono ait divus Augustinus: *Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eamdem rem dicit &c.? Et tamen latere se putat cum aliis atque aliis locutionibus versat significationem legis atque doctrinæ.* Et capite decimo concludit: *Omnia quæ Pelagius concedebat, doctrinæ generalitate concludi, quæ quibuscunque sermonibus, aut litteris continetur.* Et capite decimo tertio gratiam Pelagii à vera gratia Christi distinguit, quòd illa *sit doctrina, quam altiùs & interiùs Deus ipse infundit, qui incrementum ministrat occultus.* Et Epistolâ ad Innocentium apertissimè dicit, gratiam Pelagii esse *doctrinam auribus sonantem, sicut plantatur quodam modo, & irrigatur extrinsecùs.* Et divus Thomas Libro primo, articulo septimo, errorem Pelagii describit his verbis: *Cavendus est error Pelagii, qui posuit quòd per liberum arbitrium homo poterat adimplere legem, & vitam æternam mereri, nec indigebat auxilio divino, nisi quantùm ad hoc quod sciret, quid facere deberet, secundùm illud Psalmi: Doce me facere voluntatem tuam.* Et quicumque hæreses retulerunt usque ad præsentem diem, ita hæresim Pelagii explicarunt. In sententia verò de gratiâ congruâ, admittuntur illustrationes & inspirationes internæ supernaturales, necessariæ ad omnem actum, qui quoquo modo faciat ad salutem, vel ut meritum, vel ut dispositio, quantumvis remota.

Secundò Pelagius consequenter ad suam positionem de gratia, non cognovit veram prædestinationem aliquorum præ aliis, id est præparationem divinorum beneficiorum, quibus aliqui certissimè salventur, & gratiæ efficaciam, quæ det vires, & infallibiliter faciat facere; sed existimavit ex æquo omnibus Deum præparasse naturam per quam habeant posse, legemque atque doctrinam, quâ ostendatur eis quid faciendum sit, ut colligitur ex divo Augustino, eodem libro primo de gratia Christi: & cum hoc, Deum scientiâ visionis vidisse, quinam ex viribus arbitrii erant de facto benè operaturi, & illis parasse gloriam. Ita ut secundùm Pelagium, Deus non faciat benè operari, sed videat solùm quinam operaturi sint; Deus non sit autor virtutis & boni operis, sed tantùm justus Retributor præmii; non Deus singulari beneficio suæ prædestinationis & gratiæ discernat electum à reprobo, sed homo ipse discernat se merito suæ bonæ operationis, propter quam prævisam Deus elegerit eum præ alio ad gloriam. At nihil horum dicit neque Molina, neque ullus ex Patribus Societatis: admittunt enim gratuitam prædestinationem, quâ præparatur homini, nihil tale merenti, vera gratia interna, quæ dat vires intellectui & voluntati; & facit prædestinatum certissimè facere quæcumque bona vult Deus ut faciat: conceduntque divinæ prædestinationi, non solùm certitudinem præscientiæ, quâ Deus scientiâ visionis videat quid homo jam facturus sit, sed etiam certitudinem ordinis, quâ Deus sciat certò ordinare,

nare, & certissimè ordinet media, quibus faciat hominem benè operari quæcunque ipse voluerit ut operetur. Demùm fatentur Deum suâ gratuitâ prædestinatione, & gratiâ discernere inter electum & reprobum, quam gratiam si Deus Petro non decrevisset dare congruam, sed aliam quam prævidebat futuram incongruam, licet in se sufficientissimam, Petrus jam non esset electus, sed reprobus: & è contra, neque Judas, neque ullus alius reprobus, cujus non cognovit Deus gratiam aliquam futuram fuisse congruam, cum quâ si daretur, certò salvaretur; sed noluit dare, & ita est relictus in massa perditionis.

Tertiò Semipelagiani, ut notat Divus Thomas loco supracitato, posuerunt non quidem quòd homo per liberum arbitrium haberet Charitatem, impleret legem, & compleret totum negotium salutis, ut dixerat Pelagius, sed quod initium boni operis est homini à se ipso, dum consentit fidei per liberum arbitrium; consummatio verò à Deo: ideóque dicti sunt Semipelagiani, quia etiamsi cum Catholicis sentiebant, quòd gratia supernaturalis esset necessaria ad legem servandam & meritum vitæ æternæ; cum Pelagio consentiebant, quia quod Pelagius universìm dixit de omnibus operibus ad salutem necessariis, sufficere ad ea liberum arbitrium, isti dicebant de initio justificationis. Volebant enim ante omnem gratiam præcedere in homine assensum veræ fidei Christianæ, quâ Medicum cognosceret; & bonam voluntatem, quâ Medicum quæreret. Contra quos Divus Augustinus ostendit fidem quâ Christiani sumus, esse donum Dei per gratiam: de prædestinatione Sanctorum capite secundo, & de gratia & libero arbitrio capite septimo, & alibi. Immò propter hanc fidem & bonam voluntatem, ex solis viribus naturæ elicitam ab uno, & non ab alio, dicebant Semipelagiani Deum conferre gratiam uni, & non alteri: ita ut hæc opera non essent effectus ullius gratiæ, sed causa primæ gratiæ; ac proindè non essent effectus prædestinationis; sed prævisa ab æterno à Deo, essent causa quare Deus hunc potiùs quàm illum prædestinaret. Et ita sensisse Semipelagianos, videre est ex Epistola Hilarii atque Prosperi ad Augustinum, & Libris ejusdem Prosperi contra Collatorem, ex Concilio Arausicano, & ex libro de prædestinatione Sanctorum.

Cum verò Divus Augustinus objiceret ipsis argumentum de parvulis, qui baptisati exeunt ex hac vita & salvantur, cùm tamen Dei prædestinationem & gratiam nulla eorum merita præcedant; respondebant, Deum cognovisse quid si supervixissent, facturi fuissent boni vel mali; & quòd Deus hoc cognoverit, numquam eis negavit divus Augustinus, neque unquam ex hoc capite eos reprehendit, sed ex eo quòd adderent propter ista opera mala, quæ Deus prævidit eos facturos fuisse, sub conditione, si supervixissent, Deum aliquos ante baptismum abstuliisse ex hac vita & damnasse; & è contra, propter bona prævisa sub conditione futura, alios prædestinasse ut post baptismum salvarentur, ut videre est in ipso divo Augustino. De prædestinatione Sanctorum Capite duodecimo & sequentibus.

Ab hac verò doctrina meo judicio longissimè absunt Patres Societatis & Ludovicus Molina. Etsi enim doceant, quod plurimi Scholastici ante ipsos docuerunt, posse hominem, & viribus naturæ præbere assensum fidei humanæ articulis fidei, & facere alios actus quoad substantiam actus, id est quoad objectum materiale, similes actibus spei, charitatis, pœnitentiæque, hanc tamen negant ipsi esse fidem, quâ Christiani sumus, virtutem scilicet Theologicam, de qua Scriptura & Patres, tanquam de primo salutis nostræ exordio loquuti sunt. Alios item actus dicunt entitate, essentiâ, nedum specificâ, sed genericâ, dignitate, valore à veris actibus spei, charitatis, &c. piis & talibus, quales sunt ad salutem necessarii, toto cœlo distare: convenire, inquam eos in objecto materiali, differre in formali, ratione objecti, unde desumitur actuum essentia, specificatio & dignitas.

Quòd si in explicando prædestinationis mysterio utuntur scientiâ mediâ, sive futurorum, sub conditione, non tamen eam assignant pro causa, quare Deus hunc præ alio prædestinaverit, sicut assignabant Semipelagiani.

Numquam enim hoc dixerunt, immò oppositum semper; & Molina ipse quæstione vigesima tertia, articulo quarto & quinto, disputatione prima, membro undecimo, conclusione quarta, quinta & sexta, docet hujus rei non posse ex parte liberi arbitrii dari ullam causam, rationem aut conditionem sine-qua-non: & membro secundo jam ex professo impugnaverat errorem Pelagii, & supra descriptum errorem Semipelagianorum. Immò neque posset scientia media ad talem finem deservire etiamsi ipsi vellent,

quoniam est certum, Christum Dominum prævidisse de Tiriis & Sidoniis, quòd credidissent & pœnitentiam egissent, si inter eos voluisset facere signa; neque tamen ob eorum fidem & pœnitentiam prævisam sub conditione futuram, motus est Deus ad prædestinandum eos, scilicet ad præparanda eis signa illa & auxilia cum quibus certissimè credidissent. Et è contra, de justo qui raptus est, ne malitia mutaret cor ejus, prævidit, quòd si vixisset, peccasset; neque tamen ob peccatum sub ea conditione prævisum, voluit eum reprobare, & permittere ut laberetur, sed rapuit eum &c. Scientiam hanc adhibent isti Doctores ad optimum finem, ut scilicet gratuitæ divinæ prædestinationis non quidem assignent causam, sed explicent certitudinem, citrà physicam determinationem. Eligat Deus quem vult ex solo suæ voluntatis beneplacito, debet per aliqua media certissimè & infallibiliter facere, ut iste suâ salvâ libertate consentiat, credat, operetur. Hanc certitudinem habere non potest Deus, nisi altero horum modorum: vel quia Deus scit, se posse uti quadam sua una ejusdem rationis in omnibus motione, quæ non contingentem, sed necessariam habeat connexionem cum hominis consensu, & cum eâ non possit stare dissensus (& hoc nolunt Patres Societatis concedere, quia existimant esse contrarium communi sententiæ Doctorum, & præcipuè divi Thomæ, quæstione sexta de veritate articulo tertio & alibi, & tollere arbitrii libertatem) vel quia licet omnia auxilia divina, si in se spectentur sint talia, ut possit homo cum eis consentire & dissentire conjungere consensum & dissensum, quia scilicet relinquunt voluntatem indeterminatam, & expeditam in utramque partem; Deus tamen altitudine suæ scientiæ cognoscit in quam partem cum iis vel illis auxiliis, si dentur, humana voluntas à nullo prædeterminata, ipsa seipsam sit liberè sub divinis auxiliis determinatura. Et hæc est scientia media, seu conditionalium, & ad hunc finem & non ad alium in mysterio prædestinationis explicando adhibetur. Et necesse est, hanc scientiam ponere, ut ponunt omnes quicumque prædeterminationem physicam non acceptant, quia si salvanda est & explicanda in divinâ prædestinatione certitudo, ut est procul dubio, non potest alio modo salvari: neque inter has duas sententias est dare medium, ut in particulari Scripto super hoc Sanctitati vestræ exhibito pluribus ostendi. Et hæc de tertio puncto.

Ad quartum punctum, An in Bulla facienda sit mentio librorum in quibus sunt propositiones, & Religiosorum Ordinum inter quos est controversia.

In tenore Bullæ, quem superioribus diebus Sanctitati vestræ obtuli, in prænarratione facti mentionem faciebam Theologorum hinc Ordinis Prædicatorum, inde Societatis Jesu, inter quos hæc esset exorta controversia. Nunc verò re meliùs consideratâ, satiùs existimo utrorumque nomen reticere, & dicere tantùm, inter quosdam Catholicos Theologos hanc controversiam ortam esse. Et id ipsum censeo de libris, scilicet generali clausulâ statuendum, ut si qui libri veritatibus definitis quid contrarium contineant, aut continere videantur, corrigantur, vel declarentur. Tum quia is videtur esse mos Ecclesiæ, nedum Catholicorum horum quorum famæ est consulendum, sed ipsorum etiam hæreticorum, in fidei definitionibus anathematibusque dicendis, nomina reticere. Ita Celestinus Papa in sua Epistola, decimo tertio capite, & Concilium Arausicanum, & nuper Concilium Tridentinum; ut pleraque alia taceam, à neothericorum hæreticorum nominibus recensendis abstinuerunt. Tum quia non video quomodo aut deceat, aut expediat in Pontificia Constitutione, ad perpetuam rei memoriam edenda, hujus tam parum faustæ altercationis mentionem facere, eamque posteris in omnem futurorum seculorum ætatem testatam facere, perennem ipsis quidem partibus dissidii, aliis verò omnibus scandali occasionem. Sinamus ergo hujus contentionis memoriam interire, quam omnes boni cuperent, ut nunquam exorta esset. Sed ex quo id fieri nequit, ne exorta sit, optent certè votis omnibus, ut pro singulari Sanctitatis vestræ charitate atque prudentiâ, quàm optimâ & saluberrimâ ratione componatur, salvo, si fieri possit, utriusque partis honore & existimatione. Sic enim res in integrum restituetur, ac si nulla lis, aut contentio exorta esset.

Hæc sunt, Pater Beatissime, quæ pro veritate atque communi Ecclesiæ utilitate, ad ea quæ Sanctitas vestra interrogare dignata est, respondenda esse judicavi. Quæ omnia humiliter subjicio saniori judicio & correctioni Sanctitatis vestræ, quam Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ Sanctæ incolumem servet.

F. Joannes Antonius Bovius, Ordinis Carmelitarum.

Tenor Bullæ talis vel similis esse poterit.

Idea Bullæ ab Antonio Bovio meditatæ, cæteris omnibus Consultoribus dissentientibus.

Inter ea multa & gravissima, in quæ debet ex injuncto sibi munere studium suum, & sollicitudinem omnem impendere Romanus Pontifex, quippe cui totius Dominici Gregis pascendi cura demandata sit, duo hæc sunt præcipua, ut in Christiano Populo veræ & catholicæ fidei unitatem, & concordem animorum in Dei obsequio charitatem, totis viribus studeat conservare. Quapropter cùm aliquot abhinc annis inter nonnullos Hispaniarum Theologos, hinc Ordinis Prædicatorum, inde Societatis Jesu, exortæ fuerint quædam disputationes & controversiæ circa materias de divinæ gratiæ donis, & humani arbitrii libertate, dum adversùs hæreticorum calumnias, inter hæc duo concordiam statuere quærentes, & eumdem finem intendentes (ita enim de piis & doctis viris libet existimare) doctrinæ sanæ catholicæ defensionem & declarationem, in rei tamen explicatione non eâdem incedunt viâ, sed diversis inter se modis utuntur: Nos, cum primùm Dei Optimi Maximi benignitate ad supremum Apostolatus apicem assumti fuimus, huc statim animum appulimus, ut ejusmodi contentiones ab Ecclesia Dei tolleremus, & præscriptâ veritatis regulâ, omnem erroris aut scandali occasionem submoveremus. Revocatis igitur, quas felicis recordationis prædecessor noster Clemens Octavus instituerat disputationibus, reque totâ diligentissimè examinatâ, atque discussâ, ne cuiquam in posterum liceat de Catholicorum dogmatum veritate dubitare, & ne vel ex ignorantia, vel ex contentionis ardore error aliquis subrepat, antiquorum Ecclesiæ Patrum, præcipuè Sanctorum Augustini, & Prosperi, Sacrorum Conciliorum Arausicani, Milevitani, & Tridentini, nec non sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum summorum Pontificum vestigiis inhærentes, propositiones infrascriptas collegimus, quibus quid ab omnibus fide tenendum sit, de divinæ gratiæ necessitate, & de humani arbitrii libertate præscribimus, videlicet.

D. Aug. de hær. C. 88. & Epi. 106. Innoc. ad Con. Milev. & Celest. Epist. ad Gallos.

1. Ita humana natura per peccatum vulnerata est, ut sine Dei gratiâ naturam sanante, non possit homo ipsam naturalem legem totam implere, neque omnia, quæ contra ipsam sunt, mortalia peccata vitare.

D. Aug. Epis. 106.

2. Eadem Dei per Jesum Christum gratia, ad singulos actus credendi, sperandi, diligendi, pœnitendi, aliosque quoscumque, quantumvis faciles, ut fiant secundùm Deum, & quales ad salutem oportet, simpliciter necessaria est, non verò solùm ut faciliùs fiant. *& 107 lib. ad Bonif. Cap 6 Conc. Trid. sess. 6. can. 3.*

3. Agnoscenda est & confitenda ab omnibus necessitas gratiæ & excitantis & adjuvantis, & cooperantis, & prævenientis, & consequentis. *D. Aug. passim.*

4. Primum nostræ justificationis exordium à præveniente Dei per Jesum Christum gratiâ sumendum est, quæ à Deo nobis merè gratis datur, & non ex ullis operibus non quia volumus, sed ut velimus: quæcumque verò eam præcedunt, nullius sunt valoris aut meriti ad Dei gratiam promerendam salutemque consequendam. *Conc. Trid. sess. 6. Cap. 5. & D. Aug. Epist. 106. & 107.*

5. Prævenientem* suam gratiam aliquibus dat Deus tantùm sufficientem, cum qua tamen verè & propriè possunt benè operari: ita ut si non operentur, perditio eorum ipsis tribuenda sit, nullatenus autem Deo. *1 D. Prosp lib. 2. de voc. gent. Cap. 26. & 31. & est communis Doct.*

6. Aliquibus verò * Deus dat non solùm posse bonum velle & facere, sed adjutorio suæ gratiæ quam efficacem appellamus facit, ut quod bonum est, certissimè & infallibiliter & velint & faciant. *2 D. Aug. de grat. & lib. arbi. Cap. 16. & alibi.*

7. Similiter* Justis omnibus dat adjutorium quo possint non peccare, ipsum bonum non deserere, usque in finem perseverare, si velint. Sanctis autem in regnum per gratiam Dei prædestinatis, datur tale adjutorium, ut per illud non nisi perseverantes sint, ut invictissimè quod bonum est velint; & hoc deserere invictissimè nolint. *3 D. Aug. de Correp. & gra. Cap. 12.*

8. Efficacem * gratiam sine ulla injustitia aut personarum acceptione dat Deus, cui vult ex solo suæ voluntatis beneplacito: ita ut quare alteri detur, alteri non detur, occultioris sit & inscrutabilis divini judicii, nullaque à nobis causa ex parte hominis assignari possit. *4 D. Aug. Epist. 101. & 107. de Pecc. mer. Cap. 18. de dono persev. Cap. 9.*

9. Per hanc gratiam (*a*) Deus non solùm ducit homines, sed trahit, facit de (*b*) nolentibus volentes, de repugnantibus consentientes, de oppugnantibus amantes, (*c*) operatur in illis & velle & operari, (*d*) eorumque voluntates immutat, & quo voluerit, quando voluerit inclinat. *(a) D. Aug. Cont. duas Epist. (b) Lib. 1. Cap. 14. & lib. 4. Cap. 3. (c) de dono persev. cap. 13. (d) de gratia & lib. arb. Cap. 20. de nat. & gra. Cap. 20. & de Corr. & gra. Cap. 4. (e) D. Aug. de dono pers. Cap. 14. (f) de correct. & gra. Cap. 7. (g) de pred. SS. Cap. 8. Epist. 107. (h) Epist. 107. (i) Lib. de grat. Chr. Cap. 6.*

10. Hæc gratia est (*e*) divinum illud Beneficium quo certissimè liberantur quicumque liberantur: (*f*) est vocatio secundùm (*g*) propositum, quam nullus vocatus respuit: (*h*) vocatio alta atque secreta, quâ sic agitur, ut legi, & doctrinæ accommodetur assensus: est (*i*) doctrina interna atque occulta, quâ

quâ non ſuadetur ſolùm quod bonum eſt, verùm & perſuadetur : quâ Deus non (a) oſtendit tantummodò Veritatem, verùm etiam impertit Charitatem, donans electis ſuis, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere : eſt (b) illuminatio atque inſpiratio quâ fit ut non modò appareat quod latebat, ſed & ſuave fiat quod non delectabat : (c) per quam Deus non ſolùm illuſtrat intellectum, oſtendens quid agendum ſit, ſed etiam bonum inſpirat (d) affectum : dans vires efficaciſſimas voluntati.

(a) *Ibid. Cap.* 13.

(b) *de Spi. & Littera Cap.* 35. *Lib.* 2. *ad Simp. q.* 2.

(c) *Epiſt.* 105. *de gr. chriſt. Cap.* 45.

(d) *de gra. & lib. arb. Cap.* 16.

11. Quod gratia (e) ſola operando incipit, eadem non ſola, ſed ſimul cum voluntate cooperando perficit : ad hoc enim præparatur voluntas à Deo, ut excitanti atque adjuvanti gratiæ aſſentiendo & cooperando liberè producat actus, quibus ad Juſtitiam coram Deo liberâ ſuâ voluntate ſe moveat atque diſponat.

(e) *de gra. & lib. arb. Cap.* 5. *&* 17. *Conc. Trid. Seſſ.* 6. *Cap.* 5. *&* 6.

12. Per Dei (f) efficacem gratiam non tollitur liberum voluntatis (g) arbitrium: ejuſmodi enim eſt, ut ſine ea habeat homo auxilium ſufficiens, cui ſi velit, poſſit (h) conſentire ; & eâ poſitâ relinquatur aſſentiendi & diſſentiendi facultas, poſſitque diſſentire, reſiſtere, eamque abjicere, ſi velit.

(f) *D. Aug. Ep.* 107.

(g) *D. Proſp. loco cit.*

(h) *Concil. Trid Seſſ.* 6. *Cap.* 5. *& Can.* 4.

Hæc eſto de gratia & libero arbitrio Fidei Regula : hæc ſunto Catholica dogmata : ita fidelis quisque credat : ita fidem ſuam profiteatur. Si quis verò contrarium quicquam dixerit, docuerit, ſcripſerit, anathema eſto. Profundiores autem, difficilioresque partes incurrentium quæſtionum, quas tuſiùs pertractant, qui hæreticis reſiſtunt, & Scholaſtici plerique, dum, pro ſuo more, de fidei myſteriis rationes quas poſſunt, inquirunt, & modos explicant, dummodò firma & integra maneat prædeſcriptarum veritatum ſubſtantia, ut beatiſſimi Prædeceſſoris noſtri Celeſtini verbis utamur, *Sicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere.* Ut tamen omnis contentionis & ſcandali occaſiones tollantur, & ſervetur ea quæ decet inter pios & doctos viros modeſtia & charitas, ſub pœna, &c..... prohibemus ne unius partis Doctores aliive quicumque legendo, ſcribendo, docendo, concionando, aliove quocumque modo loquendo, ſive tractando, alterius partis in materia de gratia & libero arbitrio opiniones quæcumque ſint, modò ſupra deſcriptis noſtris aut aliis Eccleſiæ definitionibus expreſſè non contradicant, hæreticas, erroneas, temerariasve appellare, aut alia quacumque majori cenſurâ quàm falſitatis, improbabilitatis, aut ſimili, cenſurare audeant. Immò, ne quod modò inter hos Doctores ſupradictis materiis de gratia & libero arbitrio contigit, id inter eoſdem vel alios quoſcumque ſuper aliis, aliquando contingat, & ne ſibi quiſque cum magno Chriſtianæ pacis & Charitatis detrimento arroget, de aliorum opinionibus cenſuram ferre, easque pro libito damnare, quæ res ad hanc ſanctam Sedem, aliosque Eccleſiaſticos Judices pertinet, quibus judicandi de rebus fidei, atque adeò etiam de ejus oppoſito auctoritas competit, id ipſum ſub eadem pœnâ prohibemus, de omnibus quorumcumque Catholicorum Authorum doctrinis, ne ſcilicet eas niſi jam per Eccleſiam, aut ſaltem generalem aliquam Inquiſitionem damnatæ fuerint, quiſque majori cenſura, quàm falſitatis, improbabilitatis, aut ſimili damnare præſumat. Si qui verò libri editi ſunt, in quibus aliquid contineatur, quod ſupra per nos definitis veritatibus repugnet, aut quoquo modo repugnare videatur, illos in hac alma Urbe per doctos Viros, per nos aut Sacram Indicis Congregationem deputandos, corrigi, aut prout opus fuerit declarari mandamus, non obſtantibus. &c.

Hujus tenoris, vel ſimilis, editâ bullâ, meo quidem judicio, poſſet cauſa iſta decentiſſimè terminari, ſine ullius ex partibus condemnatione, immò ſervatâ utriusque exiſtimatione : & ſufficienter provideretur præſenti neceſſitati, determinando quæcumque certa ſunt, & in poſterum contentiones præcavendo ; ut ſcilicet altera de altera cenſuram non ferat, modeſtiamque debitam ſervet, abſtinendo à verbis omnibus contumelioſis, aliove modo offenſivis. Neque tamen interim (licet partibus præcipiatur, ne cenſurent) altera ſententiarum, aut utraque approbatur, ut ſi Deo placuerit, majorem lucem Eccleſiæ ſuæ dare, & majorem conſenſum Doctoribus, ita ut aliquando una earum ab omnibus approbetur tamquam vera, & principiis fidei conſona, non ſit præcluſus aditus huic ſanctæ Sedi, quo minùs opportuniori tempore, quàm voluerit, tamquàm de fide certam definire poſſit.

Interim firmantur per propoſitiones poſitas, & ſtabiliuntur quæcumque hactenus certa ſunt in materiis inter has duas partes diſputatis.

Primâ propoſitione definitur, quid humana natura poſſit, circa naturale ſeu morale

rale bonum, vincendas tentationes. &c.

Secundâ continentur omnia, quæ diſputata ſunt de actibus credendi ſperandique, aliisque quibuscunque quoquo modo facientibus ad juſtificationem & ſalutem.

In tertia aſſeritur gratia ſecundùm omnes ſui diviſiones & partes.

In quartâ ſtatuitur Catholica veritas, de gratiâ præveniente, quòd ab ea juſtificationis exordium ſumendum ſit, & continentur quæcumque diſputata ſunt de faciente quod in ſe eſt.

In quintâ, ſextâ & ſeptimâ ponitur diviſio gratiæ in ſufficientem & efficacem; ſive ea detur ad juſtificationem aliumve quemlibet actum, ſive ad perſeverandum uſque in finem.

In octavâ affertur cauſa, cur uni, & non alteri detur gratia efficax, ſola divina voluntas.

In nonâ, ejuſdem effectus præcipuè per verba, & phraſes divi Auguſtini afferuntur.

In decimâ, ejus natura explicatur, per deſcriptiones ex eodem divo Auguſtino deſumtas.

In undecimâ, aſſeritur humanæ voluntatis cooperatio,

In duodecimâ, ſtatuitur, non obſtante efficaci gratiâ, libertas arbitrii noſtri.

Demum quidquid potuit definiri, non tangendo ipſum punctum gratiæ congruæ & prædeterminationis phyſicæ, hîc definitum eſt, ut arbitror. Si quis aliud aliquid requirit, exponatur: & quæcumque definita ſunt, certiſſima ſunt ex Conciliis & Patribus in margine adductis.

DE JURAMENTO

QUO

ACADEMIA SALMANTICENSIS

S. Auguſtini Doctrinæ & S. Thomæ Concluſionibus docendis ſe addixit.

NEC NON DE EJUSDEM JURAMENTI

APOLOGIA

EXCERPTUM

Ex quibusdam MSS. Doctrinæ Auguſtinianæ Vindiciis.

HÆc erant exterorum, hæc domeſticorum adversùs Molinæ novitates conſilia; nec illi tamen à propoſito dimoveri potuerunt, qui illud tenaciùs aſſumpſerant. Sed cùm viderent, ſe in validiſſimam Turrim Doctrinæ Auguſtinianæ, tot Pontificum, Conciliorum & SS. Patrum teſtimoniis munitam, ſicut Turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, in caſſum arietare; aſtum militarem imitati, ſtatuerunt ſuffoſſis cuniculis fundamenta illius evertere & autoritatem convellere. Hinc tentarunt approbationes & teſtimonia, quibus illa vallatur, infringere & detererre: nævos erroresque doctrinæ affingere, variis in perſonam & ejus dogmatum capita congeſtis calumniis, nomen & exiſtimationem in contemtum adducere: ut ſic peſſumdatâ autoritate & reverentiâ, deteſtationem quoque ejus quem impetebant, obtinerent, & doctrinam orthodoxam atque utiliſſimam ob perſonæ invidiam vilifacere prævalerent, curamque exterriti lectoris ab his quæ infamaſſent, averterent. *S. Proſper in præf. ad Cap. Gall. Item Hincm. Archiep. Rhemen. tomo 2. opuſc. ad Hinc. Laud Cap. 28.*

Conſpirationem iſtam, in Eccleſiæ & fidei Catholicæ exitium vergentem, inter primas detexit celeberrima totius Monarchiæ Hiſpaniæ Academia Salmanticenſis, doctrinæ Auguſtinianæ plurimùm ſtudioſa. Si quidem perſentiſcebat, S. Auguſtinum indies magis magisque vileſcere & *A. 1627.*

& non tantùm Auguſtinum, ſed unà quoque individuum ipſius ſectatorem D. Thomam Aquinatem, qui *B. Auguſtini veſtigia inſequens Eccleſiam doctrinis & ſcientiis quàm plurimis adornavit*, audiebat in ſcholis ſuis tyrunculos, Præceptorum ſuorum exemplo, ad allegatam Doctorum iſtorum autoritatem, contemtim reponere, *Tranſeat Auguſtinus, Tranſeat D. Thomas*, & vilipendium illud paulatim ita crebreſcere, ut brevì præclara iſta Eccleſiæ Lumina modernorum lychnis accenſerentur.

Bulla Urbani V.

Itaque pro innato ſibi zelo in tuenda fidei & doctrinæ, præſertim Auguſtinianæ puritate, gliſcenti ſenſim veneno antidotum efficax adferre ſtatuit.

Negotium primò diſcutiendum committitur congregationi octodecim virorum è primoribus Academiæ, ſcientiâ & rerum uſu præſtantiſſimis, tam Theologis quàm Jurisperitis. Proponitur imminens malum, & erumpens in SS. Patres inſolentia. Agitur de remedio opportuno, idque, ut rei momentum exigebat, per plures dies. Atque interea, ne quid leviùs in re tantâ ſtatuatur aut humani aliquid irrepat, adhibentur à Religioſis Familiis ad Deum preces, ſacrificia, jejunia & carnis macerationes: ac tandem illud unicum & præſentiſſimum remedium occurrit, ut Profeſſores omnes & Cathedrarum moderatores Juramento aſtringantur doctrinæ S. Auguſtini & S. Thomæ.

Propoſitum defertur ad Concilium Academicum, ventilatur, perpenditur preſſiuſque diſcutitur; ac demum depoſitâ omni humanâ formidine, quâ nonnulli adhuc tenebantur, ob injectas ab adverſariis graves minas, unanimi conſenſu conclamatum eſt, Juramentum illud omninò eſſe præſtandum, & religioſè obſervandum, authoritatemque & doctrinam Sanctorum Auguſtini & Thomæ tanquam pro aris & focis eſſe defendendam.

Quodque notatu dignum, & ante illud in iſta Univerſitate numquam viſum fuerat, quando publicè ſuffragia proferebantur, inter ſexaginta ut minus, vix unum aut alterum à communi ſententia diſcrepavit: & dum pro majori ſuffragantium libertate ſecreto ſcrutinio collecta fuere, nullum prorſus diſſenſit. Ut non immeritò ſapientiſſima illa Univerſitas, unanimem iſtum conſenſum in tanta ſuffragantium pluralitate, opinionum diverſitate, & partium ac Ordinum varietate, ſpeciali Divini Numinis inſpirationi & directioni adſcribat.

Juramentum autem his verbis exprimebatur: *Juro in quotidianis lectionibus quas in Academia vel Cathedræ moderator, vel voluntarius Profeſſor legero, me docturum atque lecturum in Theologia Scholaſtica Doctrinam Sancti Auguſtini, & Concluſiones D. Thomæ, quas in Summa Theologiæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit; ubi verò anceps & dubia, nihil docturum neque lecturum quod eorum doctrinæ adverſari ſenſerim; ſed quod vel juxta meum ſenſum, vel eorum qui diſcipuli Sanctorum Auguſtini, & Thomæ communiter cenſentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme judicaverim. Excipio opinionem de Immaculata Virginis Conceptione; & eâquæ Jure Eccleſiaſtico immutata ſunt, vel poſtea immutabuntur, & quæ cum olim controverſa eſſent, jam Conſtitutionibus Apoſtolicis definita ſunt. Et ſi quando Cathedram Scoti vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantùm tempore probabiles eorum Doctorum opiniones ſequi abſque perjurii crimine.*

Sed cum adverſarii ferre non poſſent hoc decreto ſe ſuasque novitias opiniones Auguſtino & Thomæ contrarias ab Academia iſta proſcribi; omnem lapidem moverunt, ut illud enervarent & odioſum redderent, pulſatis etiam Regis auribus, & ſuſcitatis Aulæ primoribus, ut aboliretur omninò, vel ſaltem autoritate regia minimè confirmaretur.

Ut idcirco Univerſitas coacta fuerit Statuti ſui præfatique Juramenti æquitatem probare doctiſſimâ Apologiâ; quâ & adverſariorum argumenta calumniasque ſolidè refellit, & Sanctorum Patrum Auguſtini, ac Thomæ, totiusque antiquitatis autoritatem ſtrenuè propugnat.

Huic cauſæ nomen ſuum quoque adſcripſerunt Religioſæ familiæ Auguſtiniana & Dominicana, pro Magiſtrorum ſuorum defenſione; & communi manu dictam Apologiam ſupremo Senatui Caſtellæ porrexerunt ad obtinendam iſtius Juramenti confirmationem.

Hoc uſi prologo.

UNIVERSITAS SALMANTINA, comitata ſacris Ordinibus Dominicano & Auguſtiniano advoluta genibus ſupremi Senatus, Statuti cauſâ quo ab eadem Univerſitate decretum eſt, ut omnes Profeſſores Juramento aſtringantur, quòd in prælectionibus ſuis ordinariis Theologiæ Scholaſticæ tradent

tradent doctrinam Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ: rogat humillimè, dignetur proposito tam pio, æquo & ad Dei servitium, Ecclesiæ bonum, Sanctorum Patrum existimationem, utilitatem fidelium, rectam juventutis eruditionem, horum denique Regnorum pacem & tranquillitatem usque adeò necessario, benignè favere, illud autoritate suâ approbando & confirmando: quo illi saltem qui succedent iis qui istiusmodi Juramentum ex nunc præstiterunt, muniantur adversùs omnia quæ tam publicè quàm occultè adeò laudabili & sancto Juramento opponi possent &c.

Verùm cum in subsequentibus exactè deducant rationes condendi istiusmodi decreti, aliaque referant in rem nostram facientia; tantisper adhuc pace tuâ hîc digrediar, Philo-Augustine, & præcipua excerpam, ne videar vel cuiquam imponere, vel apologum agere.

Postquam articuli primi § jo. speciem facti fideliter retulissent, ipsiusque Juramenti tenorem, eo modo quo à nobis superiùs expressum est, & § 2. multis argumentis probassent ad perfectam eruditionem, plurimùm conferre ut in qualibet scientia, maximè autem Theologica probus & determinatus aliquis Autor & Magister discipulis proponatur, subnectunt:

EXCERPTUM EX APOLOGIA JURAMENTI.

Quæ cum ita sint, quis prudens & æquus Judex alios statuet in Theologica Scholastica principes Authores, præter Sanctum Augustinum & D. Thomam? Et si quisque probet Philosophis Aristotelem, Medicis Hyppocratem & Galenum; Mathematicis Ptolemeum & Eucliden Magistros præfigi; quis ægrè feret Universitatem è Theologis Scholasticis sibi in Magistros elegisse D. Augustinum & D. Thomam? vel quis adeò obtusæ mentis est, ut in Theologia Scholastica deneget D. Augustino & D. Thomæ eam autoritatem, quam in Philosophia Aristoteli, & in medicina Hyppocrati aut Galeno tribuere non veretur.

Quis enim dubitat, quin si infelici hoc seculo in Theologia Scholastica determinati aliqui authores, cujusmodi sunt SS. Augustinus & Thomas, præscripti, & medio etiam Juramento religiosè servati fuissent, Ecclesia non foret tantis tamque gravibus contentionibus, per ipsosmet quoque Catholicos exagitata? Ea Theologiæ pars quæ Scholastica dicitur, est veluti quoddam stratagema bellicum, à Sanctis Patribus & vetustis Scriptoribus excogitatum, scriptisque suis ad posteros transmissum, quo adversùs infideles uterentur: & quamquam regulis dialecticis, quæ tunc temporis suspectæ erant, non omninò se adstrinxerint; non idcirco est quòd earum utilitatem ignorarent, sed quia Philosophis argutiæ sophisticæ nimium essent familiares: quibus nihilominus Catholici eos postmodum etiam exarmarunt, subsidio dialectices, quâ consequentias ipsorum malè fundatas, infringebant, & comprobabant errores ipsos solo vento inniti.

Præclarorum horum facinorum Princeps fuit & antesignanus, magnus ille Augustinus, Theologorum Scholasticorum præcipuus; quippe qui in refutandis strenuissimè erroribus parem non habuit. Mysteriorum omnium sublimissimum declaravit in Operibus de Trinitate, de gratia & libero arbitrio, ex quibus Concilia suos quoque Canones adversùs Hæreticos depromserunt; uti patet ex Arausicano, Milevitano, & deinde Tridentino. De Creatione mundi & de Opere sex dierum tractat contra Manicheos; contra errores gentilium, in libris de Civitate Dei: de visione Dei & de Incarnatione, in Tractatibus super Joannem. Modum interpretandi S. Scripturas, tradit in libris de doctrinâ Christianâ. Artes verò liberales, in libris de Logicâ & Musicâ. Et prout communiter sentiunt Theologi: Illud deest Legi, quod ignoravit Augustinus. Denique non est ulla materia in tota Theologia Scholastica, cui non correspondeat aliquid in Operibus S. Augustini; & in illa nullus ipsi est par. Quod si verò quis majorem inveniat, justè poterit accusare electionem quam fecit Universitas.

Assertioni nostræ favet testimonium Ecclesiæ Romanæ, quæ in Officio ejusdem S. Doctoris lectione 6. hæc affirmat.

Tam multa piè, subtiliter, & copiosè scripsit, ut Christianam doctrinam maximè illustrarit; quem in primis secuti sunt, qui postea Theologicam disciplinam viâ & ratione tradiderunt. Immeritò igitur improbari poterit Decretum Universitatis, quo in Magistrum Theologiæ Scholasticæ assumpsit illum ipsum, quem illius Principem Ecclesia appellat.

Securitatem & soliditatem doctrinæ ipsius testantur passim Pontifices; paucos solummodò hîc proferemus, ut prolixitati parcamus.

Cœlestinus Papa in Epistola Decretali, quã scripsit ad Episcopos Galliæ, qui doctrinæ S. Augustini obloquebantur, hæc asserit:

„ Auguſtinum Sanctæ recordationis Vi-
„ rum, pro vitâ ſuâ & meritis, in noſtrâ
„ Communione ſemper habuimus; neque un-
„ quam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem ru-
„ mor aſperſit; quem tantæ ſcientiæ olim fui-
„ ſſe meminimus, ut inter Magiſtros opti-
„ mos etiam à meis Prædeceſſoribus habe-
„ retur. Benè ergò de eo omnes in com-
„ mune ſenſerunt utpote qui ubique cun-
„ ctis & amori fuerit & honori. Unde re-
„ ſiſtendum talibus quos malè creſcere
„ videmus. Elogium hoc mirè extollit Sanctus Proſper, ut infra dicemus. Joannes Papa II. in Epiſtolâ ad quoſdam Senatores Romanos, ſic ſcribit. Sanctus
" Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundùm
" Prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana
" ſequitur & ſervat Eccleſia. Hujuſmodi plures alii Pontifices & Sancti Patres in medium produci poſſent, qui eodem modo, pari veneratione & laude doctrinam Sancti Auguſtini deprædicant, ejuſdemque firmitati ſubſcribunt. Ex quibus manifeſtè colligitur, Univerſitatem hanc, dùm Sanctiſſimum iſtum Doctorem elegit, & Theologiæ Scholaſticæ Magiſtrum Jurejurando ſtatuit, à Judicio Sanctorum Patrum, Pontificum, immò univerſalis Eccleſiæ neutiquam receſſiſſe: atque idcircò factum ipſius criminari non poſſe, niſi ab iis qui tantæ autoritatis robur contemnunt.

Quod ad Angelicum Doctorem S. Thomam attinet, nemo quoque eſt qui dubitet, quin jure meritoque in Magiſtrum aſſumptus ſit. In hujus autem aſſerti probationem hoc unum ſufficiet, quòd tantus fuerit & tam fidelis diſcipulus S. Auguſtini, ut meritò alter Auguſtinus nuncupari poſſit, juxta teſtimonium Urbani V. in Bullâ ſuâ ad Academiam Toloſanam, ubi ait: „ Attendentes quantâ à Deo ſcientiâ dotatus Ordi-
„ nem FF. Prædicatorum & univerſalem
„ Eccleſiam illuſtraverit, ac B. Auguſtini
„ veſtigia inſequens, Eccleſiam eandem
„ doctrinis & ſcientiis quàm plurimis ador-
„ naverit. *Hucuſque Apologia.*

Multis deindè ac præclaris teſtimoniis Pontificum, Conciliorum, aliorumque Scriptorum copioſè adductis, comprobant doctrinæ Angelici Doctoris authoritatem. Et tandem §4. cauſas allegant, quæ Univerſitatem moverunt ad hujuſmodi Juramentum decernendum his verbis.

APOLOGIA. Homines in fide ſuſpecti, qualis Eraſmus, immò & jam hæretici, ut Joannes Druſius, dùm ipſis objiceretur, quòd SS. Patres atque inter eos Sanctum Auguſtinum, vilipenderent, quaſi verò humanâ fragilitate in errorem lapſus eſſet, maximoperè conati ſunt notam illam à ſe repellere; adeò probroſam cenſebant. Quòd ſi ita ſit, cui unquam Catholico in mentem venirent ea quæ hodie experimur; Divos Auguſtinum & Thomam flocci fieri, eorumque dogmata novitiis opinionibus poſtponi, quis crederet? Nitebantur quidem earum Autores primùm ſpecioſo aliquo colore illas adumbrare, aſſerentes in ſenſu ab ipſis excogitato intelligendos eſſe ſanctos Patres, & nominatim Sanctum Thomam, in quem tot calami acuebantur; ſed cùm nihilominùs mens D. Thomæ in illis non eluceret, ſtatuerunt aperto marte ipſum aggredi; uſque adeò ut etiam in ſcholis & conſeſſibus publicis, autoritas ipſius (quam tamen Concilia plurimi ſemper fecerunt) non ſine gravi ſcandalo, ludibrio quaſi haberetur. Quilibet tyrunculus non erubeſcebat palàm reponere ad allegatam autoritatem iſtorum Patrum: *Tranſeat Auguſtinus, Tranſeat D. Thomas*; quia illud ipſum audiebant Magiſtros ſuos dictitantes.

Et in tantum excrevit inſolens iſta diſſenſio, ut editus quoque fuerit libellus (cujus Autor etiam ſuppreſſo nomine, ſatis innotuit) inſcriptus: *Judicibus veritatis* (contemtum videlicet Sanctorum Patrum veritatem indigitabat) qui ſi benè inſpiciatur, non niſi farraginem continet convitiorum & injuriarum in Angelicum Doctorem; cujus excellentias & miracula non veretur rejicere & negare.

Unicus verò ipſius ſcopus eſt doctrinam Sanctorum Patrum ſugillando, eorundem quoque autoritatem deterere: atque ut unicuique ſit major opinandi libertas. Vult citra diſcrimen Scriptores quoſlibet eodem ordine & loco eſſe cenſendos: quod profectò ita periculoſum eſt, ut illo dato, vix quidquam certum aut ſtabile in fide noſtra eſſe poſſit.

E ſuggeſtis ac cathedris audaci temeritate in Angelicum iſtum Doctorem inſurgebatur. In ipſis proſceniis, doctrina ejus exhibebatur ſub perſonâ lucifugæ ac deficientis; adeò ut illi ipſi qui eam ſanam & veram eſſe judicabant, eamdem nihilominùs detrectarent ſuſtinere.

Stante itaque, vel creſcente potiùs procaci iſtâ audaciâ, pio zelo ſuccenſa hæc Academia, arma arripuit, ſignaque explicuit in Sanctorum Patrum iſtorum defenſionem; parata quælibet etiam, ipſorum causâ pati, ſolâ ſpe præmii quod

apud

apud æternum Judicem illos manet, qui Doctorum Ecclesiæ existimationem & doctrinam fideliter sectantur ac strenuè propugnant.

Ponderabat deinde attentiùs, quanti referret horum Sanctorum Patrum autoritatem sartam tectam tueri, ac tunc vel maximè, dum tantâ licentiâ & despectu Sanctos Ecclesiæ Doctores, recenter editis libris, & vivâ voce, nonnulli insultant, & persuadere nituntur, sublimia hujus ævi ingenia non esse placitis veterum Patrum adstringenda, sed cuique liberum esse debere, pro sententiâ suâ opinari.

Quo circa cupiens hæc Universitas tantis malis occurrere, certa se reliquis Ecclesiæ Doctoribus consentire, quamdiu Sanctorum Augustini & Thomæ, qui aliorum compendia quodammodo sunt & organa, sententiis adhæreret: agnovit nomini & debito suo minimè fieri satis, si tantummodo, ut vulgus solet, Catholica dogmata tueretur; sed potiùs muneris sui esse, ea pro viribus ita stabilire, ut ne vel minima defectionis aut levitatis suspicio in doctrinam suam cadere posset: quod se obtenturum minimè dubitabat, ubi veterum vestigiis, quæ hactenus tutissima habita sunt, insisteret & non solùm Evangelica præscripta, verùm etiam Sanctorum Patrum dogmata, ab Apostolis accepta, & per ipsos ad nos transmissa, studiosè sectaretur & traderet. Consideravit insuper Christum Dominum, qui præ ceteris virtutibus humilitatem assiduè inculcavit, Ecclesiæ suæ gubernacula, non tumidis ac licentiosis, sed humilibus & candidis geniis commisisse.

Solertes quoque belli Duces, dum arcem aliquam à potenti hostium insultu defendendam suscipiunt, in id præcipuè incumbunt, ut inimicus ab ea procul arceatur: in quem finem munitionibus & propugnaculis locum ipsum & vicina fortiter cingunt, utpote non ignari, se brevì superandos esse, ubi semel hostile robur ad ipsa mœnia fuerit admotum.

Arx cujus defensioni invigilant & allaborant Universitates, est fides orthodoxa: hujus propugnacula, valla & munitiones, sunt SS. Patres; quibus eversis ac superatis, arx ipsa profectò periclitatur; adeóque studendum summopere est ut illis debitè prospiciatur.

Quo magis itaque hæretici moliuntur doctrinam & autoritatem Sanctorum Patrum labefactare, sub prætextu, quòd ut homines potuerint errare, eò generosiùs & majori solicitudine tenentur Universitates illas propugnare. Primus enim fundamentalis lapis cujusvis erroris, est, ipsos Veritatis Patronos, Sanctos Patres nimirum, impugnare & contemnere. Concilia Oecumenica respuere; manifesta est hæresis; doctrinam autem Sanctorum Patrum vilipendere, vel eorum autoritatem convellere, propriis ingenii viribus innitendo, pernicioſa est arrogantia, è quâ graviora dein mala nata sunt pullulare. Hunc vel illum errorem alicujus Sancti Patris perperam in exemplum adducere, non confirmandæ veritati, sed prætexendæ potiùs impudenti opinandi libertati, in contemtum Sanctorum Patrum; quorum dogmata quamvis sint ab hominibus prolata, summâ tamen cum veneratione accipienda sunt & spectanda.

Hinc cœpit Calvinus venenum suum spargere, teste Magistro Cano de locis Theol. Lib. 7. Cap. 3., Dum ut apud Regem Galliæ Franciscum, impudentiam Lutheranorum excusaret, Catholicorum innocentiam traduxit, & Sanctorum Patrum doctrinam contemsit, sub prætextu quòd Sancti illi Viri multa ignorarint: quod hodie Divis Augustino & Thomæ etiam objici audimus.

Sed pressiùs hæc discutiamus; & constabit incredibile esse, quòd Supremus Senatus jure dubitare possit de concedenda petita confirmatione. Exploratum namque est, necessariam omninò esse in Ecclesiâ Catholicâ doctrinæ uniformitatem; prout infra patebit. Nec est qui dubitet, quin doctrina S. Augustini & S. Thomæ in Theologiâ Scholasticâ, sit omnium maximè comprobata & tuta; istique SS. Patres eâ in parte, inter cæteros Doctores sint facilè Principes, quòd in superiori §. demonstratum est. Insuper compertum est, quòd Senatus hoc unum pro munere suo in votis habebit, ut Juventus probis & securis institutis eruditur; nec tanta sit opinionum diversitas & licentia, unde tot nascuntur contentiones; utque Autoritas & existimatio Sanctorum Augustini & Thomæ illæsa intactaque servetur, immò verò crescat & firmetur apud fideles doctrinæ ipsorum cultus & amor. Nefas quippe esset ambigere, quin illud semper Senatus summis studiis optabit, ut istorum Patrum dogmata animis fidelium imprimantur; validiúsque patrocinabitur, honori & nomini istorum Doctorum, quàm novi-

tiis modernorum ſectis, quæ quot habent capita, tot ſententias. Illud denique certum eſt, exiſtimationem iſtorum Patrum hîc in terris magnâ ex parte modo pendere à determinatione Concilii: eo ipſo enim quo petitam confirmationem negabit, vires addet libertati, hoc ævo primùm exſurgenti, quâ doctrina ipſorum adeò vilipenditur; & robur modernis novitatibus, quæ potiùs toto niſu compeſci deberent.

Plurimùm haud dubiè valet exemplum Principis; faciléque in ſententias ſuas populum trahit. Quo circa, ſi Senatus ſtet à parte Sanctorum Auguſtini & Thomæ, illico in eandem univerſa hæc Regna accurrent. Immò illimet qui hodie ipſis contradicunt, depoſitâ omni animoſitate, manus dabunt, primique volent doctrinam ipſorum ſectari & illuſtrare: ſolet enim magno applauſu eò ferri populus, quò Regis animus inclinatur. Patuit illud imperante Aſſuero; ſiquidem vix favit Religioni Judaicæ, & amoto Aman, Mardochæum aſſumſit ad miniſterium Regni, cum ſtatim plurimi Gentilium ad eandem Religionem & ceremonias tranſierunt: tanti refert Autoritas Regia confirmandæ Religioni: *In tantum, ut* ait ſacer textus, ut *plures alterius gentis & ſecta eorum Religioni & Ceremoniis jungerentur: grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaſerat.*

Quod ſi in hoc rerum ſtatu, Concilium Regium per ſententiam declaret iniquum eſſe, & revocandum Statutum & Juramentum quod Univerſitas tam inſignis & celebris decrevit præſtandum in defenſionem Sanctorum Auguſtini & Thomæ; quis dubitet quin multò audacior fieret hodierna licentia contemnendi iſtos Sanctos Patres, plurimumque Autoritati ipſorum in his Regnis decideret; & è contrario effrenatæ recentiorum Theologorum opinandi libertati multum ponderis adderetur? Quid enim ſibi perſuaderent indocti & plerique rudiores, ſi reprobato Statuto ſequendi abſque oppoſitione Sanctos Auguſtinum & Thomam, approbaretur libertas pro cujuſque cerebri captu ſentiendi in Theologia Scholaſtica, niſi potiora eſſe Neothericorum commenta, doctrinâ iſtorum Patrum, quæ originem ſuam ducit ab ipſo Evangelio?

Quæ res profectò magni momenti eſſet in Rep. Chriſtiana, multumque deploranda, cum in Sancto Paciano Ep. 1. ad Sempronium: *Et noſtram potiùs autoritatem Patres ſequentur? & emendanda Sanctorum cedet antiquitas? & jam putreſcentia vitiis tempora, canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent?* ut proinde jure merito pro Sanctis Auguſtino & Thoma credendum ſit quod ſimile quid neutiquam in animum tam catholici & ſacri Senatus cadet, vel aliàs quis non defleret horum temporum infelicitatem, ubi videret venerandam antiquitatis canitiem evelli, & duo hæc præclariſſima Eccleſiæ lumina extingui, injuriam autem & contemtum ipſorum confirmari.

Siquidem non erubuit recentior aliquis doctrinam S. Auguſtini de peccato originali, cui maximopere inſudavit, à ſe malè intellectam, his verbis ſugillare. *Verùm opinio Auguſtini hoc modo intellecta Theologis Scholaſticis non probatur; & meritò, ex eâ enim cogimur incidere in ſententiam Pelagii,* cum tamen ſententia Auguſtini, quoad rationem formalem peccati originalis, certa ſit & veriſſima. Immò ille ipſe Auctor, poſtquam plures alios retulit, qui doctrinam iſtius Sancti Patris rectè & cum magno in ſcriptis ipſius fundamento intellexerunt; illos nihilominus reſpuit; ſtudetque, quod aliàs frequenter in ſuis operibus, errores falsò imputare. Ille nimirùm, qui multos paragraphos & numeros interdum impendit, ut placita quorumdam Scholaſticorum parvi nominis aſtruat, & de illis quodammodo fidejubeat, immò etiam quorundam hæreticorum errores defendat; prout manifeſtè conſtat ex ipſius operibus, ubi Amoneos Hæreticos excuſat: dum interim rigidum Cenſorem agit Sanctorum Patrum, & quidem in materia quam Angelicus Doctor, & cum ipſo quotquot Catholici Scriptores eam tractarunt, in vero & proprio ſenſu veterum Patrum explicarunt. *Vaſques* 1. 2. *Diſp.* 123. *C.* 3.

Similiter in materia de prædeſtinatione, Gratia & lib. arb. cui elucidandæ, Sanctus Auguſtinus omnes ingenii ſui nervos intendit, calamumque ſuum quàm potuit ſubtiliſſimè acuit: & in quâ Eccleſia Catholica tanti illum facit & veneratur, ut Sacroſancta Concilia decreta ſua verbis ipſius formaverint, uti ex illis ipſis dilucidè conſtat; & ex Epiſtola Hormiſdæ Papæ ad Poſſeſſorem: quidam Neothericus auſus fuit aſſerere, quòd dum Sanctus Auguſtinus tenebris obvolutus in prædicta materia non percepit, quæ ipſe poſtmodum penetravit, multi fideles diſputationibus ipſius & ſententiis fuerint turbati, à fide defecerint, atque ad partes Pelagianorum tranſierint. *Molina.*

Sed operæ pretium eſt ipſiusmet verba

ba referre. *Interim verò*, inquit, *dum ſub ea quaſi caligine D. Auguſtinus ad hoc non attendit. &c. Quæ ſi ſemper data explanataque fuiſſent, forte neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque ex Auguſtini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot Fideles fuiſſent turbati, atque ad Pelagianos defeciſſent.* Parcimus hîc iſtorum Scriptorum nominibus; quæ dum Concilio libuerit, proferri poterunt. Omittuntur etiam, brevitatis cauſâ, plures aliæ hujusmodi Cenſuræ, quibus recentiores aliqui cum parvâ admodùm veneratione de Sanctis Patribus loquuntur.

Quid autem in his temporum circumſtantiis, quibus præſtantiſſimi illi Eccleſiæ Doctores, Sancti Auguſtinus & Thomas, tam vili habentur, de jure & debito agendum ſit, præſcripſit olim Sanctus Proſper fideliſſimus D. Auguſtini diſcipulus, in principio libri contra Collatorem. Indignabatur enim juſto zelo in quoſdam Galliæ Epiſcopos, qui tunc temporis doctrinam ipſius de prædeſtinatione & Gratiâ impugnabant, illumque his verbis expreſſit. *Gratiam Dei, quâ Chriſtiani ſumus, quidam dicere audent à ſanctæ memoriæ Auguſtino Epiſcopo non rectè eſſe defenſam, libroſque ejus contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quieſcunt. Quorum intus interſtrepens domeſtica malignitas, non minùs ſpernenda eſſet, quàm foris latrans hæretica loquacitas, niſi ejectis extra ovile dominicum lupis, ſub nomine ovium ſuffragarentur; eſſentque hujuſmodi, ut nec Ordo eorum in Eccleſia, nec ingenia deſpicienda videantur: ſi quidem habentes ſpeciem pietatis in ſtudio, cujus virtutem diffitentur in ſenſu, trahunt ad ſe multos ineruditos, & non habentia Spiritum diſcretionis corda conturbant atque in eum ſtatum deducere cauſam Eccleſiæ moliuntur, ut dum noſtros affirmant non veraciter pro Gratiâ locutos, inimicos Gratiæ perſuadeant injuſtè damnatos eſſe. Non ergo negligendum eſt hoc malum, quòd ab occultis praviſque ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo latiùs longiúſque diſtenditur: ſed ſtudendum eſt, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium Calumniatorum hypocriſis detegatur; qui ex ipſa injuriæ magnitudine, quam in uno* (Sancto Auguſtino) *cunctis ac præcipuè Sedis Apoſtolicæ Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parùm cautis excellentioris ſcientiæ judicantur; & miſero perverſoque ſucceſſu facilem mendacio conſenſum elicuunt, quia Reverentiam ſibi præſumtione pepererunt.*

Verba iſta merito ſunt ponderanda, conferendo caſum de quo loquitur Sanctus Proſper, cum præſenti; ſervatâ proportione & rerum circumſtantiis: & attendendo quòd non agatur hîc de proventibus aut opibus temporalibus, ſed de honore & obſervantiâ debitâ Sanctis Auguſtino & Thomæ, eorumque doctrinæ. Expendamus itaque conſequentiam quam deducit Sanctus Proſper, *qui ex ipſâ injuriæ magnitudine*, inquit, *quam in uno* (id eſt Auguſtino) *cunctis ac præcipuè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parum cautis, excellentioris ſcientiæ judicantur.* Quis enim dubitat, quin ſi modò rejiceretur & improbaretur Statutum illud Univerſitatis, unuſquiſque judicaret victoriam tribui adverſariis iſtorum SS. Patrum; eorumque dogmata poſthac potiùs eſſent deſpectui quàm venerationi.

Conſiderandum quoque eſt, quòd illi de quibus agebat tum temporis Sanctus Proſper non eſſent hæretici, ſed Catholici, & hujuſmodi quidem qui ſcientiâ ſuâ & eruditione magnam ſibi reverentiam & autoritatem pepererant, uti loquitur idem Sanctus; & nihilominus cenſebat ipſos non poſſe contraire doctrinæ Sancti Auguſtini, ſine manifeſtâ injuriâ & detrimento totius Eccleſiæ Catholicæ.

Facti ſui exemplum habuit Academia ex Epiſtola decretali Cœleſtini Pontificis, ad quem uno anno circiter poſt obitum S. Auguſtini, qui juxta Baronium contigit anno 431. recurrerunt ſanctus Proſper & Hilarius, ut ipſe authoritate ſua Apoſtolica compeſceret multorum Catholicorum audaciam, qui ex tunc incipiebant adversùs doctrinam S. Auguſtini inſolenter inſurgere, ſtatimque Pontifex litteras deſuper expedivit, in quibus præter alia hæc habentur, quæ Statutum Univerſitatis, & zelum quem pro debito ſuo hâc in re oſtendit, multum confirmant. *Quid illic ſpei eſt, ubi Magiſtris tacentibus hi loquuntur, qui, ſi ita eſt, diſcipuli non fuerunt? Timeo ne connivere ſit hoc tacere: timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas; quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi cum ſilentio faveamus errori.* Quinam potiùs & rectiùs, poſt Sedem Apoſtolicam, niſi Univerſitatibus competit hujuſmodi inſolentias in ſtudiis ſuis & Scholis reprimere, deſignando diſcipulis probatos Magiſtros quos ſectentur? Et ſi in eo deficeret, patereturque quotidie in

conſeſſibus ſuis publicis, ut licentioſa nimis Juventus debitam Sanctis Patribus venerationem exueret ; quiſque ſanus meritò judicaret , Univerſitatem tam enormis delicti & audaciæ eſſe complicem , quandoquidem & videret illa & diſſimularet.

Proſequitur Cœleſtinus : *Ergo corripiantur huiuſmodi , non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem.* Quæ verba profectò ſunt notatu digna , ut non tam facilè permittatur doctrinarum & opinionum libertas , contra iſtos Sanctos Patres. Et mox ſubjungit: *Deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare. Conantur ſæpè naufragio mergere , quos intra portum ſtantes ſtatio facit fida ſecuros. Fida quippe eſt omnium ſtatio , quorum perfectis greſſibus veſtigia non movenur.* Hic unicus ſcopus eſt quo collimavit Univerſitas , dum iſtud Juramentum decrevit , comprimere ſcilicet, quantum in ipſa erat, iſtam Reip: inquietudinem & illibatam ſervare autoritatem, reverentiamque debitam doctrinæ Sanctorum Auguſtini & Thomæ.

Sententiam iſtam Cœleſtini Papæ multum exaggerat Sanctus Proſper loco ſupra citato his verbis: *Sancto manifeſtavit eloquio* (Cœleſtinus nempe) *quantum ſibi iſtius præſumtionis novitas diſpliceret, qua auderent quidam adversùs antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere & indiſciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obſtrepere.* Quæ ſi ita ſint , eo ipſo quoque comprobatur factum Univerſitatis , in his ſaltem rerum circumſtantiis ; colligiturque illud fuiſſe omninò neceſſarium , præſertim dum jam recentiores & novelli audebant in venerandam Sanctorum Auguſtini & Thomæ canitiem inſurgere: & inſiſtens veſtigiis decretiſque Pontificum , voluit ſecuritati ſuæ conſulere , adſtringendo ſe doctrinis iſtorum Patrum; ipſosque agnoſcendo inter præcipuos Eccleſiæ Magiſtros. Illud ipſum quod hiſce temporibus experimur, expreſſit Cœleſtinus ; & mandat ut coerceantur ac corripiantur illi qui doctrinam Sancti Auguſtini nolunt admittere. Diſpiciatur ſtaque utrum magis expediet Statutum illud, quo Academia ſe ſubjecit & alligavit doctrinæ iſtorum Patrum ; an verò licentia illos reſpuendi & impugnandi. Et ſi hoc poſteriùs improbetur , juxta mentem prædicti Pontificis, nulli dubium eſſe poteſt quin Senatus in eandem quoque ſententiam veniet, & decernet *ut reſiſtatur talibus quos malè creſcere videmus.*

Docilitas eſt virtus æquè neceſſaria diſcipulo ac Magiſtro ; vix enim inſtrui quis poterit, niſi velit ſe doctrinæ ſubjicere. Quòd ſi animadvertat diſcipulus Magiſtrum ſuum parvipendere Doctores Eccleſiæ , nec ipſe doceri poterit, neque Magiſter docere. Ita cenſuit D. Thomas 22. q. 49. art. 3. ad 2. & 3. dum ait, *Quod ad ejus conſummationem plurimum valet humanum ſtudium , dum ſcilicet homo ſolicitè , frequenter & reverenter applicat animum ſuum documentis Majorum ; non negligens ea propter ignaviam , nec contemnens propter ſuperbiam.* Quæ autem major ſuperbia exſurgere poteſt , quàm non ſolùm nolle ſe ſubjicere Sanctis Auguſtino & Thomæ , ſed ipſis etiam contradicere. Hoc in Magiſtris ſuis & Profeſſoribus requirit hæc Academia , ut veram æſtimationem & autoritatem ſibi comparent. Idem quoque intendere dicenda eſt ſacra Religio Societatis Jeſu , dum non ſine ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti , in Conſtitutionibus ſuis ſancivit 4. p. 1. c. 5. § 4. *Sequantur in quâvis Facultate ſecuriorem & magis approbatam doctrinam , & eos Auctores qui eam docent.* Quibus verbis ſufficienter declararunt iſtarum Conſtitutionum Autores, quanti referat eſſe docilem , & ſe ſubjicere doctrinæ antiquæ, certiori & probatiori. Atque ad particularia magis deſcendendo , addunt c. 14. § 1. *Generatim (ut dictum eſt cum de Collegiis ageretur) illi prælegentur libri , qui in quâvis Facultate ſolidioris ac ſecurioris doctrinæ habebuntur.* Ut autem ejus rei exemplum exprimerent , in Theologiâ § 2. ubi præſcribunt & determinant quinam ſint illi Autores qui ſolidiorem & ſecuriorem doctrinam continent , non invenerunt alium inter Doctores Theologos præſtantiorem D. Thomâ : ita enim ſtatuunt: *In Theologiâ legetur vetus & novum Teſtamentum ; & doctrina Scholaſtica D. Thomæ.* Sicque Societas Jeſu doctrinam S. Thomæ , ut ſecuriorem verioremque , gravi auctoritate ſuâ comprobavit: quâ prærogativâ D. Thomas donatus eſt , ob ſummam venerationem quâ veteres Doctores ſemper eſt proſecutus : & per hoc non ſolùm acquiſivit tantam ſcientiarum plenitudinem, verùm etiam omnium Sanctorum Patrum ingenia in ipſum quaſi confluxiſſe videntur. Notavit hoc eleganter Cajet. 2.2. q. 148. art. 4. *Quia ſummè veneratus eſt Divus Thomas, Sacros Doctores ; ideò intellectum omnium quodammodo ſortitus eſt.* Pronam hanc venerationem religioſè colere ſtatuit hæc Univerſitas : an verò

Jura-

Juramentum iſtud æquum ſit & pium, judicio prudentiorum relinquitur. Quod ſi Profeſſores ipſi & Magiſtri parvi pendant antiquos Doctores, vix fieri poterit, ut ipſi à diſcipulis ſuis honorentur. Argumentum eſt D. Athanaſii in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos: *Quiſque enim eorum ſibi perſuadebat, ſi ſolverit aliquid ex decretis Majorum, occaſionem ſe daturum poſteris, ut quòd ipſi egiſſent, reſcinderent.* Et mox addit: *Quomodo eos quibus ſucceſſêre, patres ſuos appellabunt, quorum ſententias ipſi culpant? Aut quomodo ipſi veraces apud ſuos diſcipulos habebuntur, quibus perſuadent Præceptoribus credendum non eſſe?* Quiſquis Majorum ſuorum veſtigiis non inſiſtit, fruſtra credit ſe poſteros habiturum ſui ſectatores. Quomodo denique, diſcipuli Magiſtros appellabunt Sanctum Auguſtinum & Thomam, ſi Præceptorem ſuum videant ipſorum dogmata explodere? & quid ex-inde niſi merum chaos & pernicioſa confuſio oriri poteſt? Ac per conſequens ex allegatis apparet, nimiam iſtam horum temporum licentiam & inſolentiam Univerſitatem coegiſſe, ut hujuſmodi Juramentum præſtandum decerneret. *Hucuſque Apologia.*

Idem argumentum proſequitur doctiſſimus ille Cœtus, ſubſequentibus paragraphis ex quibus paucula adhuc deſumam. §. 5. n. 39. hæc habet.

APOLOGIA. Perpendebat Univerſitas, quod amplam licentiam permittere ſuis Profeſſoribus pro libitu opinandi in Materiis Theologicis, abſque ulla ſubmiſſione aut dependentia à præcipuis Eccleſiæ luminaribus, nil aliud eſſet quàm ipſos nimiæ curioſitati exponere, & habenas ſolvere Theologiæ, ut per inſolita, peregrina & hactenus incognita vagetur: quæ tamen principaliter inſtituta eſt, ut veritates revelatas perfectè diſcutiat, mores inſtituat, & conſcientias dirigat. Et licet Univerſitas nec velit, nec poſſit recentes doctrinas paſſim condemnare, nihilhominus cùm non immeritò audeat ſe inter primas Orbis Chriſtiani Academias numerare, hoc unum ſtudet, ut tam Profeſſores ſui, quàm diſcipuli ſectentur quòd in Eccleſiâ Catholicâ maximè tutum, antiquum, & comprobatum habetur, & idcircò tanquam Duces & Magiſtros ipſis proponit Sanctos Auguſtinum & Thomam, de quorum doctrinæ ſecuritate ac ſoliditate abundè ſuperiùs §. 3. dictum eſt.

Hac ratione, Univerſitas ſuæ exiſtimationi conſulit, & auctoritati quoque Facultatis Theologicæ, ejuſque Profeſſorum, dum ſcilicet horum temporum novitates nullo modo admittit, ſed potiùs pro virili ſua illas cohibet. Quotidiana enim experientiâ didicit, Theologiam Scholaſticam hoc tempore eidem fermè mutationi & varietati ſubjacere, cui mores & indumenta, & ſub hac inconſtantia, veritatem periclitari, & ipſius Theologiæ auctoritatem imminui; ut olim dicebat Sophronius, teſte Socrate lib. 2. hiſt. Tripart. cap. 34. dùm in Concilio Seleucirano referebantur ſententiæ Acacii: *Si per ſingulos dies propriam edere fidem licuerit, veritatis integritas non diu manebit.* Similiter de quodam Frenide, qui ſe magnum muſicum jactabat, refert Plutarchus, quòd citharæ ſuæ novem fides appoſuiſſet, acceſſit autem Ephorus, & duas ex illis detraxit, inquiens: *Noli depravare Muſicam, priſci Cantores non noverunt niſi ſeptem chordas, quibus aliquid addere, ac Muſicam pro ſimplici reddere operoſiorem, erit artis corruptela.*

Per plures annos dogmata Eccleſiæ pro majori parte conſervata fuere in doctrina S. Thomæ, ſic ut nullæ aliæ illi prævaluerint: & quamvis hæc aut illa Schola ex antiquioribus, ut puta Scotiſtica, magnam ſibi quoque Autoritatem acquiſierit, & tutè frequentaretur, non idcircò tamen cruento bello inter ſe pugnabant, ſed ad eruendam dumtaxat veritatem quandóque inter ſe velitabantur. Hoc autem moderamen turbarunt recenter introductæ opiniones, ab antiquis omninò diſſentientes, idque ſine alio fructu, quàm comparandæ ſibi vanæ gloriæ ob excogitatas novitates. Nam ſi novitia illa commenta, quæ hodie adinveniuntur vel eruuntur, è profundo illo ſilentio, ſub quo jam olim ab Eccleſia ſepulta ſunt, coinciderent cum ſententiis S. Auguſtini & Thomæ vel Scoti, haud dubiè prorſus aliter & è converſo vellent eas authores proponere, ut ſaltem iſtam laudem & gloriam reportarent, quòd aliquid novi & à SS. Patribus illis diverſi produxiſſent. Subſtitit aliquando Ageſilaus Rex Lacedemoniorum, referente Eraſmo in Apophtegmatibus, ut ædificium quoddam ſpectaret, cujus trabes quadratæ erant: cumque ab ædium Domino percunctaretur, utrum in regione iſta arbores quadratæ naſcerentur, reſpondit, rotundas creſcere, ſed ex rotundis arte quadrari: cui Rex, quid? Ergone ſi naſcerentur quadratæ, faceretis rotundas? Doctrina Eccleſiæ ab origine & Apoſtolorum

lorum tempore tradita est, ut ita dicam, rotunda, spherica & in forma perfecta; eo modo & formâ eam quoque conservarunt SS. Patres, quorum omnium compendia fuere SS. Augustinus & Thomas. Sed non defuit qui conatus est illam quadratam reddere, & si nata fuisset quadrata, vellet eam rotundare. Illud est cui Universitas intendit obviare, ut quandoquidem doctrina Ecclesiæ ab Apostolis formam sphericam acceperit, & SS. Patres sub eadem illam custodierint, illibata quoque servetur à Professoribus Universitatis, Decretum illud authoritate Senatus confirmari postulat, ut hoc modo ingenia novitatum cupida penitus secludantur: quæ graphicè descripsit Hormisdas Papa in Epistola ad Possessorem, qua D. Augustini nomen & doctrinam mirificè etiam extollit: „ Una pertinacis „ cura propositi, inquit, rationi velle im„ perare, non credere: contemptores autho„ ritatum veterum, novarum cupidi quæ„ stionum, solam putantes scientiæ rectam „ viam qualibet concepta facilitate sen„ tentiam; eousque tumoris elati, ut ad ar„ bitrium suum utriusque orbis putent in„ clinandum esse judicium.

Ista tamen opinionum varietas & inconstantia, quæ quotidie magis magisque invalescit sine modo, quid nisi confusionem & tenebras inducere possunt; dum ad praxim reductæ damna irreparabilia in remp. invehunt, regimen animarum, conscientiarum, Magistratuum, & ipsius justitiæ ordinem omninò invertunt? Vix enim est aliqua propositio quæ facillimo negotio non reddatur probabilis. Necesse itaque est huic malo in ipso fonte & scaturigine mederi, reducendo, quantum fieri potest, licentiam opinandi ad terminos unius ejusdemque doctrinæ.

Quænam verò magis una est & conformis, quàm doctrina S. Augustini & S. Thomæ, qui tanquam splendida & purissima sidera, Ecclesiam Dei per tot seculorum decursum, absque ullo nævo aut periculo felicissimè illustrarunt?

Et num. 56.

Ex hac quoque opinionum diversitate ortum est illud malum, quòd plurimi viri pii & cordati hac ætate deplorant; ut nec Confessarius suos pœnitentes, nec Jurisconsultus clientes suos ad id quòd tutius æquiusque est reducere, aut persuadere possint, eo quòd inveniantur alii Directores & Magistri qui laxiores & longè differentes sententias sequuntur, seseque facilè accommodant inclinationi pœnitentis aut consultoris: & interea hidestruunt quod illi ædificant, neque conscientiis medentur, neque tot illiciti contractus & commercia damnantur, in gravissimum & manifestum Reip. detrimentum.

Appositum huic rei exemplum refert S. Lucas in Actis Apostolorum. Accusabatur S. Paulus coram Concilio Judæorum, inimicorum Christi Domini, & qui adeò inter se discrepabant ob sectas Pharisæorum & Saducæorum, ut discerni non posset, an majus esset odium quo simul in Christum ferebantur, an quò se invicem insectabantur. Apostolus autem ut manus ipsorum evaderet, reclamavit se Pharisæum, quodque de spe & resurrectione mortuorum judicaretur. Vix hæc protulerat, cum ecce relictâ causâ principali, tanta inter ipsos excitata est contentio, ut nullo negotio S. Paulus liber evaserit. *Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Saducæos, & soluta est multitudo. Act.* 23. Potuit autem hoc artificio uti Apostolus, in illo casu ubi ipsi adversùs fidem conspirabant, ut notat & asserit D. Greg. lib. 34. mor. c. 4. Chrisost. in istum locum Actorum; S. Thomas 22. q. 37. art. 1. ad 2. Sed supponamus casum in oppositis circumstantiis, quodque non S. Paulus coram isto tribunali accusetur, sed quidam sceleatus & impius, qui ut se ab illis eximeret, assereret se Saducæum esse, & ob negatam carnis resurrectionem damnari: procul dubio Saducæi quoque Concilium commoverent ac turbarent; & ipse facinorosus interea, & vincula & supplicium evaderet. Illi nempe sunt effectus quos producit diversitas illa opinionum & sententiarum, quæ quamvis non semper fidem tangant, mores saltem concernunt, in quibus multum periculi versatur. Inde enim fit ut Confessarius non valeat pœnitentem ab occasionibus peccatorum avocare, & in viam regiam salutis suæ, reducere, quia statim opponet factum suum esse probabile, & se habere Theologos qui secum sentiant; immò si nolit ipsum absolvere, non defuturos à quibus illud obtineat; sicque peccatis suis, usuris & lucris iniquis aliisque vitiis inhæret ac immoritur. In tantum enim probabilitates modò invaluerunt, ut vix detur contractus aliquis, quantumvis injustus, qui non habeat suos fautores ac vindices.

Nonnulli viri pii & docti attentiùs perpendentes generosum hoc Universitatis Salmanticæ Statutum, considerarunt Divi-

Divinam providentiam hac fortaſſis via decreviſſe grave aliquod malum, quod in materia doctrinæ hiſce regnis imminebat, avertere. Quamvis enim, opitulante Divina miſericordia, tot jam ſeculis fidei integritas & puritas in hac Monarchia illibata ſervetur, non idcirco tamen illi eſt omninò debita & aſtricta. Eò enim peccata noſtra excreſcere poſſent, ut tam à ſuperioribus quàm à ſubditis donum fidei in pœnam auferatur; qua vicinas regiones ac provincias caſtigatas videmus. Quod ſi itaque illud contingeret (nam licet per Dei Gratiam procul adhuc abſit, contingere tamen poteſt, juxta illud Philoſophi, *Poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur inconveniens*) quæritur, quænam eſſent propugnacula & munitiones è quibus fides orthodoxa defendi poſſet & conſervari in hac Monarchia, niſi Univerſitates? Vult itaque Deus ut omnium prima ac celeberrima, jurisjurandi religione ſe adſtringat doctrinis maximè ſanis ac tutis, quales ſunt eæ quas à D. Auguſtino & S. Thoma excepimus: ut nempè dogmata iſtorum Patrum in Academiis radices firment; & in diſcipulorum animis, altè plantata, etiam à teneris amorem & reverentiam erga iſtos ſanctos Doctores illis imprimant, pariterque ſuccreſcant, & hac ratione per innumeros illos diſcipulos, quos Univerſitates ſcientiis inſtituunt, & Reipublicæ ſubminiſtrant, ab ea quoque præmemoratum illud malum & pernicies avertatur. *Hucuſque Apologia.*

Hæc ſuccintè ex doctiſſima Apologia Salmanticenſi, quibus tanquam clypeis & caſtrorum loricis Academiam ſuam à novitatum invaſione generoſi illi Sanctorum Patrum diſcipuli tutati ſunt.

MONITUM TYPOGRAPHI
DE SUBSEQUENTI OPUSCULO.

Cùm ad finem Addendorum properarent operæ, miſſa eſt ad me Narratio latæ olim ab Hiſpanicis Inquiſitoribus Cenſuræ adversùs XXII. Propoſitiones Auguſtino injurioſas. Hanc ut illis ſubjungerem perſuaſit, & affinitas materiæ & viri eruditi conſilium, qui res Auguſtini lucis inde nonnihil accepturas putavit, nec ingratam fore doctiſſimo Hiſtoriæ Congregationum de Auxilliis Autori noviſſimam hanc illius Appendicem.

NARRATIO

Rerum geſtarum in negotio Cenſuræ ab Hiſpanicis Inquiſitionibus latæ adversùs XXII Propoſitiones à Jeſuitis eorúmque aſſeclis aſſertas contra S. AUGUSTINUM.

QUanta paſſus ſit à Moliniſtis S. Auguſtinus poſt annum ſuperioris ſeculi quadrageſimum, quantopere periclitata ſit ſancti gratiæ Doctoris autoritas ac doctrina tot SS. Patrum, Conciliorum ac Romanorum Pontificum laudibus conſecrata, pauci ſunt qui neſciant. Eodem ferè tempore, eodemque æſtu & impetu in illum inſurrexerunt Moliniſticæ Societatis ſuccenturiati milites duo, alter in Academia Lovanienſi, alter verò in Pariſienſi, uterque Theologiæ Profeſſor.

In Pariſienſi quidem Jacobus Pereyret doctrinam de Gratia in ſua Navarrici Collegii Schola traditurus, præmiſit *Apparatum ad Tractatum de Gratia*: in quo *ſanctiſſimi Doctoris autoritatem nunc furtim aggreditur, nunc apertè oppugnat* (verba ſunt anonymi qui Apparatum confutavit) *nunc aut ultra limites extendit aut attollit ſupra modum, ut poſteà coercendo ac dejiciendo elidat: nunc aliorum Patrum, quorum patrocinio in variis de fidei doctrina controverſiis Eccleſia cauſam ſuam contra hæreticos credidiſſe videtur, comparatione obnubilat eam, & quaſi obtundit..... poſtremò eam, in ſummorum Pontificum atque in Eccleſiæ Romanæ Catholicaque totius injuriam ſiniſtra, & malevola interpretatione convertit, quaſi tantam autoritatem aut uſurparit ipſe Auguſtinus, aut qui ſe ejus diſcipulos profiteri magno honori ducunt, eam proprio illius nomini & privatæ doctrinæ temerario auſu affinxerint, ac non à Sede Apoſtolica atque ab Eccleſia univerſa traditam tueantur.*

Deinde paſſim per Apparatûs ſui decurſum apertè affirmat inter alia *ſummos Pontifices doctrinam S. Auguſtini aliquo pacto improbaſſe; in aliquibus Auguſtinum inconſtantem & varium eſſe, nec unius labii & ſcientiæ; furfuroſos eſſe aliquos ejus*

libros; senioris Augustini Hipponensis nonnullas esse Propositiones etiam nunc scandalosas, & imminentes offensionem in pias aures; damnatas quasdam in Baio & Jansenio; genuinas ejus opiniones damnatas à Pontificibus & à Facultate Parisiensi; Urbani VIII. in Bulla edenda mentem non fuisse ne prajudicium doctrinæ S. Augustini afferret, &c.

Contra verò de Molina, ut verbo dicam, *ejus doctrinam judicasse Augustino contrariam non fuisse censurâ afficere; damnatam non fuisse à Pontificibus; immò absolutorio Inquisitionis judicio esse probatam.*

Audaciam & temeritatem *Apparatoris* retudit Scriptor doctissimus, libro quem tacito nomine publicavit Parisiis cum Regis Privilegio anno 1650. sub hoc titulo: *Quæ sit S. Augustini & doctrinæ ejus autoritas in Ecclesia.... in quo excutitur Apparatus ad Tractatum de Gratia publicè traditus in Collegio Navarrico à M. Jacobo Pereyret Theologo & Professore Parisiensi.*

Huic Augustini adversario præiverat Lovanii Joannes Schinkelius Molinistarum extra Societatem militantium antesignanus. Is eo temeritatis prorupit, ut scribit insignis Academiæ Lovanienſis Theologus in manuscripta D. Augusti-
„ ni Apologia, ut perruptis agminibus ip-
„ sum Augustinum cominùs aggrederetur
„ & in scholis publicis illius Universitatis
„ non tantùm viva voce injuriosissima quæ-
„ que, ipsis etiam hæreticis insolita, in vene-
„ randum istum Præsulem pronunciaret,
„ sed quo vulnera altiùs infligeret, dis-
„ cipulis quoque suis prælegeret & dicta-
„ ret Tractatum à se compositum de au-
„ toritate S. Augustini, in quo nihilo mi-
„ tiùs Sanctum illum Doctorem excepit.
Recensitis nonnullis Schinkelii propositionibus, quæ infra repræsentabuntur, cum Augustino exclamat pius ejus Apolo-
Augustinus Ep. 6. nunc 29. num. 4. „ gista: *Vide quantum in pejus proficiunt, cum*
„ *sine limite timoris vel pudoris hac atque illac*
„ *vagabunda fertur impunita garrulitas.* Hæc
„ tamen non evasit impunita. Nam Acade-
„ mia Lovanienſis graviter exulcerata, quòd
„ præcipui Magistri sui nomen & autori-
„ tatem tam impiis dentibus dilaceratam
„ videret, hominis istius audaciam detesta-
„ ta, scripta quoque ipsius publico Decre-
„ to reprobavit 24. Maii 1644.

Neque his contenta, ultra ipsas Alpes remedium quæsivit quo autoritatem Magistri sui vindicaret, & petulantes istas linguas compesceret, atque primos illos ejusdem Sancti Patris discipulos Prosperum & Hilarium imitata, qui Romam ad Cœlestinum Papam profecti aliquando fuerunt, querelasque de Gallorum Semipelagianorum petulantia adversùs S. Augustinum, deposuerunt: per binos quoque Deputatos suos Apostolicam Sedem accessit, atque exsurgentem hodie Semipelagianam in eundem Augustinum temeritatem Urbano VIII. Pontifici exposuit, autoritatemque ipsius pro eadem retundenda instanter imploravit, hoc subjuncto supplici Libello. *A. 1643* *A. 1644.*

SANCTISSIME PATER.

Doctrinam, quam contra inimicos Gratiæ Dei quâ Christiani sumus, excellen- „
tissimæ autoritatis Doctor Augustinus A- „
postolicè asseruit, & Catholicæ Ecclesiæ „
dotem Prædecessor tuus Clemens VIII. „
appellare non dubitavit, nonnulli occa- „
sione arrepta ex Bullâ nuper in lucem „
emissâ, adversus Cornelii Jansenii Epis- „
copi Iprensis Augustinum, infamare præ- „
sumunt, asserentes, *Quadam dogmata ab* „
Augustino in terminis asserta, à Sede Apo- „
stolica in terminis esse damnata. Hujus „
præsumtionis pernicioſa temeritas adver- „
sùs antiquos Magistros insolenter se eri- „
gens, & in injuriam Prædecessorum tuorum „
Innocentis, Zozimi, Bonifacii, Cœlestini „
Sixti, Leonis, Felicis, Gelasii, Hormis- „
dæ, Joannis, Gregorii, Martini, Cle- „
mentis, aliorumque redundans, Acade- „
miæ Lovanienſis, pro suâ erga Sedem A- „
postolicam Religiosâ observantiâ, viscera „
non mediocriter conturbavit, eo vel ma- „
ximè quòd non privatim, aut in cubicu- „
lis, sed palàm & ex pulpitis hujusmodi „
calumniis præstantissimi Doctoris memo- „
ria carpatur, applaudentibus hæreticis „
undequaque circumjacentibus, & Augu- „
stinum (cujus auctoritate potissimùm à „
Catholicis hactenus premebantur) ex- „
auctorari gaudentibus. Hinc est quòd dicta „
Academia Deputatos suos, Illustrissimo- „
rum etiam Ordinum Ducatus Brabantiæ „
Commissionalibus litteris instructos, ad „
Sanctitatem suam ablegaverit, ut de op- „
portuno remedio contra perniciem istam „
providere dignetur. In quem finem sup- „
plicant humillimè dicti Deputati, nomine „
suorum Deputantium, quatenus sua San- „
ctitas dignetur uberiorem hujus causæ „
cognitionem Cardinalium & Theologo- „
rum Congregationi committere, qui auditis „
Oratoribus, plenéque informati, Sanctita- „
tem suam competenter informent, & re- „
medium quo prædictis incommodis tem- „
pestivè obviari possit, suggerant. „

Sed Urbano VIII. paulò post è vivis „
sublato, remedium intermissum fuit:

quod

quod tamen ab ipso non frustra sperandum videbatur, quippe qui in primo istorum Deputatorum alloquio, apertè declaverat, *Intentionis suæ neutiquam fuisse ullum præjudicium S. Augustino procreare*, (editione scilicet prætatæ Bullæ adversus Librum Jansenii) *immò quicumque contrarium asserere præsumerent, cohibendos esse.*

26. Nov. 1643.

Itaque Innocentium decimum, Urbani in Cathedrâ Apostolicâ successorem, rursus interpellant porrecto ipsi novo Libello supplici, hîc subnexo.

5. Nov. 1644.

SANCTISSIME PATER.

Quemadmodum olim ex transalpina Gallia Religiosissimi Patres [a] Prosper & Hilarius, ad Apostolicam recurrerunt Sedem, velut fidei Magistram, penes quam incorrupta Patrum servatur hæreditas, remedium flagitantes quo Pelagianorum reliquiis B. Augustini Antistitis doctrinam vellicantibus, adimeretur usurpata maleloquentiæ libertas: ita nuper ex inferiori Germania ad eandem recurrit Lovaniensis Universitas, suppliciter per Deputatos suos exposcens & obsecrans, ut devotissimæ Filiæ, pro manu tenenda antiquitate sollicitæ, maternis compateretur visceribus, & prostratæ dudum à Papa [b] Cœlestino licentiosæ garrulitati, post tot secula recrudescenti, medicinalem coercitionis obicem præstrueret, quem nullatenus contentiosæ linguæ transgredi præsumerent: usque adeò etenim Neotericorum quorundam adversùs tot Pontificum oracula, tot Conciliorum elogia, tot Patrum ac Scholasticorum in D. Augustinum cumulata suffragia obsurdescens excrevit audacia, ut per calcatam tanti Doctoris auctoritatem ad commentorum suorum machinas solidandas prodigiosum pontem adornent. Hinc auditoribus lectoribusve suis hujusmodi supercilliosa propinant prædicamenta.

a *Cœlestin. Papa Ep. ad Epis. Gall. c. 3.*

b *Ibid. c. 1. 2. 3.*

1. Augustini quædam dogmata, ab Apostolica Sede in terminis esse damnata.

2. Miseram fore Ecclesiam, si Augustini placitis obstricta maneret.

3. Ecclesiam à tutela & pædagogia Augustini esse vindicandam.

4. Augustini auctoritatem non plus valere, quàm rationes quas allegat evincant.

5. Augustinum fuisse Doctorem perinde ac alium quempiam etiam modernorum.

6. Augustini dotes, seu naturales seu infusas, non fuisse altioris ordinis quàm aliorum Doctorum etiam Scholasticorum.

7. Si post Augustinum nihil Christianæ eruditioni accesserit, Scholasticam Theologiam penitùs rejiciendam fore.

8. Augustini autoritatem interponentibus respondendum esse, Ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere etiam eruditione.

9. Augustinum Juliani Pelagianistæ argumentis non satisfeciisse.

10. Si triumphus Ecclesiæ de Pelagianis niteretur posterioribus Augustini scriptis, immeritò de iis illa triumphasset.

11. Volentem sustinere partes Juliani, non posse rationibus convinci.

12. Augustini Theologiam de originalis peccati traduce esse rusticanam.

13. Ex Augustini opinione de peccato originis, cogi nos incidere in sententiam Pelagii.

14. Augustinum Sacrarum Litterarum auctoritatem sua expositione enervare, & ludibrio infidelium exponere.

15. Augustinum quasi sub caligine constitutum, ad veritatem à recentioribus inventam non attendisse.

16. Augustini sententiam fidelium non paucos turbasse, ejusque auctoritate percussos in Pelagianismum declinasse.

17. Augustini sententiam à multis duram nimis, indignamque Divina Bonitate ac Clementia judicari, non mirum.

18. Ab Augustino aliisque idem sentientibus peti posse, undenam suæ scientiæ certitudinem hauserint.

19. Augustini vestigiis non esse insistendum, sed aliter philosophandum.

20. Augustini locutiones, quamvis aliquo sensu veras, improprias tamen esse, nec passim frequentandas.

21. Utrum Augustinus contra quod sentimus sentiat, non admodùm referre.

22. Non rectè dici: Illud saltem necessariò ab omnibus esse tenendum, quòd Augustinus asseruit, nec retractavit.

Hæc sunt, Beatissime Pater, specimina machinarum quibus cervicosa philautia, contra [c] validissimam turrim speculæ pastoralis arietat; sannarum quibus novella dicacitas venerandæ antiquitati insultat; morsuum quibus solidissima [d] illa doctrina laniatur, quâ novorum hæreticorum commenta disjecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit: doctrina nimirum illa sublimis, quam [e] secundùm Prædecessorum tuorum inviolabile institutum, Romana sequitur & servat Ecclesia, quamque in deliberationibus doctrinalibus [f] consulendam, in obsecrationibus rituа-

c *Prosp. cont. Collat. cap. 41.*

d *Ibid. c. 11.*

e *Joann. Papa 2. Epist. ad Senat.*

f *Hormisda Papa Epist. ad Possess.*

ritualibus [a] exprimendam, in congregationibus ſynodalibus præſcribit [b] decernendam: illa, inquam, doctrina cum qua non ſolùm [c] Romanam Africanamque Eccleſiam, ſed & per omnes mundi partes univerſos promiſſionis filios antiquitùs congruiſſe compertum eſt. Non ergò negligenda eſt obtrectatorum correptio, [d] in eum ſtatum deducere cauſam Eccleſiæ molientium, ut dum Auguſtinum jactitant non veraciter pro gratia locutum, inimicos gratiæ perſuadeant injuſtè damnatos eſſe, & victricis Eccleſiæ Triumphum indiſciplinatis ſcommatibus inaniant. Qui [e] ex ipſa injuriæ magnitudine, quam in Auguſtino fidelibus cunctis, ſed præcipuè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus impunè irrogant, ab indoctis & parum cautis excellentioris ſcientiæ judicantur, & miſero perverſoque ſucceſſu, facilem obloquiis conſenſum eliciunt, quia reverentiam ſibi præſumtione pepererunt. Incredibile namque apparet quamplurimis, qui autoritate eorum ſine diſcretione ducuntur, aut [f] tarditate eos intelligentiæ, aut temeritate judicii in ſuperciliosæ querelæ conclamationem prorupiſſe: ac non potiùs magno ingenio vehementique ſtudio laboraſſe, ut ſubtiliſſimi tractatoris diſputationibus comprehenſis cenſura nunc diſtrictior & inſpectio ſagacior inveniret, quod antea ſecurus favor & benignitas incurioſa non viderat.

Hac quippe ratione præſumunt [g] aſſerere, Eccleſiam uſque hodie in ſuis filiis creſcere eruditione: nec advertunt quòd dum eruditionem ſuam plus æquò extollunt, ignorantiæ caliginem ſuperiorum ſeculorum Eccleſiæ offundunt: atque ita dum [h] Eccleſiam Auguſtini pedagogiæ ſubducere moliuntur, [i] ſectariorum hujus temporis peſtilentiſſimum dogma ſtabiliunt. Ut hinc vel mediocris diligentiæ indagator perſpiciat, [k] ad quæ præcipitia perveniatur hiſce callibus, & in iſtam lutulentorum rivorum cænoſam ubiginem cujus voraginis humor exſudet. Tuæ igitur paſtoralis providentiæ eſt, Pater Sanctiſſime, vigilanter deſpicere, quid facto opus ſit, ut novorum Cenſorum ſuperetur vel temperetur intentio. [l] Cui haud facilè quiſpiam, præter paucos perfectæ Gratiæ intrepidos amatores, audet contraire, [m] ex quo non ſolùm his qui eos audiunt, verùm etiam ipſis qui audiuntur, cum æſtimatione crevit periculum: dum & multos reverentia eorum aut inutili cohibet ſilentio, aut incurioſo ducit aſſenſu, & ſaluberrimum ipſis videtur, quòd penè nullius contradictione reprehenditur.

[n] Sanum enim putant eſſe quòd non dolet, nec vulnus ſuperductâ cute ſentiunt. Sed intelligant perventurum ad ſectionem quod habuerit perſeverantem tumorem. Experiantur in Sanctitate tua hæreditarium zelum, quo adverſus priſcos Auguſtini æmulos prædeceſſor Cœleſtinus incanduit, [o] evidenter pronuntians, quantum ſibi iſtius præſumtionis novitas diſpliceret, quâ auderent quidam adversùs antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obſtrepere. Inſonet auribus Beatitudinis tuæ memoranda illa ejuſdem Cœleſtini paræneſis; [p] *Corripiantur hujuſmodi, non ſit eis liberum habere pro voluntate ſermonem. Deſinat inceſſere novitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare.* Inſonet & illud Papæ Sixti Cœleſtino ſuccedentis edictum: [q] *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati.* Quorum prædeceſſorum veſtigiis inſiſtens, Pater Beatiſſime, [r] adde eruditionem humilibus, adde increpationem ſuperbis. [s] Neceſſarium quippe & utile eſt, etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur, & plures inſoleſcant, dum inſoleſcentibus connivetur. Compeſcatur igitur te providente temeritas, aboleatur novitas, ſtabiliatur antiquitas, feriat ſermo iſte Beatitudinis tuæ aures, quo cognominem prædeceſſorem tuum Innocentium primum Synodus Milevitana obteſtata eſt, & quo Sanctitatem tuam Lovanienſis Univerſitas pedibus provoluta interpellat, [t] *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quàm ea tu poſſis vel faſtidioſè vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti, paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris.* Deus &c.

Libelli hujus elegantia, mira eruditio & pro Sanctorum Patrum defenſione ingenuus vigor, ita Pontificem Innocentium in ſui admirationem rapuit, ut in Autoris quoque laudes ultrò erumperet, & poſt repetitam ejus lectionem, Miniſtro qui ſibi à Secretis aderat, palam aſſereret; *Romanam Curiam viris talibus carere, eumque mereri qui illic detineretur ac promoveretur.* Et procul dubio tot Pontificum in D. Auguſtinum ejuſque doctrinam ſuffragia, tot in illius obtrectato-

res

a *Cæleſt. Papa Epiſt. ad Epiſc. Gall. c.* 11.
b *Synodus Arauſicana ex Auguſtini verbis concinnata.*
c *Proſp. Ep. ad Ruff.*
d *Proſp. lib. cont. Collat. c.* 1
e *Proſp. ib.*
f *Ibid.*
g *Art.* 8. *hîc ſupra.*
h *Art.* 3. *ibid.*
i *dogmatizantium Eccleſiam per multa ſecula erraſſe.*
k *Proſp. lib. cont. collat. c.* 39.
l *Proſp. Epiſt. ad Aug.*
m *Ibid.*
n *Ibid. in fine.*
o *Ibid. in fine.*
p *Cæleſt. Papa Epiſt. ad Epiſc. Gallic. c.* 1.
q *Sixtus Papa* 3. *Epiſt. ad Epiſcop. Antioc.*
r *Proſp. Epiſt. ad Aug.*
s *Proſp. ib.*
t *Patres conc. Milevit. apud Aug.* 2. *Epiſtola* 92. *nunc.* 176.

res fulmina, etiam Innocentii animum commoverunt ad Prædeceſſorum ſuorum imitationem. Nam Libellum ſupplicem ad S. Officii Congregationem miſit. Sed adverſariorum potentia, artes & falſæ ſuggeſtiones ita prævaluere, ut tam neceſſariam S. Auguſtini defenſionem exprimere tunc ab illa non potuerit ſolita illa & hæreditaria erga tantum Doctorem reverentia & obſervantia.

Et hæc Romæ gerebantur anno 1644. Poſt aliquos verò annos, nimirum anno 1649. alia ejuſdem Univerſitatis legatio ad Regem Catholicum decreta eſt; Hanc obiêre duo ex illa ſelecti Theologi Dominus Recht & Dominus Gillemans, qui eodem anno Matritum advenere.

Contigit porrò anno ſequenti 1650. ut per Hiſpanias ſpargeretur Libellus in quo legebantur duæ & viginti illæ Propoſitiones in Beatum Auguſtinum contumelioſiſſimæ. Has quippe ex Libello ſupplici ſuperiùs deſcripto excerptas Pater Gonçales Ordinis S. Dominici, Conventus Atocenſis Prior, primitùs miſerat Patri Arragonio ejuſdem Ordinis, in Academia Salmanticenſi Theologiæ Profeſſori Primario, præfixo illis hoc titulo: *Propoſitiones à Jeſuitis prolatæ contra S. Auguſtinum.* Eaſdem Arragonius exhibuit Patribus Auguſtinianis cæteriſque illius Academiæ Theologis, quos omnes mirum in modum ea res perculit.

Senſerunt Patres Auguſtiniani contumeliæ per illas 22. Propoſitiones Beato Patri illatæ atrocitatem, atque adeò ſtatuerunt pro viribus eam propulſare. Porrò nihil ad eam proterviam reprimendam validiùs viſum eſt, quàm rem ad Regem deferre, ac petere Mandatum regium ad Inquiſitores fidei, quo juberentur Divi Auguſtini autoritatem tueri, eaſque propoſitiones eâ quâ dignæ erant, cenſurâ notare. Beati Patris Auguſtini cauſam adversùs eos qui ejus autoritatem doctrinamque oppugnabant, defendendam ſuſcepit Pater Bartholomæus de los Rios Auguſtiniani Ordinis alumnus, qui 25. annis in Belgio demoratus fuerat, acerque erat Beati Patris ſui Diſcipulus.

Hic, ut captam à ſe provinciam impleret, ineunte martio, Auguſtino Villavicentio ſupremo in Hiſpaniis fidei Inquiſitori, viro erudito, obtulit libellum ſupplicem, quo ad eum deferebat 22. illas propoſitiones, cenſuramque in eas efflagitabat, demonſtrato quantùm Religionis catholicæ intereſſet, ut Doctori Sanctiſſimo Auguſtino, primario Eccleſiæ columini, ſua autoritas integra & inviolata conſervaretur.

Ejuſdem menſis die tertio ſupremus Inquiſitor miſſo è miniſtris ſuis uno ad Joannem Recht Univerſitatis Lovanienſis Doctorem Theologum, rei quæ agebatur ignarum, ei mandat ut ad ſe die inſequenti veniat. Rumor quippe ſparſus fuerat ab eo propoſitiones illas fuiſſe vulgatas.

Continuò vir ille quarto die martii ad ſummum Inquiſitorem ſe confert; à quo ex juris formulis interrogatus de 22. illis propoſitionibus, de Autoribus, deque earum in Hiſpanias delatione, reſpondit non paucas ex illis in libris Jeſuitarum inveniri, alias Lovanii cum ingenti totius Academiæ offenſione & ſcandalo anno 1643. & 1644. traditas & dictatas à Joanne Schinkelio Academiæ ſeniore Doctore, qui, dogmata diſcipulis ſuis tradita, tueri non poterat, niſi Divi Auguſtini autoritatem everteret; à Joanne Sinnichio ejuſdem Facultatis Doctore atque apud Romanum Pontificem ejuſdem Academiæ atque eodem titulo, quo ille Madriti eſſet, Oratore, ſumma fide eas propoſitiones collectas fuiſſe, atque inſertas Libello Memoriali quem Innocentio X. obtulerat; atque adeò ex illo ipſo libello, qui per prelum publicus factus erat, ſine dubio excerptas eſſe, & in Hiſpanias manaſſe.

His rebus cognitis ſupremus fidei Quæſitor propoſitiones illas examinandas curat, iisque ad Commiſſarium Generalem Fratrum Minorum ſigillatim miſſis, ejus de iis ſententiam rogat. Ille, cùm perlegiſſet, cenſere ſe reſpondit, omnes eſſe vehementiſſimè ſuſpectas; è pectore hæretico ſine dubio prodiiſſe; actum eſſe de Eccleſia ſi ſic pedibus conculcaretur Auguſtini autoritas; atque adeò eas è libris ſcriptiſque omnibus in quibus reperirentur, expungi oportere.

Tandem die martii decimo octavo à ſupremo Inquiſitorum fidei tribunali manavit Decretum, quo 22. illæ propoſitiones proſcribebantur tanquam reſpectivè falſæ, improbabiles, abſurdæ, maleſonantes, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, erroneæ, ſapientes hæreſim, & in ſanctitatem, pietatem, doctrinamque Glorioſiſſimi Patris Sancti Auguſtini, inclyti Eccleſiæ Columinis, contumelioſæ. Verùm illius decreti promulgatio ob cauſas hactenùs ignotas, dilata fuit. Cæterum Inquiſitores Valliſoletani Decretum ediderunt quo, eâdem cenſurâ propoſitiones illas 22. notabant, promulgatumque illud decretum fuit Valliſoleti & Burgis

eodem anno 1650. uno è diebus Dominicis Quadrageſimæ.

Die Martii decimo nono, nempè poſtridie quàm à ſupremis fidei Inquiſitoribus Decretum editum erat, à Sancti Officii Secretario monetur Joannes Recht, è re futurum ſi Regi oſtenderetur Libellus memorialis, qui à Sinnichio Innocentio X. oblatus fuerat, quo in Libello 22. illæ propoſitiones referebantur, & ad ſummum Pontificem deferebantur.

Primo die menſis Aprilis Regni Valentiæ Inquiſitores eaſdem propoſitiones eadem cenſurâ qua ſupremi in Hiſpaniis fidei Inquiſitores, notaverunt, eaque in omnibus locis conſuetis vulgata fuit, ut teſtatur Provincialis Auguſtinianorum apud Arragones in Epiſtolâ ad Patrem de los Rios data poſt tres à cenſurâ menſes

Die Primo & vigeſimo menſis Aprilis cùm Joannes Recht Academiæ Lovanienſis Orator officiosè viſeret Patrem Ildefonſum Miguel Dominicanum in Univerſitate Complutenſi Theologiæ Profeſſorem primarium, ab eo intellexit aſſertum fuiſſe à Regis Confeſſario, propoſitiones illas 22. à fidei Inquiſitoribus cenſurâ notatas eſſe, ſeque Compluto ejus rei gratiâ veniſſe, ut à Patre Confeſſario illius cenſuræ exemplum peteret: ſed fortè eum abeſſe.

Intereà cùm decretum illud non vulgaretur, reſque illa altiſſimo ſilentio premeretur, Patribus Auguſtinianis trium Provinciarum Caſtellenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis Comitia Provincialia menſe Maio habentibus, Pater de los Rios tanta orationis vi docuit, calumnias eorum qui Sancto Auguſtino obtrectarent ferri non debere, ſuumque eſſe Patris communis honorem defendere, ut in illis comitiis decretum fuerit, omni qua liceret ratione obtrectatoribus obſtandum eſſe; reique illius gerendæ & communi omnium nomine perſequendæ curam tres præfatæ Provinciæ Patri de los Rios demandarunt.

Item Patres Dominicani Salmanticenſes Comitiis provincialibus eodem menſe Maio habitis perpendentes, Beati Thomæ Aquinatis autoritatem collapſuram, ſi Sancti Auguſtini autoritas, qua altera nixa eſſet ſubverteretur, decreverunt ut Provincialis Regem, ſupremum Inquiſitorem, Regiſque Confeſſarium adiret, enixéque efflagitaret propoſitionum illarum cenſuram; deinde litteræ darentur ad alias Provincias, ut conjunctis animis & viribus reſiſterent iis qui Sancti Auguſtini autoritatem & doctrinam everte-

re nitebantur. Hæc facta fuiſſe ut decretum erat, non eſt dubium.

Provincialis Auguſtinianorum Caſtellanenſium & Bartholomæus de los Rios à Comitiis Madritum reduces, continuò cœperunt exſequi quod in Comitiis captum erat conſilium, atque adeò Provincialis ille die decimo menſis Junii, aut circiter eum diem, præcepit Patri de los Rios, ut ſine mora Regem adiret, doceretque quàm arroganter Jeſuitæ eorumque aſſeclæ de Sancto Auguſtino loquerentur: ab iis de Auguſtino ea dici & ſcriptis publicis mandari, quibus non aliud ageretur quàm, ut primarii illius Eccleſiæ Doctoris auctoritas & doctrina everterentur.

Igitur Pater de los Rios ut Provincialis ſui juſſa faceret, unáque rem ſibi à tribus Provinciis demandatam, atque in ſe lubentiſſimè receptam exſequeretur, petit ut ſibi Regem remotis arbitris liceat alloqui, quòd eo faciliùs conceſſum eſt, quòd Regius eſſet Eccleſiaſtes. Admiſſus ergò ad privatum cum Rege colloquium die 18. menſis Junii tot cùm gemitibus tamque uberibus lacrymis injurias Divo Auguſtino à nonnullis Theologis Neotericis contumeliosè & arroganter illatas demonſtravit, malaque, quæ niſi eorum audacia & protervia reprimeretur, Eccleſiæ & Religioni Catholicæ timenda eſſent, expoſuit, ut Rex ejus oratione tactus & animo commotus polliceretur ſe ea de re ad ſummum Pontificem ſcripturum, autoritatemque nominis ſui interpoſiturum ad tuendum inclytum illum Eccleſiæ Doctorem Auguſtinum, facturumque ea omnia quæ utiliora viderentur ad comprimendam illorum audaciam, qui eam Religionem cujus ipſe defenſor eſſet, aggrederentur ſub nomine illius quo tanquam firmiſſimo columine niteretur. Tradito deinde Regi Libello memoriali quo ea omnia quæ verbo docuerat, ſcripta continebantur, & in quo duæ illæ & viginti propoſitiones verbis propriis referebantur, promiſſis regiis lætiſſimus diſceſſit.

Junii die 25. Pater Franciſcus Gonçales Dominicanus, Conventus *Atocenſis* Prior, ſupremum Inquiſitorem convenit, propoſitionum 22. negotium commendaturus. Reſponditque Inquiſitor, in ea re non eſſe opus commendatione tùm quòd id negotium ut proprium ſuſciperet, tùm quòd propoſitiones illæ proſcriptæ eſſent & cenſurâ jam tùm notatæ.

Eodem die Pater Bartholomæus de los Rios cùm intellexiſſet latum eſſe cenſuræ

Decre-

Decretum, Libellum ſupplicem ſupremo Inquiſitori obtulit, quo trium Provinciarum Caſtellanenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis nomine petebat, ut ſibi Cenſuræ exemplar authenticum traderetur, facultasque fieret illud prelo ſubjiciendi, mittendique ad omnes Ordinis ſui Conventus, in Tabulariis domeſticis reponendum. Deindè eum rogavit conaretur per litteras efficere apud Pontificem, ut ad commune Eccleſiæ bonum injuriam Divo Auguſtino per 22. illas propoſitiones illatam ulciſceretur. Id in ſe recepit Inquiſitor: qua ſpe acceſſit animus Patri de los Rios, libertateque dicendi uſus, demonſtravit ad frangendam hoſtium Auguſtini, immò potiùs hoſtium Eccleſiæ ſuperbiam, non eſſe ſatis viginti duo illa eorum aſſerta notaſſe; ſed, quo altiùs ſentirent vulnus, è re futurum mandare, ut ex omnibus libris ſcriptiſque, in quibus eſſent, expungerentur.

Nec ſatis fuit Patri de los Rios proſcriptas fuiſſe propoſitiones illas per Inquiſitores ſupremos Hiſpaniarum, per Valliſoletanos & Burgenſes: dedit etiam operam ut idem fieret ab minorum locorum Inquiſitoribus. Quocircà 28. menſis Junii à Provinciali Andaluſiæ per litteras petiit, ut illius Provinciæ Inquiſitores ſuſcitaret, efficeretque ut 22. illas propoſitiones non tantùm proſcriberent, ſed decreto dato mandarent ut expungerentur ex omnibus libris ſcriptiſque in quibus legerentur. Die verò ſecundo menſis Julii litteris datis ad Patrem Thomam Figuerola Provincialem Tarraconenſem petiit ab eo, ut cauſæ communis ſtudio operam daret, ut Inquiſitores novæ Carthaginis, Valentiæ, atque aliarum Civitatum Regni Tarraconenſis, non ſolùm eas propoſitiones proſcriberent, verùm etiam edicto mandarent, ut ex omnibus libris in quibus eſſent, eraderentur. Sed in hoc Provinciali vehementer falſus eſt Vir optimus Pater de los Rios: ille enim erat non tam Auguſtini Filius & diſcipulus, quàm Jeſuita & Molinæ Sectator.

Quinto die Julii Provincialis Andaluſienſis litteris ab eo acceptis reſpondit: multiſque gratulatus ſummum ejus pro cauſa communi ſtudium, aiebat exiſtimare ſe Inquiſitores Andaluſienſes facilè in ſententiam ſupremæ ac generalis Inquiſitionis Hiſpanicæ ituros, & propoſitiones delatas ac proſcriptas etiam ex libris expuncturos, ſi illa exemplo præiiſſet; verùm videri ſibi non eſſe per ſe ipſos ad eos accedendum aut inſtandum ut ejuſmodi cenſuram ſententiamque ferrent, quòd animo prævideret fore ut ſi id ab iis peteretur, multæ & longæ naſcerentur tricæ, moræque aliæ ex aliis necterentur.

Duodecimo die Julii Provincialis Tarraconenſis reſponſum dedit Patri de los Rios humaniſſimum atque officioſiſſimum; ex quo intelligi poterat quod eſſet ejus pro tuenda Patris Auguſtini autoritate & doctrina ſtudium. Scribebat ſibi negotium de quo agebatur, per Patris de los Rios litteras ſic eſſe perſpectum, ut de eo, cum iis quorum intererat (id eſt, cum Jeſuitis) agere poſſet. Deinde ſignificabat ab Inquiſitoribus Tarraconenſibus jam indè primo die Aprilis manaſſe decretum in publicum quo propoſitiones illæ 22. proſcribebantur & notabantur tanquam falſæ, improbabiles, abſurdæ, maleſonantes, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, erroneæ, ſapientes hæreſim, & in ſanctitatem, pietatem, doctrinamque S. Patris Auguſtini, inclyti Eccleſiæ Columinis, perquàm contumelioſæ. Tùm zelum prudentiamque extollebat quæ elucerent in ejus cum Rege colloquio, libelloque nomine omnium Provinciarum oblato. Ad extremum pollicebatur ſe nihil omiſſurum eorum quæ adjumento eſſe poſſent in negotio tam glorioſè tamque juſtè ab eo ſuſcepto; exhortabaturque ut eodem ſtudio quo cœpiſſet, rem illam apud Regem perſequeretur; neminem enim eſſe qui ad id magis eſſet idoneus, quippe qui in Belgio multis annis demoratus, inde rediiſſet rerum illarum ſcientiſſimus.

Sed poſtquàm cum Jeſuitis de 22. propoſitionum negotio contuliſſet, repentè mutavit, ſin minus ſententiam, certè orationem. Quin etiam libello ſcripto non una ratione contendebat ab ea re deſiſtendum eſſe, quippe quæ ad Rempublicam pertinere videretur. Scriptum illud 26. die Julii cum adjuncto epiſtolio miſit ad Patrem de los Rios: quæ res cum vehementiſſimè eum perculiſſet, nihil tamen motus ineptis rationibus viri illius ignaviſſimi, novos animos ſumpſit, ſeque in propoſito confirmavit. Mox eas rationes confutavit, quámque infirmæ eſſent demonſtravit ſcripto quod invicem miſit illi Provinciali, Viro parùm digno qui in Auguſtiniana Familia cenſeretur. Si cui lubeat & rationes illas ſcire, & earum videre confutationem, legat ſcripta ad finem hujus narrationis poſita.

Sub finem menſis Auguſti Bartholomæus de los Rios rursùs ad Regis pedes proſtra-

proſtratus alterum Libellum ſupplicem obtulit, quo trium Provinciarum Caſtellanenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis nomine flagitabat ut Rex, interpoſitâ autoritate ſuâ apud Innocentium X. peteret decreto Pontificio ſententiam Inquiſitionis generalis Hiſpanienſis, juſſu Regis in 22. propoſitiones latam, confirmari.

Sub idem tempus Pater de los Rios Libellum ſupplicem obtulit Inquiſitori generali, quo nomine earundem Provinciarum exponebat decretum Cenſuræ ab eo latæ in 22. propoſitiones in publicum editas quibus Sancti Auguſtini autoritas convellebatur, neque Madriti neque in ullo Oppido Archiepiſcopatus Toletani fuiſſe promulgatum, quamquam Cenſuræ exemplaria ad omnes Regni Hiſpaniarum Inquiſitores ideò miſſa eſſent, mandatumque ut ſolenniter ubique promulgaretur. Quare ſupplex petebat ab Inquiſitore generali mandari, ut Madriti, Toleti, inque Oppidis omnibus illius Archiepiſcopatus Cenſura publicaretur, deſignatis & ad verbum expreſſis viginti illis & duabus propoſitionibus.

Tum poſtulabat ut ſibi Decreti, & Cenſuræ exemplum authenticum traderetur, facultaſque fieret ea prelo ſubjiciendi, mittendique ad omnes Auguſtinianorum Conventus, in Tabulariis domeſticis aſſervanda.

Paucis exindè diebus publicata fuit Madriti ea Cenſura & ad valvas Eccleſiæ Sancti Sebaſtiani, inque aliis locis conſuetis affixa: ſed continuò detracta fuit ab emiſſariis eorum qui patiebantur ſuos Theologos impunè in Sanctum Auguſtinum jactare contumelias, nec ferre poterant ut adversùs obtrectatores Auguſtinus defenderetur: eoque factum eſt ut vix ullis notum eſſet, aut editam fuiſſe Cenſuram, aut publicatam; iisque, quorum juſſu & curâ detracta eſſet, facilè foret hominibus perſuadere, neque affixam uſpiam, neque latam fuiſſe. Traditum etiam fuit Patri de los Rios exemplar Cenſuræ authenticum juſſu ſupremi Inquiſitoris.

Fuit è Sancti Auguſtini obtrectatoribus qui auſus eſt lingua petulantiſſima Cenſuram contemnere, ſcriptoque mandare, eam fortè eſſe cenſuram trium quatuorve Theologorum, cui nullus neque dies, neque menſis, neque annus adſcriptus eſſet, quia ſcilicet adſcripti non eſſent in quibusdam exemplaribus in quibus ſatis viſum fuerat propoſitiones ad verbum exprimi, adjunctâ Inquiſitorum ſententiâ.

Eodem hoc anno 1650. editus eſt in lucem à Patre Joanne Adam Jeſuita Gallo cum permiſſione Patris Claudii Delingendes Provincialis, & approbatione trium è Societate Theologorum, liber materna lingua ſcriptus hoc titulo: *Calvinus à ſe ipſo & armis S. Auguſtini, quæ injuſtè uſurparat, jugulatus*, in quo Jeſuita iſte ampliùs audebat quàm omnes Collegæ ſui, eorumque in Auguſtini autoritatem & doctrinam contumeliis addebat: adeò Jeſuitæ animos ab Auguſtino alienos manifeſtabant, ut ſi fieri poſſet, tanto Eccleſiæ lumini tenebras offunderent.

Bartholomæus de los Rios intelligens eos, qui autoritatem Sancti Auguſtini ſubruere nitebantur, quo facilius ſibi deindè eſſet ejus doctrinam aggredi, & errores ſuos conſtabilire, indies magis inſoleſcere, nullâ habitâ ratione Cenſurarum quæ de cætero in paucorum notitiam venerant, ſub initium anni 1651. novum Libellum ſupplicem Inquiſitori generali obtulit, in quo memorabat I. Uti à malevolis & Auguſtino infenſis hominibus avulſa fuiſſent Cenſuræ in 22. propoſitiones latæ exemplaria continuò ut affixa fuerant; quo factum eſſet ut paucis Cenſura nota eſſet, dubiumque foret pleriſque, an decretum ejuſmodi verè fuiſſet editum. II. Fuiſſe ex audacibus illis hominibus quempiam qui paulò ante de ea Cenſura arroganter in ſcripto publico dixiſſet: *Nolite ferre ut Decretis Pontificum opponatur cenſura trium fortè aut quatuor Theologorum, qui proſcripſerunt (quo die? quo menſe? quo anno?) viginti duas propoſitiones, quæ ad doctrinam nihil attinent, ſed eo titulo quòd æqua lance autoritatem Sancti Auguſtini non æſtimarent.* III. Veniſſe in ſuam notitiam ſummâ impudentiâ Joannem Adam Jeſuitam de Sancto Auguſtino penè ut de Calviniano loqui in libro quem anno proximè elapſo ediderat. Quapropter ab Inquiſitore Generali, nomine trium Provinciarum Caſtellanenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis ſupplex petebat, ut ejus juſſu iteratò Cenſuræ in 22. propoſitiones latæ decretum promulgaretur, eaque cura in affigendo adhiberetur, ut neque avelli neque lacerari poſſet; tùm ſibi illius exemplar authenticum traderetur, in quo ad verbum expreſſæ eſſent viginti illæ duæ propoſitiones; ut eo tanquam telo uti poſſet adversùs eos qui auderent decretum illud aut contemnere aut in dubium revocare.

Tunc demùm juſſu ſupremi Inquiſitoris

toris exemplum authenticum Decreti & Censuræ in 22. Propositiones latæ Patri Bartholomæo de los Rios datum est, Rexque à Pontifice per litteras petiit, ut eam Censuram confirmaret, arrogantiamque frangeret eorum qui tam irreverenter de S. Augustino loquerentur. Cum Regis Catholici litteras accepisset Pontifex, atque unà Libellum Memorialem quo petebatur ut Censuram Hispanienſem confirmaret, & S. Augustini autoritatem tueretur, Pontifex eum Libellum ad eos remisit qui ejusmodi rerum examini secreto præfecti sunt.

Verùm, cùm Albizius S. Officii Assessor, ejusque assecla jam à sex annis statuissent omni qua pollebant autoritate obstare, ne quid pro Augustino ejusque doctrina Romæ decerneretur, nisi Theologi Lovanienses, quibus faveret ea censura, illorum votis, de quibus supra, morem gererent, moniti sunt ii ad quos Libellus Memorialis mittebatur, in eo negotio nihil esse præcipitandum: atque ita nihil à Romanis Inquisitoribus pro S. Augustini adversùs obtrectatores illos novos defensione obtineri potuit.

Dum hæc circa XXII. Propositionum Censuram gererentur in Hispania, putavit Pater de los Rios è sua Augustinique re esse de omnibus Generalem sui Ordinis certiorem facere. Ad eum igitur Romæ, ut moris est, commorantem litteras dedit vel exeunte mense Junio, vel Julio ineunte, anno 1650. is erat R. Pater Philippus Vicecomes S. Patris Augustini genuinus filius, studiosissimusque Discipulus. Illis litteris primò docebat de Propositionibus Augustino contumeliosissimis, de capto in Comitiis Provincialibus consilio, deque partibus quæ sibi datæ essent in decreto adversùs hostem communem bello: quas ut impleret se habuisse secretum cum Rege colloquium in quo Rex pollicitus esset se de eo ad Pontificem scripturum; se pariter apud Generalem Hispaniarum Inquisitorem institisse de coercenda obtrectatorum Augustini proterviâ. Tum rogabat enixè ut eandem causam Romæ tuendam ipse susciperet, deferret ea de re querelas ad Pontificem, rogaretque etiam atque etiam, ut præsens & properatum remedium afferret malis quæ Ecclesiæ imminerent, si impunè homines audaces illius autoritatem convellerent, à quo ea vellet ut discerent fideles quid sciendum quidve credendum esset de divina Jesu Christi gratia, mysteriorum nostrorum sanctissimo juxta atque altissimo. Litterarum istarum exemplar in manus meas venit: sed & penes me est autographum Generalis Responsum Romæ 11. Martii 1651. datum, quo & ardens viri pro Augustino studium impensè laudat, & operam suam illi non defuturam spondet ad vindicandas tanti Doctoris injurias. Dignæ sunt utriusque Litteræ quæ non intereant, quamobrem iis inter hujus causæ instrumenta locum dabimus.

Iis receptis Pater de los Rios novos animos sumsit, ad eumdemque Generalem iterum dedit Litteras 20. Maii 1651. exaratas, quibus ardentiori adversùs Augustini obtrectatores zelo succensum se ejus Litteris significat; easdem se cum Provinciarum Superioribus & Magistris communicaturum; paratum se ad Sedem Apostolicam Prosperi exemplo accurrere, remedia tantis malis à Summo Pontifice postulaturum; ex parte Definitorii Ordinis S. Dominici ad suum Generalem scriptum fuisse pro eadem Augustini causa. Has quoque Litteras suo loco repræsentabimus.

Tertiò ad eumdem scripsit simulque misit Propositiones ab Inquisitoribus Hispanis confixas. Hoc discimus ex Responsione Generalis Romæ data 15. Septembris 1651. quàm exhibebimus ad calcem aliorum instrumentorum. Illa porrò docet nos vix aliquid per id temporis à Romanis sperandum fuisse Inquisitoribus. Jam tunc enim fervere incipiebat causa quinque Propositionum, quarum occasione complures Galliarum Episcopi ad summum Pontificem Theologos cum litteris legaverant, qui tuendæ S. Augustini doctrinæ strenuè adlaborarent, instarentque sollicitè apud Apostolicam Sedem. Constat tamen aliundè non incassum prorsùs cecidisse Hispanorum Augustinianorum, Dominicanorumque conatus & litteras, suoque officio non defuisse utriúsque Ordinis Generales. Nam Dominicani Ordinis Præpositus novo per illa tempora Mandato ad omnes Monasteriorum Superiores misso injunxit, ut ab omnibus sui Ordinis Concionatoribus ac Theologis S. Augustini doctrina ubique constanter & intrepidè prædicaretur docereturque. Uterque verò Generalis conjunctim summum Pontificem convenêre, enixisque precibus à sua Sanctitate postulavere, ut crescentem in dies adversùs S. Augustini doctrinam autoritatemque æmulorum audaciam ac proterviam Autoritate Apostolica compesceret

peſceret Tam æquis poſtulatis benignè annuit Pontifex, juſſitque ut peculiari Decreto XXII. Propoſitiones, S. Auguſtini nomini & honori tam contumelioſæ ſine mora proſcriberentur. Sic promiſſa exſolvit Auguſtiniani Ordinis Moderator, qui ultimis illis litteris ſignificaverat, primùm pauliſper à ſcriptis temperandum, cedendumque ad tempus adverſariis: *Deinde Sanctiſſimo Domino ejuſque miniſtris, quorum intereſt, ſupplicandum, ne tam perniciosam peſtem diutiùs ſerpere ſinerent: in quo partes noſtras*, inquiebat, *deſiderare non patiemur*; verùm conatus illos juſſaque Pontificis irrita fecere vafrities arteſque Moliniſticæ.

Poſt illas igitur inducias reſumtis ſcriptorum armis ad Sanctiſſimi Doctoris defenſionem accinxerunt ſe Auguſtiniani agminis ſtrenui pugiles non pauci, *qui magni Parentis partes acerrimè defenſarunt.* (Magni Noriſii verba uſurpo) *Pater Carolus Moreau Gallus, qui Tomo I. ſuarum in Tertullianum Animadverſionum ſatis prolixas vindicias pro Auguſtino inſeruit: quòd itidem præſtiterat Vir inſignis Joannes Rivius Belga libro 4. de Vita Auguſtini.* Non ſatis fuit Patri Moreau Auguſtinum à calumniis vindicare, ſed inſuper *ad inveſtigandam in ſublimioribus profundioribusque Theologicæ diſciplinæ quæſtionibus Auguſtini mentem, præferentibus facem Ægidio Romano & Gregorio Ariminenſi, animum applicuit, aliiſque ut idem facerent autor fuit.* De utroque viri opere egregio certiores nos facit, ejuſdem Reverendiſſimi Patris Philippi Vicecomitis Auguſtinianorum Generalis ad eum ſcripta Epiſtola Romæ 24. Februarii 1653. quâ illum meritis laudibus proſequitur pro defenſis & illuſtratis S. Parentis ſui ſcriptis, autoritate ac veneranda memoria. Hanc Epiſtolam pariter cum aliis excuſam habebit Lector in ſequentibus.

Noriſius Præfat. Vindiciar. Auguſtin.

Verùm omnes illos Auguſtini Defenſores longo poſt ſe intervallo reliquit Eminentiſſimus nunc Cardinalis Noriſius in illo immortali Opere quod Sanctiſſimi ſui Patris honori vindicando conſecravit, ac publicavit typis Patavinis, hoc titulo: *Vindiciæ Auguſtinianæ, quibus S. Doctoris ſcripta adversùs Pelagianos ac Semipelagianos à Recentiorum Cenſuris aſſeruntur: Autore P. M. Henrico de Noris Veronenſi Auguſtiniano S. Theologiæ Profeſſore & S. Romanæ univerſalis Inquiſitionis Qualificatore:* cujus operis condendi primam occaſionem ſi curioſiùs inquiramus, conſtabit eam fuiſſe Libellum illum ſupplicem Innocentio Papæ X. à Lovanienſibus Theologis anno 1644. oblatum: ex quo decerptæ duæ & viginti illæ Propoſitiones Sancto gratiæ Doctori injuriæ & per Hiſpaniam vulgatæ, Auguſtinianorum animos ad ſui Parentis defenſionem inflammarunt.

DECRETUM ET CENSURA

Ex Hiſpano idiomate latinè redditum.

Inquiſitionis Valliſoletanæ in viginti & duas Propoſitiones.

SANCTO AUGUSTINO contumelioſiſſimas.

Nos Inquiſitores Apoſtolici contra hæreticam pravitatem in Regno Caſtellano, Legionenſi & Principatu Aſturienſi per autoritatem Apoſtolicam &c. commorantes in hac Civitate Valliſoletana, omnibus & quibuscumque perſonis commorantibus aut habitantibus in omnibus Civitatibus, pagis & locis noſtri diſtrictus, qualiſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ cujuſcumque; exemtis & non exemtis: unicuique & qualicumque, qui in notitiam devenerint eorum quæ in hoc præſenti mandato continentur, Salutem & Benedictionem.

Vobis notum ſit ſacræ Inquiſitionis Decreto revocatas eſſe & prohibitas viginti duas Propoſitiones doctrinæ Sancti Auguſtini contrarias, quæ inſertæ fuerunt Memoriali ſuæ Sanctitati oblato, quarum prima eſt, *Auguſtini quædam dogmata &c. p.* 232. poſtrema verò hæc, *Non rectè dicitur &c. p.* 233. quia præfatæ Propoſitiones ſunt reſpectivè falſæ, improbabiles, abſurdæ, maleſonantes, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, ſapientes hæreſim, & graviter injurioſæ Sanctitati, pietati, & doctrinæ glorioſiſſimi Patris Sancti Auguſtini unius ex Eccleſiæ columnis.

Ideò tenore præſentium mandamus omnibus & unicuique veſtrûm, qualiſcumque ſit, qui penes ſe habent aut ſcripta aut libros, ſive manu-ſcriptos ſive impreſſos, qui hoc noſtro mandato contineantur, ut poſthac nemo audeat habere, legere, vendere aut imprimere, ſed potiùs quotquot habitatis in hac Civitate, feratis nobis; ii verò qui foris habitant, ferant noſtris commiſſariis. Atque ita facite, obſervate, & executioni mandate ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ poſt tres monitiones canonicas, & viginti millium *maravedis* pro expenſis

Sancti

Sancti Officii : cum præventione quòd procedetur ad declarationem & executionem harum censurarum & pœnarum, & in omni juris rigore contra non exequentes aut rebelles & inobedientes. Datum in sancto Officio Inquisitionis Vallisoletanæ. 28. Martii 1650.

Signatum,

Dom HENRIQUEZ DE PERALTA ET CARDENAS, *Doctor.*
Dom ALONSO LIANO DE BUELNA, *Licentiatus.*
Dominus BARTHOLOMÆUS MARCHIO DE MOSCOLSO.

De mandato Sancti Officii Inquisitionis

Dom FERNANDO MARTINEZ ZUNIGA *Secretarius.*

Ego Commissarius sancti Officii fidem facio hoc Decreti exemplar conforme esse originali, decretumque hoc Sacri Tribunalis Vallisoletani in primaria Burgorum Ecclesia lectum fuisse per Franciscum Alvarez de Castro sancti Officii & præfatæ Civitatis Notarium quodam die Dominico quadragesimæ proximè elapsæ anni 1650. coram Decano & Canonicis, testibus Jac. de Arriaga pa. de la Mota, & Francisco Perez de Cuillar, præfatæ Ecclesiæ Janitoribus, in cujus rei fidem signavi nomine proprio apposito, Burgis Calendis Martiis 1651.

Dom PEDRO MIGUEL *Doctor.*

DECRETUM ET CENSURA

Ex Hispano idiomate latinè redditum.

INQUISITIONIS GENER. HISPANIARUM

adversùs duas & viginti Propositiones

SANCTO AUGUSTINO

perquam injurias.

Illustrissimus Dominus Episcopus Placentinus, Inquisitor Generalis cæterique sanctæ Inquisitionis generalis Consiliarii Regii, deliberatione habitâ 18. Martii 1650. Decretum ediderunt, quo in forma consueta prohibent & proscribunt viginti duas Propositiones sequentes 1. *Augustini quadam dogmata &c.* p. 232.

Quia præfatæ Propositiones sunt respectivè falsæ, improbabiles, absurdæ, malesonantes, piarum aurium offensivæ, temerariæ, erroneæ, sapientes hæresim & summopere injuriosæ sanctitati, pietati, & doctrinæ unius ex Ecclesiæ Catholicæ Columnis, scilicet Glorioſissimi Patris Sancti Augustini.

Libellus Memorialis continens nomina & loca Autorum quorum Propositiones XXII. Sancto Patri nostro Augustino contumeliosè per Hispaniam disseminantur.

Ex Propositionibus XXII. suæ Sanctitati in Memoriali exhibitis, Joannes Schinkelius, Sacræ Theologiæ Lovanii Professor, docuit & discipulis dictavit 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 10. 11. & 12.

Septima, octava & 22. leguntur in Libro Patris Joannis Roberti Jesuitæ, cui titulus est: An Nathanaël fuerit Bartholomæus Apostolus?

Decima tertia, 18 & 19. sunt Gabrielis Vasquesii? Prima quidem t. 1. in 1. 2. disp. 132. c. 3. n. 14. Secunda verò t. 1. in 1. p. Disp. 97. c. 3. n. 20. Tertia denique t. 2. in 1. 2. disp. 193. c. 4. n. 39

Decima quarta, 15. 16. & 17. sunt Ludovici Molinæ; prima in tractatu *De opere sex dierum.* disp. 1. Secunda in Concordia q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. Tertia ibid. memb. ult. Quarta ibid. memb. 6.

Vigesima, & 21. excerptæ sunt ex Articulis n. 12. & 20. Jesuitarum Lovanienſium, Censurâ notatis ab Universitatibus Lovanienſi & Duacensi a. 1587. & 1588. nam prior continetur in Articulis 14. & 15. in verbis, *Cum Grano salis* &c. item *valdè impropriè*: Junctis iis quæ tradit Lessius de præd. & reprobat. sect. 4. n. 43. Posterior continetur in art. 23. his fialibus verbis: *Quod si contraria sententia esset Augustini non admodùm referret.*

MEMORIALE

Regi Catholico oblatum per Reverendum Patrem

BARTHOLOMÆUM DE LOS RIOS

AUGUSTINIANUM 18. Junii. 1630.

REX

Pater Magister Bartholomæus de los Rios apud Regiam Tuam Majestatem Verbi Divini Concionator, & Primarius in hac Castellanensi Provincia Ordinis

Ordinis Sancti Auguſtini Definitor, ex mandato & nomine tum præfatæ, tum Andaluſienſis & Tarraconenſis Provinciæ, exponit prædictas Provincias, perpenſo bello pudendiſſimo, quod apertis ſignis Sancto Patri noſtro Auguſtino quidam Eccleſiæ filii inferunt, eâ audaciâ tanto dolore affectas fuiſſe, ut prævidentes incendia quæ ab illis ſcintillis timenda ſunt, mala ingentia quæ toti Eccleſiæ præſagiuntur, & pericula Reipublicæ Chriſtianæ imminentia, exiſtimarint officii ſui eſſe id claris verbis Majeſtati veſtræ manifeſtare, ut remedia opportuna adferre velit tantis malis quæ Sancti Auguſtini Ordinem dedecorant, glorioſum ejus Patrem contumeliâ afficiunt, & in Eccleſiæ ruinam vergunt. Id manifeſtum faciunt tot ignominioſæ contumeliæ ab iis in ſanctum Doctorem jactatæ quas hic ſubnectimus, nempe:

„ „ Auguſtini quædam dogmata ab „ Apoſtolica Sede in terminis eſſe damnata.
„ Miſeram fore Eccleſiam, ſi Auguſtini „ placitis obſtricta maneret.
„ Ex Auguſtini opinione de peccato „ originis, cogi nos incidere in ſententiam „ Pelagii.
„ Eccleſiam à tutela & Pædadogia Au„ guſtini eſſe vindicandam.
„ Auguſtinum ſacrarum Scripturarum „ autoritatem ſua expoſitione enervare, „ & ludibrio infidelium exponere.
„ Auguſtinum fuiſſe Doctorem perinde „ ac alium quempiam etiam modernorum.
„ Auguſtini ſententiam à multis duram „ nimis, indignamque divina bonitate ac „ clementia judicari non mirum
„ Auguſtinum Juliani Pelagianiſtæ ar„ gumentis non ſatisfeciſſe.
„ Non eſſe citandum è pulpitis Sanctum „ Auguſtinum, quia ejus nomen in odio ſit.
„ Theologiam Sancti Auguſtini de pec„ cati originalis traduce, eſſe ruſticanam: „ pluresque aliæ ejuſdem generis contumeliæ.

Qui talia effutiunt, poſſunt ne, Rex, ignorare Sanctum Auguſtinum (Patrem noſtrum) eſſe præcipuum Eccleſiæ firmamentum; quando ejus doctrinâ atque armis, quæ ejus ſcripta ſuppeditant, debellatæ ſunt omnes hæreſes, quæ ab ipſius ætate in hæc uſque tempora prodierunt; atque ex doctrina, ex verbis, & ſententiis ejus Eccleſia Catholica in Conciliis œcumenicis canones ſuos & decreta formavit. Immò Cœleſtinus I. Pontifex in Sancti Auguſtini laudem ſcripſit, Nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit, ſed inter Magiſtros optimos ſemper eſt habitus. Et Joannes II. *Sancti*, inquit, *Auguſtini doctrinam ſecundùm prædeceſſorum meorum Statuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.* Non breve aliquod Memoriale, ſed libri & volumina ingentia impleri poſſent laudibus & encomiis quibus ſummi Pontifices, Concilia œcumenica, & autores Catholici celeberrimi Sanctum Auguſtinum eximium Eccleſiæ Doctorem celebrant. Si verò communis omnium fidelium de eo ſententia & exiſtimatio quæratur, omnium una erit reſponſio, ab eo lædi oculorum Eccleſiæ pupillam, qui de S. Auguſtino malè loquatur.

Et quoniam ea erat Cœleſtini I. mens & cogitatio, hæc verba, quorum ſummum momentum eſt, ſcribere non dubitavit: “ Benè ergò de eo omnes in commune “ ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & “ amori fuerit & honori. Unde reſiſtatur “ talibus, quos malè creſcere videmus. Ne“ fas eſt hæc pati religioſas animas. „ Eo“ dem animo Sanctus Proſper in eos qui malè de S. Auguſtino loquebantur, hæc dicit: *Non ergo negligendum eſt hoc malum, quod ab occultis praviſque ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo latiùs longiuſque diſtenditur; ſed ſtudendum eſt, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocriſis detegatur, qui ex ipſa injuriæ magnitudine, quam in uno cunctis ac præcipuè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus, intulerunt.*

His de cauſis præfatæ Provinciæ, ac in primis Caſtellanenſis, ſingulari Religionis ſtudio & ardore animata, in ultimis Comitiis Provincialibus, quæ menſe Maio proximè elapſo habita ſunt, congregata, prævidens etiam incendium quod totum pervaſurum eſt Eccleſiam, ingenteſque tumultus qui univerſæ Reipublicæ imminent, ſtatuit ſine mora ſuſcipere defenſionem S. Auguſtini inclyti Patris noſtri, qui eſt Eccleſiæ Catholicæ murus invictiſſimus, armorumque adversùs hæreticos armamentarium opulentiſſimum. Quoniam verò viſum eſt nullum eſſe remedium aut levius, aut placidius aut præſentius ad tanta mala avertenda, quàm ſi ad Regiæ Majeſtatis autoritatem confugeret, præfatus Orator ſupplex à Te, Rex, qua poteſt animi demiſſione efflagitat, nomine Caſtellanenſis Provinciæ aliarumque ante dictarum, ut tituli ſingularis protectoris Eccleſiæ, officiique ex eo titulo manantis memor, autoritatem regiam apud Sedem Apoſtolicam interponas, datiſque ad Pontificem litteris enixè poſtules, ne pati-

patiatur cum ſummo Eccleſiæ damno atque fidelium offenſione labefactari aut deſpici Sancti Auguſtini autoritatem; ſed potiùs coerceatur eorum inſolentia, qui Sancto Doctori audent contumeliam facere. Id ſi à Te, Rex, quem Deus ſoſpitet, obtinuerit nomenque & autoritatem regiam interponere volueris, ut inultæ non ſint factæ Sancto Auguſtino injuriæ, Divus ille & univerſa Beatorum turba pro Te decertabunt. Quando Sanctus Auguſtinus præcipuus fuit defenſor gratiæ, quæ teſte Divo Joanne Chryſoſtomo, omnium bonorum parens eſt, impetrabit à Deo Sanctus Doctor Majeſtati Tuæ copioſos gratiarum theſauros, quæ Te, ubi opus erit, tueantur, & in rebus adverſis protegant. Propone Tibi, Rex, in exemplar Majorum tuorum in Sanctum Auguſtinum amorem. Præclara in eum amoris ſigna edidit Margarita Auſtriaca Regina in Regio Incarnationis Monaſterio. Quid Philippus tertius Rex piiſſimus? qui tanto affectu animi ac ſtudio egit apud ſanctam Sedem, ut Sancti Auguſtini Patris noſtri feſtum tota Hiſpania celebraretur? Atque ita, Rex, non magis Regnorum ejus hæres es quàm virtutum & pietatis in Sanctum Auguſtinum, qua eum colas & tuearis.

Id ſummo ſtudio exoptant hîc apud Te, Rex, ſupplices, id enixiſſimè & ea qua poſſunt maxima animi demiſſione efflagitant, denique id expectant Tuæ pietati religionique conſiſæ Provincia Caſtellanenſis, ceteræque &c.

SCRIPTUM

In quo proponuntur Rationes & Fundamenta quibus nititur Liber Memorialis à Patre

BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS

REGI CATHOLICO

Nomine trium Provinciarum Caſtellanenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis, Ordinis Eremit. S. Auguſtini.

Propoſitiones Sancto Auguſtino injuriæ, quæ in Libello memoriali Regi oblato referuntur, ferè omnes ex aliis pluribus ſelectæ fuerunt. Viginti illæ duæ, quæ per Hiſpanias ſparſæ ſunt, & quæ in manibus multorum verſantur, in meas etiam venerunt. Eas perlegi cum ſumma indignatione, ſummoque dolore, cum videremus in iis indigniſſimè & contumelioſiſſimè haberi Sanctum Patrem noſtrum Auguſtinum, Eccleſiæ Solem, Doctorumque Coryphæum.

Sed cùm non deſignarentur XXII. illarum Propoſitionum Autores inquiſivi ſi fortè reperiri poſſet qui majorem Propoſitionum illarum autorumque notitiam haberet. Tandem comperi duodecim ex illis reperiri in variis variorum autorum libris, decem reliquas traditas fuiſſe & dictatas Lovanii à Joanne Schinkelio, illius Academiæ Doctore Theologo: qui cùm ferre non poſſet tantam à quibusdam Theologis de Sancto Auguſtino exiſtimationem, tùm voce tùm ſcriptis ſignificari, aut ei tantam autoritatem attribui, aut eum in divinæ gratiæ doctrina arbitrum ſtatui, putavit à ſe nihil fieri poſſe ad placita ſua, quæ aliorum placitis adverſa erant, tuenda opportunius, quàm ſi ita de Auguſtino loqueretur. Atque ita ut quod cogitabat in Auguſtinum, cujus autoritatem evertere meditabatur, perficeret, ſterneretque ſibi eo pacto viam ad evertendam autoritatem eorum quos ipſe adverſarios, Auguſtinus verò defenſores habebat anno 1643. & 1644. cœpit diſcipulis ſuis in ſcholis Lovanienſibus dictare tractatum hoc titulo, *De autoritate Sancti Auguſtini*, in quo tanto cum contemtu de Sancto Auguſtino loquebatur, ut in eo omnem hæreticorum inſolentiam ſuperaret. In eo tractatu quaſdam è contumelioſis hiſce & plenis offenſionis Propoſitionibus ad verbum tradidit: alias in variis diſputationibus publicis pronuntiavit, loquens de Viro illo Sancto cum deſpectu & faſtidio coram cæteris Doctoribus, cætúque auditorum frequentiſſimo: atque id arrogantiâ tam inauditâ ab eo factum refertur, ut Univerſitas Lovanienſis pro eo quo eſt, fuitque ſemper in Sanctum Patrem noſtrum Auguſtinum, quem pro Magiſtro habet & veneratur, ſtudio & amore, illius Doctoris tractatum orationemque ſuperbam reprobarit. Verum nihil id valuit ad aliorum quorundam obtrectatorum audaciam furoremque reprimendum.

Ea peſtis Pariſios uſque graſſata eſt, ubi Eccleſiaſtæ famâ celeberrimo crimini datum eſt, quod in ſuggeſto frequentiùs autoritatem S. Auguſtini allegaret; monituſque eſt ne id deinceps factitaret, hac addita ratione, quòd Auguſtini nomen jam in odium veniſſet. Tùm alius quidam & ſcripſit & voce effutiit contumelias alias quæ ſine horrore referri non poſſunt. Porrò omnes ſimul conjunctæ

in variis exemplaribus hic disseminantur.

Quandò autem argumentis certissimis cognovit illustrissimus Dominus Inquisitor Generalis ea quæ Lovanii gesta sunt, & de cæteris Propositionibus quæ in libris impressis leguntur, nullum est dubium, si tres Provinciæ Castellanensis, Andalusiensis & Tarraconensis à Rege petierint, ut rem illam ad Inquisitionis tribunal remittat, præcipiatque ut Propositiones tam offensionis plenas proscribant, mandentque ut ex omnibus libris sive editis, sive manu-scriptis in quibus sint, expungantur; videtur satis fore ea quam de his habet notitiam supremus Inquisitor, adstipulante eâ quæ Regi datur per Scripta Memoriali ipsi oblato adjuncta.

Quamquàm etiam verum sit Inquisitores Vallisoletanos primos fuisse in proscribendis præfatis Propositionibus, quia nulla ratione ferri possent, quin unà tantus Ecclesiæ Doctor Sanctus P. N. Augustinus summâ injuriâ afficeretur, universique fideles offenderentur; Castellanensis, Tarraconensis & Andalusiensis Provinciæ censuerunt filiorum esse nomen & autoritatem Patris communis tueri, statueruntque à Rege petere, quandoquidem sit Ecclesiæ Defensor, mandare velit, ut non solùm censurâ meritâ notentur illæ 22. Propositiones, sed etiam ut ex omnibus libris tum editis, tùm manuscriptis, & ubicumque locorum sint, expungantur.

Præterea cum gliscat in dies hoc incendium, meritoque timendum sit ne magnam Ecclesiæ partem corripiat, non potuit excogitari à præfatis Provinciis præsentius remedium ad obstruenda calumniatorum ora, sistendaque unâ operâ tanta mala, quàm si supplices à Rege peterent nomen suum & autoritatem interponere vellet apud Pontificem, ut ille antecessorum suorum exemplo, & inprimis Zozimi, Innocentii I. Bonifacii & Cœlestini, quorum meminit Sanctus Prosper in libris adversùs Collatorem, & ex boni Pastoris officio, hominum istorum ferocitatem & arrogantiam comprimeret coerceretque: præsertim tempore hujusmodi quo ob magnam variarum hæreseon copiam, necesse est suam Sanctis Patribus in Ecclesia reverentiam conservari; eorum enim autoritate collapsâ nihil ferè superest quo hæretici aut confundantur, aut ad Ecclesiæ Unitatem Sedisque Apostolicæ reverentiam revocentur.

Eo pacto dum Ecclesiæ filii Sanctorum Patrum doctrinam vilipendunt, arma ad conjuratos Ecclesiæ hostes debellandos validissima projiciunt, lataque aperitur via ad errores omnes disseminandos, dum cuilibet permittitur libertas in rebus Theologicis opinandi & docendi quæ in mentem venerint, quo nihil esse potest periculosius, quandoquidem & fides perpetuò periclitabitur, & ad omnes hæreses aditus datur potentissimus.

I. MEMORIALE

INQUISITIONI GENERALI

OBLATUM

A R.P. BART. DE LOS RIOS

25. *Junii* 1650.

ILLUSTRISSIME DOMINE

Pater Magister Bartholomæus de los Rios, Regius Ecclesiastes, & Primarius hujus Provinciæ Castellanensis Ordinis Sancti P. N. Augustini Definitor, supplicat demississimè nomine dictæ Provinciæ, item Andalusiensis & Tarraconensis, petitque ut sibi tradi præcipias exemplum authenticum Decreti & Mandati quod à te jussum est promulgari in omnibus Hispaniarum Inquisitionibus, quo proscriptæ sunt 22. Propositiones quæ temerè & cum offensione fidelium sparsæ fuerunt ab inimicis catholicæ, sanctæque Doctrinæ Sancti Patris nostri Augustini, quæ à Sede Apostolica, à Conciliis œcumenicis & ab autoribus Catholicis probata & magnis encomiis celebrata fuit. Ea encomia tam multa sunt tamque vulgata, ut importunum esset ea à me referri: suppliciterque nomine antedictarum Provinciarum orat, non solùm jubeas sibi exemplum authenticum Decreti vestri & Mandati tradi, verùm etiam sibi liceat illud prelo committere, ut dictarum Provinciarum Conventus id in Tabulariis suis asservare possint. Cùm enim illæ Propositiones non in Hispania procusæ sint, sed allatæ è Regionibus in quibus hujus Sacri Tribunalis Censura nullam vim habet, justa causa est metuendi, ne quas tam pulchro & sancto exemplo extinxistis scintillas, eæ novo ausu accendantur. Merces vestra esto Dominus Deus noster.

EPISTOLA

R. P. BARTHO. DE LOS RIOS

AD PATREM THOMAM FIGUEROLA

Provinciæ Tarraconenſis Provincialem

JESUS. AVE MARIA.

ADMODUM REVERENDE PATER

Cum tueri autoritatem magni Patris noſtri Auguſtini pertineat ad cauſam communem omnium Provinciarum Ordinis noſtri, quas inter Tarraconenſis Virorum & ſanctitate & ſcientia & nobilitate illuſtris eſt: huic Caſtellanenſi Provinciæ placuit; ut ſuo & Andaluſienſis & Tarraconenſis nomine ſupplicarem Regi, Illuſtriſſimo Domino Inquiſitori Generali, aliiſque Miniſtris quorum eſt ſedare funeſtum bellum quod hoc miſerrimo ſeculo Beato Patri noſtro Auguſtino indictum eſt ab iis, qui ut placita ſua tueantur, aggreſſi ſunt eam doctrinam evertere, quæ eorum conſiliis adverſa ſit. Rex, quem Deus ſoſpitet, me ad colloquium ſecretum admiſit, in quo remotis arbitris liceret mihi magis dilucidè exponere ea quæ hocce Memoriali, quod cùm his litteris mitto, continentur; quamvis quædam ſatis fusè ibi explicem, aliquas è Propoſitionibus ei non ſine lacrymis recitavi. Princeps, ut eſt piiſſimus, auditis iis quæ adversùs glorioſum Patrem noſtrum fiebant, animo commotus, promiſit ſe ea de re ad Pontificem quamprimùm ſcripturum, petiitque ſibi omnia probari certis argumentis, quæ firmata eſſent autoritate Rectoris Academiæ Lovanienſis, Notariorumque publicorum & Eccleſiaſticorum, qui jurati affirment ſe id vidiſſe & audiſſe. Hinc nobis certa ſpes eſt Regem glorioſi Patris noſtri partes amplexurum. Illuſtriſſimus Dominus Inquiſitor Generalis eadem pollicitus eſt. Porrò inſtiti ut non ſolùm proſcriberentur dictæ Propoſitiones, verùm etiam ut ex libris, in quibus eſſent, expungerentur, quod longè acerbius adverſariis accidet, majoremque autoritatem Cenſuræ conciliabit. Mitto tibi, admodùm R. Pater, Memoriale quod Regi obtuli, exemplumque Memorialis quod ab Oratore Univerſitatis Lovanienſis ſummo Pontifici oblatum eſt, & Judicium Inquiſitionis Valliſoletanæ, Valliſoleti & Burgis promulgatum. Te verò, admodùm R. Pater, obſecro atque obteſtor ut, quando Dei Providentia in ea Provincia eminentiſſimum locum tenes, novæ Carthaginis, Valentiæ & trium reliquorum Regnorum Inquiſitores orare velis, non tantùm ut Cenſurâ meritâ præfatas Propoſitiones notent, ſed etiam excommunicationem interminando mandent, ut è libris in quibus ſint, expungantur. Ea eſt eruditio tua, admodùm R. Pater, ut exiſtimem eas tibi eſſe exploratas: ſi tamen opus ſit, nomina Auctorum, librorumque in quibus reperiuntur, tranſmittam. Porrò ſi quid ſit quod videatur tibi, R. P. à me poſſe in eo fieri ampliùs, jube modò, & animo libentiſſimo parebo. Tibi R. P. Deus Opt. Max. ſit propitius. Madriti è Conventu Sancti Philippi 2. Julii 1650.

Reverentiæ tuæ

Servus demiſſiſſimus

F. BARTHOLOMÆUS DE LOS RIOS.

EPISTOLA

Primum ex Hiſpanico in Gallicum, tum è Gallico in Latinum verſa.

R. P. PETRI DE PERREZ

Provincialis Andaluſienſis

A D

R. P. BARTHO. DE LOS RIOS.

ADMODUM REVERENDE PATER,

Litteras tuas datas ad me 28. menſis præteriti cum ſcriptis adjunctis jamjam accipio, quâ de re ago gratias. Non potui ſine dolore acerbiſſimo intelligere quâ inſolentiâ atque impietate doctrina Sancti Patris noſtri impetatur. Sed cognito te, R. P. inter ejus filios tanto animo virum, cauſam ejus defendendam ſuſcepiſſe; tres hæ Provinciæ atque inprimis noſtra ſingulari lætitia affecta eſt, certa ſpe concepta negotium illud ſic à te confectum iri, ut inde honor & gloria ad Sanctum Auguſtinum, ad ejus Filios ſumma utilitas redeat.

De iis quæ adhuc acta ſunt, nihil eſt quod à te R. P. ampliùs, aut à ſupremo Inquiſitionis Tribunali peti poſſe videatur. Si eâ Cenſurâ, quâ dignæ ſunt Propoſitiones illæ, notentur atque aliquæ earum quæ in libris aut ad verbum aut verbis æquipollentibus ſunt, ſi quæ tamen ſunt, expungantur; eo facto

&to, meâ quidem ſententiâ, id quod petebamus, conſecuti ſumus. Quòd ſi factum fuerit à ſuprema Inquiſitione, non eſt dubium quin ejus exemplum ſequantur Inquiſitiones Regni Andaluſienſis & Burgenſis. Si verò per nos ipſos negotium illud apud hos Inquiſitores aggrediamur, metuo ne ipſi rebus noſtris moram afferamus: non enim deerunt, qui clandeſtinis machinationibus votis noſtris obſtent & negotium tardent; præſertim cùm nonnullæ ex illis Propoſitionibus ſint in libris qui in manibus omnium ſunt. Autores enim metuentes ne proſcribantur, expunganturque è libris ſuis, contendent ſaltem ut differatur judicium. At nulla eſt moles quæ ſuſtineat impetum torrentis qui à ſupremo Tribunali deſcendat.

Propter peſtem in quibuſdam Andaluſiæ locis graſſantem nulla eſt libertas itinerandi, nec eſt facile Conventibus inter ſe communicare. De quo te certiorem facio, R. P. quòd eâ cauſâ jam expediri non poſſit Librorum tuorum negotium. Si Deus velit has ſcintillas extinguere, curabitur diligenter quidquid è re tua fuerit. Quàm utiles erunt libri tui omnibus Provinciæ Religioſis! Tanti mihi ſunt quanti eſſe debent litteræ tuæ, meque per eas à te, R. P. ſingulari honore affectum eſſe judico. Velim mihi offeratur occaſio benefaciendi tibi, reque monſtrandi nihil eſſe quod tuâ cauſâ non faciam. Deus Opt. Max. te ſoſpitet. Datum 5. Julii 1650.

ADMODUM REVERENDE PATER

Manus tuas exoſculor, méque præ omnibus ſervum tuum eſſe profiteor.

F. PETRUS DE PERREZ.

EPISTOLA

R. P. THOMÆ FIGUEROLA PROVINCIALIS TARRACONENSIS

AD

R. P. BARTHO. DE LOS RIOS

Redditæ ſunt mihi & perlectæ litteræ tuæ, R. P. quas per novam Carthaginem ad me dediſti poſtridie Kalendas hujus menſis, miſeriamque cognovi eorum qui temerè & inſolenter Sancti Patris noſtri Auguſtini doctrinæ contumeliam fecere. Si antea res illæ ſingulatim non erant mihi perſpectæ, jam ita ſunt ut cum iis quorum intereſt agere poſſim. Te ſolùm certiorem facio ab hujus Inquiſitionis (Tarraconenſis) Tribunali datum eſſe Decretum ad Kalendas Apriles, & in locis omnibus ſolitis promulgatum, quo viginti duæ Propoſitiones proſcribuntur tanquam falſæ, improbabiles, abſurdæ, male-ſonantes, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, erroneæ, ſapientes hæreſim, & in ſanctitatem, pietatem, doctrinamque glorioſiſſimi Patris noſtri Auguſtini, Inclyti Eccleſiæ Columinis, perquam contumelioſæ. Quod ex nomine omnium Provinciarum Hiſpanienſium à Rege precatus es, ut autoritatem ſuam apud Pontificem interponeret ad eam cauſam defendendam, quam tot titulis in Memoriali tuo commemoratis tueri debet, à te prudentiſſimè factum eſt. Ea eſt enim cauſa communis totius Eccleſiæ, quam & ſocietates omnes, & privatus quiſque adversùs calumniam tam exſecrandam defendere teneatur. Curabitur hic diligentiſſimè quòd opus erit, ut quod cœptum eſt negotium adversùs tantos fidei, Sanctique Patris tot meritis conſpicui hoſtes, benè geratur. Obſecro te, R. P. ut quantum in te erit eam rem curare pergas, quemadmodum filium, cujus intereſt, decet; præſertim cùm proximus fonti ſis è quo haurienda ſit aqua ad extinguendas tam pernicioſarum hæreſum flammas idonea; nec tibi novum ſit aut inſolitum res ejuſmodi agere, in quibus te jam dudum in Belgio exercuiſti. Precor à Deo Opt. Max. ut tibi, R. P. animum vireſque ſuppeditet ad perficiendum id quod Eccleſiæ Catholicæ ſtudio & amore ſuſcepiſti; tùm integram valetudinem, diuturnam vitam, honorem pro tuis meritis votiſque meis largiatur. Vale. 3. Idus Julii 1650.

R. PATER

Manus tuas exoſculor, ſumque addictiſſimus tibi Servus

F. THOMAS FIGUEROLA *humilis Provinc.*

EPIS-

EPISTOLA
R. P. THOMÆ FIGUEROLA
Provincialis Tarraconensis
AD R. P. BARTHOLOM. DE LOS RIOS.

Mitto hoc scriptum ad te, R. P. ex quo intelliges causas quas putavi tibi à me esse exponendas, quæque venerunt mihi in mentem postquam de his rebus conferre contigit. Videtur certè mihi ad Rempublicam pertinere quod R. T. propono, deindè ad materiam de qua agitur, & ad Religionis autoritatem firmandam conducibilius. Te, R. P. Deus Optimus Maximus in multos annos salvum & incolumem servet. Sic voveo Valentiæ VII. Kal. Aug. 1650.

REVERENDE PATER

Manus tuas exosculor, sumque addictissimus tuus famulus

F. THOMAS FIGUEROLA *Provinc. humilis.*

CAUSÆ ET RATIONES,

Ob quas supersedendum sit denunciatione & expostulatione apud Tribunal Inquisitionis, omnique alia testificatione doloris de Propositionibus à R. T. productis cùm in Memoriali summo Pontifici anno 1644. oblato nomine Universitatis Lovaniensis, tum in eo quod à R. P. T. Regi, quem Deus sospitet, oblatum est nomine Provinciarum Hispanensium, tanquam Sancto P. N. Augustino ejusque doctrinæ adversis, sunt hæ sequentes.

Prima, quòd manifestum sit querelas, quas quidam vellent nomine totius Ordinis deferri, proficisci ab Universitate Lovaniensi, cujus Doctores & Professores signis apertis Societati Jesuitarum bellum inferunt, palàm se illorum hostes professi, propterea quòd ægrè ferant proscriptas fuisse Propositiones Michaëlis Baii in istâ Academiâ Doctoris & Professoris, existimantes Jesuitas esse præcipuos illius Judicii Autores, quòd eorum sollicitationibus & impulsu esset latum: ut item Censuram multarum aliarum Propositionum à supremis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. proscriptarum, ut videre est in Bullis super eo editis & insertis Bullæ Urbani VIII. an. 1641. cujus infra mentionem faciam.

Ad hæc novum odium in Societatem Jesuitarum conceperunt ex proscriptione Libri Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis; qui liber posthumus erat, & ab executoribus Testamenti præfati Cornelii Jansenii in lucem editus sub hoc titulo: *Augustinus*. Is liber proscriptus fuit, quia illius Autor inter multa dogmata quæ ut propria tuebatur, innovabat multas Propositiones Michaëlis Baii, quæ in eo proscriptæ fuerunt; quamquàm jam ante Censurâ notatæ fuissent à summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. ut videre licet in Bulla Urbani VIII. edita 5. Martii anno 1641. Has ille Propositiones confirmabat quibusdam Sancti Augustini sententiis perperam acceptis, eo consilio ut demonstraret doctrinam Jesuitarum contrariam esse Sancti Patris nostri Augustini placitis, atque ea ratione eos in invidiam vocaret.

Theologi Lovanienses altum servarant silentium dùm vixit Urbanus VIII. post proscriptum librum Jansenii. Illo verò è vivis sublato & Innocentio X. in locum ejus suffecto, continuò 4. Novembris anno 1644. obtulerunt ei Memoriale quod à R. T. mihi transmissum est, quod adhuc à Pontifice contemtum fuisse, nobis compertum est, ea fine dubio de causa quòd non ignoraret eam accusationem & conquestionem à Theologis Lovaniensibus profectam esse, ortumque ducere ex simultate quæ inter eos & Jesuitas jam dudum intercessit: quod certo argumento est, eas esse plenas fraudis & calumniæ. Si enim ita se res habuissent, ut ipsi aiebant, à Pontifice sine dubio edictio emanasset pro Sancto Patre nostro Augustino, qui tam præclarè de Ecclesia meritus sit. Itaque si per sex annorum spatium post oblatum ipsi præfatum Memoriale, id ab eo factum non est, certissimè hinc conficitur, Pontificem id quod in eo continebatur habuisse pro fallacia; quæ adornata esset à Jesuitarum adversariis: quâ suspicione laborant vehementissimè Theologi Lovanienses.

Dum jam vident inutiles fuisse fraudes suas tentaverunt iisdem Memorialibus, iisdemque Propositionibus Sancti P. N. Augustini filios adducere, ut ejus doctrinæ defensionem susciperent, quippe quorum maximè interesset: atque ad hanc rem Patres Dominicani administros adhibent, qui alios religiosos Ordines sibi adjungere omni cura & labore studeant, ut universi in unum veluti corpus adunati fortiùs Jesuitarum impetum sustineant, eorumque

rumque doctrinam & Scriptores in invidiam adducant. Revoca in memoriam, R. P. ea quæ eo consilio abhinc paucis annis ab iis facta sunt. Missus est ab Universitate Lovanienſi Doctor legatus ad Universitates Hispanienses, qui peteret ut facto fœdere vires jungerent, & in unum corpus coirent: idque re ipsa factum est, & adversùs Jesuitas eorumque doctrinam inita societas; sed incœptum ad optatum finem perduci nequiit. Eò etiam recident quæ jam agitantur consilia; certum enim mihi est meras esse fallacias, quibus id unum fiet, ut manifestum evadat quàm iniquo animo sint in Jesuitas.

Altera quæ me movet ratio est hæc, quòd Propositiones quæ in Memoriali referuntur, ad nullum tribunal deferri possint, nisi de autoribus deque locis unde descriptæ sunt, antè compertum sit. Ipsa quæ Pontifici oblata fuere Memoralia id non declarant. Fortè etiam, si in quibusdam Autoribus reperiantur, dùm diligenter res examinabitur, deprehendetur alias esse ab iis quæ in Memorialibus referuntur, aut ea ratione esse expressas, ut ad bonum sensum inflecti possint: non rarò enim usuvenit aut ut confingantur Propositiones & falsò attribuantur, aut ut sic mutilatæ & truncatæ proferantur, ut dum loca unde sumptæ sunt, consuluntur, diversæ sint ab iis quæ fuerint denunciatæ: adeóque designandi essent Autores, locaque unde dicuntur excerptæ. Et certè dùm id non fit, meritò licet suspicari, rem aliter se habere, quàm Libelli accusatorii memorant.

Tertia ratio hæc est, quòd ad rem tantam incipiendam, id est ad denunciandum eas Propositiones contra RR. PP. Societatis, ad faciendam à Reverendis iisdem Patribus disjunctionem & alienationem, accedendumque ad Patrum Dominicanorum doctrinam, adduci debeamus maximis & urgentissimis rationibus, quæ certissimæ sint & compertissimæ; quas hac in re non tantùm adesse non video, sed est etiam cur suspicer, judicemque omninò diversas. At verò discedere ab arctissima quæ nobis cum Patribus Jesuitis conjunctio est sine causa certissima, id esset & animi leviſſimi & nimium creduli judicium.

Quarta ratio. Sint illæ Propositiones, quamquàm id nondum damus, à quibusdam Auctoribus Jesuitis assertæ; aut illæ typis mandatæ sunt, quod facilè comprobare est, eas in libris eorum demonstrando; aut in disceptationis ardore, vel colloquiis familiaribus, vel sermonibus publicis ab iis pronunciatæ, quod difficillimè probari possit. Nec reperta est facilior ratio rem componendi, quàm si dicatur eas in disceptationis ardore elapsas esse imprudentibus: sed quacumque id ratione factum sit, tantum inesse judico Patribus Societatis officii sui amorem, ut, si amicè de eo monerentur, nostro Ordini ex omni parte facerent satis, eorumque Generalis juberet eas è libris expungi, aut in bonum sensum explicari, aut ab autoribus revocari. Non enim minùs interest Jesuitarum, ad opiniones suas tuendas, quàm nostrâ ad doctrinam nostram defendendam, ut sua S. P. nostro Augustino fama & autoritas integra conservetur.

Itaque existimo, utrum libet è duobus verùm sit, monendos esse amicè Jesuitas potius quàm ab eorum amicitia discedendum: mihi enim compertum est eo illos esse amore in Sanctum Augustinum, in Doctrinam ejus, & Religionem, ut sperem eos nobis honorificè satisfacturos.

Quinta ratio hæc est, quòd si à Patribus Societatis discedamus, præter ea incommoda, quæ, ut dictum est, inde nascentur, alia longè maxima timenda sint, quæ cujuslibet prudentiæ consideranda relinquo. Contrà, si ad Patres Dominicanos accedimus, non potest inter nos vera esse animorum consensio, quòd illi in omnibus dominari velint; vereórque ne eam conjunctionem non alio consilio ambiant, quàm ut tentent, an, qui soli Societatem vincere nequierint, eam non possint superare adjunctis sibi aliis Ordinibus, suamque doctrinam, quam indies delabi vident, in pristinum statum restituere. E contrariò in hac Tarraconensi Provincia summa semper fuit nobis cum Societate consensio; animadvertimusque Jesuitas nusquam non laudi sibi ducere Sancti Patris nostri Augustini discipulos se haberi, dareque operam ut sua placita cum Sancti Doctoris placitis ex omni parte concordent: quod Reverentiæ tuæ ex ipsorum Autoribus & Scriptoribus compertum esse arbitror. Porrò doctrina Societatis & nostra jam sic concordant, ut ad placita Patrum Dominicanorum accedere nequeamus, quin eâdem operâ reprobemus Autores nostros & Scriptores tam veteres, Ægidium Romanum &c., quàm recentiores Marquezium, Antonilezium, Corneium, Basilium Pontium & cæteros qui cum Jesuitis per omnia opinionibus consentiunt.

Postremò, si fortè apud Jesuitas privati

vati aliqui imprudentiùs & irreverentiùs locuti ſint, exiſtimo, non continuò univerſum Ordinem accuſandum, nec ab eo diſcedendum, ſed petendum eſſe ut ii qui deliquerint, jubeantur corrigere & emendare quod imprudentiùs & inconſideratiùs aut dixerint aut ſcripſerint.

Denique mecum perpendo quo in pretio Patres Societatis, qui ferè ſoli jam libros ſcribunt, habeant doctrinam Sancti Patris noſtri, & quàm ſibi eam laudi ducant: decorumne eſſet & urbanum ob unius alteriuſque noxam omnia quæ tam multi Autores in ejus laudem dixerunt dare oblivioni?

R. P. manus tuas exoſculor, ſumque tui ſtudioſiſſimus Famulus

F. THOMAS DE FIGUEROLA
Provinc. humilis.

RESPONSIO

R. P. MAGISTRI

BARTHOLOM. DE LOS RIOS

In Provincia Caſtellanenſi Ordinis S.P.N. Auguſtini Primarii Definitoris, & Concionatoris Regii

AD CAUSAS ET RATIONES

R. P. MAGISTRI

THOMÆ DE FIGUEROLA

In Provincia Tarraconenſi ejuſdem Ordinis S. P. N. Auguſtini Provinc.

Certè vehementer miror, te, R. P. Cauſis & Rationibus allatis agere, ut apud ſacrum Inquiſitionis Tribunal ſupersedeamus accuſatione & expoſtulatione de Propoſitionibus, quarum Cenſuram & proſcriptionem ad verbum retuliſti in litteris ad me datis 12. Julii, quatuordecim diebus antequam illas Rationes tranſmitteres; quibus litteris me certiorem feciſti Cenſuram illam jam indè à primo die Aprilis Valentiæ fuiſſe publicatam. Eò factum eſt ut ſuſpicarer eas Rationes profectas eſſe ab aliquo eorum ad quos hæc res ſpectat, quibuscum velle te de eo negotio conferre, ſuperioribus tuis litteris ſcripſeras. Idque mihi ſatis compertum videtur multis de cauſis quas jam commemorare nihil attinet. Id unum agam, ut præcipua confutem Rationum illarum capita, quibus illi nos eludi potuiſſe ſperarunt; quamquàm omnes unâ operâ refellere poſſem dicendo, nullam Jeſuitarum factam eſſe mentionem, neque in Memoriali Innocentio X. Pontifici à Lovanienſibus oblato, neque in eo quem Regi nomine Provinciarum obtuli.

Quæ una reſponſio evertit omnem illam Cauſarum & Rationum machinam, quæ cum non niſi ad defenſionem Societatis excogitatæ videantur, ſuſpicionem creare poſſent eos in re ſummi momenti parum amico in nos eſſe animo, quandoquidem per te, R. P. defenſionem & excuſationem adhibeant in eo in quo nemo eos accuſat. Sed illis omiſſis, cùm Propoſitiones illæ ſint in S. P. N. Auguſtinum contumelioſiſſimæ, hícque in vulgi manibus verſentur, aio id unum, quicumque demùm earum autores ſint, ſatis eſſe, ut *ne ſupersedeamus omni teſtificatione doloris*, &, quod officium à nobis exigit, Patris noſtri defenſionem ſuſcipiamus deferendo Propoſitiones illas ad ſacrum Inquiſitionis tribunal, ut ab eo cenſurâ meritâ notentur, uti olim aiebat in re non abſimili Gelaſius Pontifex: *Non putavimus ullatenus differendum, quo minùs hæc diligentiùs inquirentes aut ſi fortaſſe ſubrepſerant, de proximo ſanarentur, aut anxietatem noſtram, ſi falſò probarentur iactata, relevarent; æſtimantes meliùs nos videri impatientiùs talia inveſtigare voluiſſe, quàm creſcere diſſimulando perniciem: neque enim vel ſilentio premere cauſas hujuſmodi, vel differendo fovere deberemus, cum dicente Magiſtro gentium*, Sollicitudine non pigri; *atque iterum*, Qui præeſt, in ſollicitudine: *Reos procul dubio nos, niſi continuò quæreremus, etiam ſi inaniter eſſent vulgata, convincerent. Nec intereſt per quos ad aures noſtras eadem perveniſſent, dum quomodolibet iſta referentibus, poſtquam noſtram conſcientiam penetrarent, in iis veraciter indagandis paſtorales excubias eſſe non oportuerit negligentes, quatenus vel è veſtigio poſſet lupis inhiantibus obviari, vel nullis exiſtentibus feris ovium cuſtodia ſecura perſisteret.*

Jam ad rationes aliatas venio: & ad primam dico, neminem aut fuiſſe aut futurum, quo autore Ordini noſtro opus ſit, ut ad autoritatem Sancti Patris noſtri Auguſtini defendendam incitetur, quandò per ſe ſufficiunt viri tam ſancti & Doctoris tam eximii præclara merita; atque ad id ſatis eſſe nobis debet, quòd nos ejus filios profeſſi, ipſius habitu cinguloque utamur. Sed detur quempiam nobis fuiſſe autorem cauſæ Patris noſtri ſuſcipiendæ, num ideò rejiciendum erit conſilium, aut non potiùs animo grato acci-

accipiendum, quando nullo etiam autore fortiter tueri debemus quem ſibi Pater noſter peperit honorem & exiſtimationem.

Quod attinet ad Univerſitatem Lovanienſem, mihi pro certo compertum eſt, propoſitiones illas ad Inquiſitionis Tribunal antè delatas fuiſſe quàm ſciret. Quòd ſi illa accuſatio ab ea profecta eſſet, nihil ab ea factum foret quod à Theologis ab ortu & fundatione ejus, diuque ante inſtitutam Jeſuitarum Societatem factum non ſit, quippe qui ſe diligentiſſimos Sancti Patris noſtri Auguſtini diſcipulos, ejuſque doctrinæ & autoritatis defenſores ſtrenuiſſimos profeſſi ſunt. Hæc affirmo ut teſtis oculatus, utque Doctor & Lovanienſis & Duacenus, poſtquàm ea longo experimento didici, quippe qui quinque ſupra viginti annos in Belgio demoratus viderim eo loci quo amore quaque reverentia Lovanienſes Sanctum Patrem noſtrum Auguſtinum proſequantur. *Porrò ſi Doctores & Profeſſores Univerſitatis Lovanienſis ſignis apertis bellum inferunt, palamque ſe hoſtes profitentur eorum* omnium qui dogmata à doctrina Sancti Auguſtini Patris noſtri atque eorum Magiſtri aliena ſive in libris, ſive in diſputationibus, ſive alia ratione docent, ipſi quidem, quod mihi compertiſſimum eſt, faciunt quod ſui officii eſt.

Illud etiam mihi compertum eſt Jeſuitas illius diſſenſionis quæ dudùm fuit, & etiamnum eſt inter eos & illam Univerſitatem, autores eſſe. Vix enim eo pedem intulerant cùm cœperunt opiniones à Sancti Auguſtini placitis alieniſſimas publicè docere. Quare nihil mirum eſt, ſi illius Univerſitatis Theologi ea re commoti, exiſtimarint officii ſui eſſe palàm ſe Magiſtri ſui, quem à quibuſdam Jeſuitis appeti videbant, defenſores profiteri. Eo factum eſt, ut quaſdam propoſitiones temerarias & falſas, à quibuſdam Jeſuitis Theologiæ Profeſſoribus aſſertas, cenſurâ notarent: quod tamen ab iis factum non fuit niſi poſtquàm Jeſuitas amicè monuerant, ut eas opiniones dimitterent.

In præfatione Cenſuræ ſuæ quatuor rationes adferunt, quibus adducti ad eam ferendam fuerant, primamque efferunt per hæc verba maximè notanda, & genuinis viri tam ſancti Doctoriſque tam eximii diſcipulis digniſſima: *In primis quòd D. Auguſtini de gratia & Libero arbitrio, deque prædeſtinatione & reprobatione doctrinam, in qua tuenda, explicanda ac illuſtranda tot annis, tot editis libris, tantâ diligentiâ, atque inſtantiâ vir tanto ingenio, tantâ ſapientiâ, tot Dei donibus tam excellenter ornatus, jam ævi maturus ac ſenex pro Dei Eccleſia deſudavit, non in aliqua, ut dicitis, ſui particula, ſed totam propemodum ex propoſito oppugnari, funditúſque deſtrui ac everti videmus.*

Adeóque dum ſeſe Theologis Societatis oppoſuerunt inprimis & ante omnia Sancti Auguſtini, quem ipſi ut Magiſtrum, nos ut Patrem veneramur & colimus, gloriam, auctoritatem, & doctrinam ſpectarunt: quod quàm æquum ſit, tu judica. Vellem ego, R. P. ut *Cenſuram* Lovanienſium, ejuſque *Juſtificationem* haberes, ex ea intelligeres, quibus rationibus moti, non ſancto Societatis Inſtituto, ſed quorumdam filiorum ejus opinionibus adverſentur.

Non ſola Lovanienſis Univerſitas neotericis quorumdam Jeſuitarum opinionibus ſeſe oppoſuit. Duacenſis eaſdem ſub idem tempus cenſurâ notavit; idque fecerunt rogatæ ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Belgii, quos non minùs opiniones illæ offenderant. Porrò Univerſitatum illarum Cenſuræ prelo datæ ſunt, uti omnibus innoteſceret, eſſe homines, qui indies magis incumberent ad deſtruendam autoritatem S. P. N. Auguſtini ejuſque doctrinam evertendam. Nemo verò ignorat quo in pretio ſint Cenſuræ illæ, quæve ſit earum æquitas ac momentum.

Non ſine omnium noſtrûm pudore fatendum eſt, & nos & univerſam Eccleſiam Theologis Lovanienſibus omninò debere, quòd S. P. N. Auguſtini ſcripta in pulvere ſepulta non jaceant, aut in Bibliothecarum angulos abjecta. Ipſi enim ſummo & ſingulari ſtudio illius doctrinam adversùs ejus adverſarios & calumniatores propugnarunt: ipſi labore immenſo & ſummo in religionem amore, omnia ejus Opera cum ducentis & amplius exemplaribus collata emendarunt, prærepto nobis pulcherrimo illo & honore & præmio. Profectò agendæ ſunt Deo Optimo Maximo gratiæ, quòd ea recognitio atque emendatio ante ſit facta, quàm id curæ ſibi ſumerent Jeſuitæ, atque inprimis Joannes Martinez de Ripalda, malè enim mulctatus & mutilatus ex ejus manibus prodiiſſet Sanctus Auguſtinus, ut infra demonſtrabimus.

Cardinalis Baronius Theologorum Lovanienſium in S. Auguſtinum Annotationes & Obſervationes commendans, illam Univerſitatem, doctiſſimam Lovanienſium Scholam appellat. * Ipſe Vaſquezius fatetur Lovanienſes Sancto Auguſtino

* *In* 1.2. *diſp.* 190. *C.* 17.

gustino esse addictissimos.

Jam igitur, R. P. tibi perspectum erit Theologos Lovanienses non ea de causa Jesuitis obstitisse, quòd existimarent illis præsertim autoribus Michaëlis Baii Propositiones proscriptas fuisse, aut ab iis petitam fuisse Censuram: non enim ignorant quàm ea falsa sint, reique illius autores sigillatim norunt. Nondum eò potentiæ devenerat Jesuitarum Societas, ut de hoste quamvis parvo se vindicare posset; vixque in Lovanium pedem intulerat cùm in ea Urbe publicata fuit Bulla in Baium lata, quod anno 1567. factum est. Jam verò quis credat Societatem statim ab ingressu suo in eam Urbem, ac eo tempore quo Universitatis egebat auxilio, voluisse ejus in se odia concitare?

Immò verò tantùm abest, ut Theologi Lovanienses ægrè tulerint prohibitas & notatas fuisse Michaëlis Baii Propositiones, ut religiosissimè Bullam illam revereantur & observent, nemoque in ea Universitate laurea doctorali decoretur, nisi qui se Sacramento solenni ad eam servandam obstrinxerit.

Verùm non possunt non ægerrimè ferre quod vident à Jesuitis quibusdam Bullam istam ad sensum trahi planè alienum ab eo in quo ab aliis intelligitur, eâque ad commoda sua abutantur. Vasquezius, Turrianus aliique Societatis Scriptores nonnullas ex iis Propositionibus quæ in Bulla Pii V. expressæ sunt, propugnant, aiuntque eas neque ut hæreticas, neque ut falsas notatas esse, sed tantùm ut scandalosas & malesonantes, dùm accipiuntur in quemdam sensum quem habere videntur ut in Bulla expressæ sunt; aut ob censuram acerbiorem quam continent: adeò ut si censura tollatur, aut alio sensu intelligantur tùm verissimæ sint & propugnari queant.

Affirmat & contendit in rem suam privatam Ripalda Jesuita in postremo Opere ab eo edito, omnes Propositiones quæ in Pii V. Bulla leguntur, esse proscriptas, sin minùs ut hæreticas, certè ut falsas; quod cùm aliorum è Societate Scriptorum sententia non concordat: cujus rei multa alia exempla proferri possent.

Nec dici potest (quod dicunt ii quorum interest) Pontificem, id quod in Memoriali sibi ab Oratore Lovanienſi oblato continebatur, habuisse pro fallacia quæ adornata esset à Jesuitarum adversariis, quâ suspicione maximè laborarent Theologi Lovanienses: nam si ita esset, & falsò ea Jesuitis objecta fuissent, procul dubio Pontifex in gratiam Societatis accusatores castigasset, ut digni fuissent tanto admisso crimine, quippe qui celeberrimæ, & illustrissimæ Jesuitarum Societati in ipsis oculis & manibus Pontificis calumniam intulissent, & falsa crimina imposuissent.

Cæterùm nec calumnia est, nec id nomen usurpari potest, dum nemo nominatur, nec ullus adversùs privatum quemquam, aut Societatem suspicioni locus datur: quod neque in Memoriali Theologorum Lovanienſium, neque in nostro factum est. Adeóque, ut jam supra dixi, mirum mihi videtur Jesuitas id sentire quòd eos non tangat. An verò quod in Memoriali refertur fallacia sit, æstimare licet tùm ex certissimis quæ & in manibus sunt, quæque ante supremum Inquisitionis Tribunal lata sunt, argumentis; tùm ex libris qui quotidie in Gallia & aliis locis in lucem eduntur, contumeliarum & calumniarum in S. P. N. Augustinum plenissimis.

Dùm jam vident (aiunt nostri isti homines) *inutiles fuisse fraudes suas* &c. Reverende Pater, verum & sincerum veritatis studium fraus vocandum non est. Si à Te, R. P. attentè lectum & perpensum est Memoriale Pontifici à Lovanienſium Legatis oblatum, necesse est te fateri in eo nihil aliud deprehendi quàm ardorem illum singularem eundemque animum, quo primi S. P. N. Augustini Filii & Discipuli Sanctus Prosper, Sanctus Fulgentius, aliique, ejus doctrinam propugnarunt adversùs illorum temporum hæreticos qui ejus famam calumniis appetebant.

At verò quod esset Theologorum Lovanienſium crimen, si Memorialibus illis ac Propositionibus exhibitis, conati fuissent S. P. N. Augustini Filios commovere, eosque inducere, ut ejus doctrinæ defensionem susciperent, quippe quorum maximè interesset? Agendæ illis à nobis sunt gratiæ, quòd nos veluti ex somno excitarint, demonstrarintque contumelias & calumnias, quibus quidam S. P. N. Augustini nomini & gloriæ tenebras offundere nituntur; quódque nos monuerint illius Divique Thomæ Discipuli ejus doctrinam jamjam eversum iri, nisi in partes veniremus, & ad eam defendendam erigeremus caput. Quod illi demonstrant honoris nostri atque famæ studium, id singularis beneficii loco habendum à nobis est.

Nemo enim non miratur Sancti Auguſtini Filios, ad quos hæc res omnis inprimis pertinet, in tantis periculis altùm ſilere.

Si Theologi Lovanienſes *ad hanc rem Patres Dominicanos adminiſtros adhibent*, tanto majus crimen noſtrum erit, ſi, dum tot homines dant operam ut nos excitent, dormire pergimus. Non exiſtimo tamen *hos ab iis adhiberi*, nedum *Patres Dominicanos ſtudere, ut alios Religioſos Ordines ſibi adjungant eo conſilio ut in unum veluti corpus adunati fortiùs Jeſuitarum impetum ſuſtineant, eorumque Doctrinam & Scriptores in invidiam adducant*: Sed (ſi id agunt) id eos facere arbitror eo uno conſilio, ut defendant & ſuſtineant doctrinam S. P. N. Auguſtini, cujus Patres Dominicani ſunt ante omnes genuini diſcipuli. Id toti Orbi notum eſt; id ipſi demonſtrarunt, dum tam promto & forti animo novis dogmatibus quæ Societatis Theologi invehebant, Sancto Auguſtino contrariis, obſtiterunt, rem illam ſoli in Congregatione *de auxiliis* perſecuti ſunt; ubi inprimis agebatur ut ſciretur quæ eſſet Divi Auguſtini doctrina, atque ut ea adversùs hoſtes tam formidandos ſuſtineretur. In quo nos Ordinis Illuſtris Sancti Dominici Patres longo intervallo poſt ſe relinquunt.

Optimè memini eorum, R. P. quæ me jubes *in memoriam revocare*; ſed non ita ut refers illa ſe habent.

En tibi veram rerum geſtarum hiſtoriam. Sub annum circiter 1623. Patres Societatis omnibus viribus conati ſunt ſibi in Univerſitatem Lovanienſem aditum patefacere, atque in ea publicè docere. Ea re coacti fuerunt Lovanienſes Cornelium Janſenium Doctorem & Collegam ſuum huc delegare, qui Regi, quem Deus ſoſpitet, exhiberet quæ timenda eſſent incommoda, ſi Jeſuitis in Univerſitate locus daretur. Atque ita quæ dicebat probavit, ut à Philippo IV. ea omnia quæ petebat obtinuerit, ut conſtat ex edicto in eam rem Madriti dato 3. die Octobris anno 1624. miſſoque ad Sereniſſimam Principem Iſabellam: quod etiamnùm vim omnem ſuam retinet quandoquidem Patres Societatis ad corpus Univerſitatis nondum ſint aggregati. Hinc rursùs intelliges, R. P. quibus dolis tibi imponere ſtudeant homines iſti quorum res agitur: nam falſiſſimum eſt *miſſum eſſe Lovanio Doctorem Legatum ad Univerſitates Hiſpanienſes, qui peteret ut facto fœdere vires jungerent, & in unum veluti corpus coirent, ſeque mutuis auxiliis adversùs Societatem ejuſque opiniones tuerentur*. Item falſum eſt *eos ad optatum finem cœpta perducere nequiiſſe*; ſed ſperant ſe id quod modò aggrediuntur non minùs feliciter perfecturos, quodque contendunt conſecuturos, ut tùm temporis conſecuti ſunt quod petebant.

Ad ſecundam rationem aio jam, tùm ſciri Autores Propoſitionum, locaque unde excerptæ ſunt. Id quoque ſcit ſupremus Inquiſitionis Senatus, certiſque argumentis omnia probata habet. Porrò ſi de iis edoceri cupis, R. P. ipſi Molinæ Sectatores etiam nunc tractatus adversùs Sancti P. N. Auguſtini doctrinam & autoritatem & componunt & publicè dictant, ut mox R. T. demonſtrabo. *Si quæ Pontifici Regique oblata fuere Memoralia, neque Autores, neque loca, undè exſcripta ſunt, indicant*, id effecere eorum qui duces in eo negotio fuerunt, & in proximum charitas & veritatis amor, alienusque ab ulciſcendi libidine animus, cui dum alii, quos non nomino, obſequuntur, contemtis Superiorum mandatis & præceptis, viros probos deſignatis nominibus infamare ſtudent. *Satis compertum eſt* quoſdam Societatis Theologos *Propoſitiones quorumdam autorum ſic truncatas & mutilatas referre, ut dùm cum archetypis conferuntur omninò diverſæ ſint ab iis quæ proferuntur & denunciantur*.

Ne longus ſim, ad hæc comprobanda unicum exemplum, idque novum & recentiſſimum adferam. Anno proximè elapſo 1649. prodiit in lucem alterum Opus poſthumum Joannis Martinez de Ripalda Jeſuitæ, in quo proferuntur loca tam turpiter mutilata, truncata, & adulterata, ut in eo omnem ipſorum hæreticorum ſuperet audaciam. Sæpenumero binas ſententias procul à ſe diſſitas ut ad rem ſuam accommodet, in unam colligit: modò particulam negantem, ubi nulla eſt, adjicit, quod ſenſum maximè contrarium diverſum efficit: modò pro ſanctorum ſententiis ſuas profert: nonnumquàm ea quæ objiciuntur, hæreticorumque argutationes, quod cæcus, ut ita loquar, etiam advertere potuiſſet, pro Sanctorum Patrum placitis accipit. Librum ſuum implevit innumeris locis eum in modum depravatis & adulteratis quæ in libello qui inſcribitur, *Joannes Martinez de Ripalda Vulpes capta*, palàm facta ſunt: animadverſumque eſt ſupra viginti unius Sancti Auguſtini ſententias ab eo eſſe adulteratas.

Quod

Quod ad 3. rationem attinet, non jam agitur ut à Patribus Societatis *discedamus*; nec ut privatam cum Patribus Dominicanis conjunctionem ambiamus: at id unum studemus, ut Patrem nostrum Sanctum Augustinum adversùs hostes, quicumque illi sint, defendamus.

Porrò si ad eam defensionem suscipiendam necessarium esset ut cum Ordine aliquo Religioso societatem iniremus, an non existimas R. P. satiùs fore socium habere S. Dominici Ordinem celeberrimum juxta & eruditissimum, qui & Regulam & Doctrinam Sancti Augustini profitetur, quàm iis nos sociare qui neutrum ex his faciant? Ante natam Societatem nulla erat nobis cum Patribus Dominicanis simultas, sed contrà, summa erat inter eos & nos & doctrinæ & animorum consensio. An non *animi levissimi & nimiùm creduli* esset veteri illâ necessitudine ac conjunctione dissolutâ, novam cum Patribus Societatis arctissimamque jungere. Sin ita est, profer, si lubet, R. P. rationem illam gravem, urgentem, certam & compertam, quare id à nobis fieret. Si quidem in Provincia vestra tanta sit cum Societate conjunctio, id nescio; id scio nullam neque in hac Provincia neque in Andalusiensi esse nobis cum illis aut necessitudinem, aut simultatem.

Ad quartam rationem id unum respondeo, nobis, id quod jam supra dixi, certis argumentis de Propositionibus, de earum Autoribus deque locis unde excriptæ sunt, compertum esse.

Porrò quid sperandum foret, si amicè moniti fuissent Patres Societatis, æstimare licet ex eo quod ab iis factum est, dum à veritate discedere cœperunt. Nam, ut supra memoratum est, cùm à Theologis Lovanienfibus anno 1585. moniti fuerunt Professores Societatis de novitate viarum quas ingrederentur, non solùm non ab iis recesserunt, verùm ultra progressi animum in novis suis opinionibus tuendis obstinarunt. Sed juvat ipsa quibus Theologi Lovanienses rem omnem referunt, verba memorare; digna sunt quæ legantur. *Cùm autem quæ notanda putarant Collegii nostri Magistri, quibus datum erat negotium dictata Professorum vestrorum perlegendi, lecta nobis fuissent, quamquàm cum iis quæ perlata initio fuerant, valdè consentire viderentur, ne quid tamen diligentiæ aut humanitatis prætermissum à nobis videri posset, decrevimus ut selectiora quæque Reverendis Paternitatibus vestris offerrentur, num ea pro vestris agnosceretis, aut si quid non satis dextrè excerptum, aut obscuriùs fortassis minúsve considerate dictum foret, id supplere, illustrare, ac emendare dignaremini. At verò usque adeò de priore sententia discessum non est, ut paucutis tantum mutatis verbis, oblati articuli seu assertiones pro vestris agnoscerentur, approbarentur, & adjecto passim scholio pluribus etiam rationibus confirmarentur.*

Tùm pro Præfationis suæ epilogo sic loquuntur: *Quod autem superest, Reverendi Patres, obsecramus vos in Christi visceribus, ut rem hanc totam, sepositio paulisper anticipatæ opinionis præjudicio, liberis animis intueri, serióque expendere dignemini, ut si fieri queat, in tam magno fidei nostræ de gratia Christi ac Dei Prædestinatione negotio unum idemque concorditer sapiamus, eò magis quod (ut idem de Massilienfibus queritur Prosper) eadem aliquando nobiscum melioráque senseritis.*

Quæ charitati conformior excogitari possit oratio? nec tamen eo factum est ut hactenus Patres Societatis ab opinionibus illis discesserint.

Profectò verosimile est eos nobis non magis facturos fuisse satis, si 22. Propositionum S. P. N. Augustino contumeliosarum Autores aut Defensores admoniti fuissent.

Atque ita etsi eorum Generalis eas juberet è libris expungi, aut in bonum sensum explicari, aut ab Autoribus retractari, certè nescio an obtemperaturi essent.

Atqui ratio cur de eo dubitem hæc est, quòd Claudius Aquaviva Jesuitarum Generalis, ut narrat disp. 6. q. 2. d. 5. de gratia Tannerus è Societate Scriptor, decretum ediderit quo Theologi Societatis in exponenda Divinæ Gratiæ efficacia jubentur sequi sententiam quæ coram summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in congregatione *de Auxiliis* explicata & propugnata fuerat, quamque Viri sapientes & eruditi Sanctis Augustino & Thomæ conformiorem censuerant. Judicent, qui rerum scientes sunt, an Theologi Societatis decreto illi obtemperent.

Quod de Patrum Societatis in S. P. N. Augustinum Ordinemque nostrum animo dicis, R. P. satis manifestum est ex libris quos antè ediderunt & indies edunt in quibus de S. P. N. Augustino Doctorum Coryphæo & primario Ecclesiæ columine irreverentissimè & contemtissimè loquuntur. Quo fuit in D. Augustinum animo is qui dicere ausus est, Sanctum

ctum illum Doctorem, dùm de Divina gratia & libero arbitrio ſcripſit, fuiſſe obſitum denſa caligine, qua prohibitus fuerit videre aut intelligere eas veritates quas ipſe jam detexiſſet; Sancti Auguſtini ſententiâ obfirmatos fuiſſe in errore Pelagianos & Semipelagianos, & ad eorum partes abductos complures Catholicos; Lutherum & Calvinum ex ejus doctrina hæreſeon ſuarum cœpiſſe ſemina &c. Quandò iſtæ aſſertiones atque aliæ multæ non abſimiles, in S. P. N. Auguſtinum tàm manifeſtè contumelioſæ, à tot annis in publicum ſparſæ, librique in quibus habentur, toties typis editi fuerunt, quid cauſæ eſt cur *eorum Generalis non jubeat eas ex iſtis libris expungi aut ab Autoribus revocari, cum homines iſti fateantur, non minùs intereſſe Jeſuitarum ad opiniones ſuas tuendas, quàm noſtrâ ad doctrinam noſtram defendendam, ut ſua S. P. N. Auguſtino fama & autoritas integra conſervetur.* Fuerunt enim ſine dubio Viri ſpectabiles non ſolùm extranei, ſed ex ipſa Jeſuitarum Societate qui eos de audacia illa ſua amicè monuerint.

Quid dicam de Joanne Adam, recente è Societate Scriptore, qui hoc ipſo anno 1650. cum Provincialis ſui licentia, in lucem edidit librum, cujus penes me exemplar eſt, in quo de S. P. N. Auguſtino contemtiùs loquitur, quàm locuturus eſſet de quovis recentiore ullius nominis Scriptore. Poſtquàm ſæpius dixit; *Doctrinam Sancti Auguſtini juſtò* c. 6. *obſcuriorem eſſe, & ſecum pugnantem, impeditam pluribuſque erroribus obnoxiam, ejuſque libros tenebris ac nubibus ita eſſe obductos, ut non abſque profunda meditatione diſtingui poſſit, quid doceat uti dubium, & quid tradat ut indubitabile, quidve dicat adverſarios impugnans & quid doceat ſua defendens; ſæpè oppoſitas ſibi ab adverſariis objectiones in eoſdem retorquere, eos in abſurditates miras conjiciens; inſtantiam inſtantiâ ſolvere; inconveniens refutare difficultate longè majori: ulterius, inquit, non clarè exponi, num objectiones ad ſuos hoſtes impugnandos proponat, vel quid in eos cum iiſdem conveniat. Ex quibus mihi licitum eſt concludere, noluiſſe Auguſtinum ſuos ſenſus clarè exponere, vel in illis explicandis non ita felicem fuiſſe, ut nullus de ejus mente dubitandi ſuperſit locus: quare immeritò volunt ipſum eſſe oraculum gratiæ & Concilii Tridentini interpretem:* Capite tandem ſeptimo dicit, Sanctum Auguſtinum, dum Pelagii errorem impugnaret, diſputationis æſtu abreptum in errores oppoſitos abiiſſe; aliaſque ejuſdem generis calumnias effutit, quas, ne longior ſim, omitto.

Hinc jàm æſtima, R. P. an ea ſit hominis D. Auguſtino aut doctrinæ ejus addicti oratio, aut à Patribus iſtis integra & æqua ſatisfactio ſperari poſſe videatur. Si quæ affirmat Scriptor iſte Joannes Adam, vera ſunt, nihil in S. P. N. Auguſtini doctrina certum eſt, nec in ea niti poſſumus. Atque is ſcopus eſt quo collimant, id unum quod contendunt Sancti Doctoris noſtri inimici, quo faciliùs tueri queant dogmata ſua nova ex adverſo pugnantia cum ejus doctrina, quæ iis ſolis obſcura eſt, qui ejus ſplendorem ferre non poſſunt. Dioniſius Petavius Scriptor item recens è Societate, poſtquàm contrà opinionem temerariam Joannis Adam Socii ſui faſſus eſt, * *Omnium Latinorum quorum in hac controverſia majorem dixi autoritatem eſſe, Princeps eſt conſenſu Theologorum Auguſtinus, cujus de gratia ſententiam quotquot deinde conſecuti ſunt Patres ac Doctores, tum verò Eccleſia Præſules, Præſulumque Conventus aliorum, ratam & Catholicam eſſe judicarunt, ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Auguſtino poſitum ac decretum eſſe conſtaret*: tandem Patrum omnium Principem Auguſtinum, ipſiusque autoritatem, quam ipſomet teſte reverentur & ſectantur alii omnes Sancti Patres & Doctores, turpiter deſerit: & ut ſententiam cum S. Auguſtini placitis pugnantem ſtabiliat, audet dicere: *Sepoſitâ magnorum Virorum autoritate, cauſa cum cauſa, res cum re, rationes cum rationibus comparandæ ſunt, ex eóque ſolo dijudicandum eſt, utra ſit opinio veriſimilior.* Sic hoc tempore Autores quidam, contrà veterum omnium ſententiam & judicium, ſuamque ipſorum confeſſionem, Sancti Auguſtini P. N. autoritatem vilipendunt.

* *Theol. dogm. Tom. 1. lib. 9. cap. 6.*

Quamquàm hæc exempla, quæ fictitia dici nequeunt, produxiſſe ſufficit, adjicere tamen lubet, R. P. quod perquàm celebris ex Academia Pariſienſi Scriptor in libro qui hocce anno 1650. editus eſt hoc titulo, *Qualis ſit autoritas Sancti Auguſtini in Eccleſia*, refert de quodam ejuſdem Academiæ Doctore Jacobo Pereyret. Hæc de eo habet capite ultimo. *Quod abjectis & calcatis aliorum Pontificum ſanctionibus, quibus S. Auguſtini autoritatem & doctrinam ſtabilitam videt, ſolas Bullas Pii V. & Urbani VIII. obſervandas in ſuo Apparatu moneat & inculcet, nullo adductus aut amore veritatis aut deſiderio diſciplinæ aut*

vero

vero in Sedem Apoſtolicam cultu, ſed ſolo Moliniſticarum partium affectu, & operæ ſuæ, quam addixit, præſtandæ ſtudio. Exiſtimavit nimirum homo acutus, illis poſteriorum Pontificum Bullis labefactari autoritatem S. Auguſtini, damnari doctrinam, & Moliniſtarum dogmata muniri. Huic ſcenæ ſervire voluit, & Moliniſmi ruentis famam quovis Sanctorum Patrum, Pontificum, Sedis Apoſtolicæ, Conciliorum, Eccleſiæque univerſæ diſpendio ſuſtinere.

Narrat idem Scriptor, *Concionatorem Jeſuitam ex Aquitania nuper eò proſiliiſſe, ut publicè de ſuggeſtu in S. Auguſtinum ſit debacchatus ea levitate & inſcitia, immò contumacia & impietate, ut erubeſcere non ſolùm Socii, ſed ipſe quoque, quamvis ſummè petulans, indignantibus & adverſantibus bonis omnibus, coactus ſit. Quo autem mentis fervore in Auguſtinum, eodem in Prophetas, in Apoſtolos, maximéque in Sanctum Paulum invectus eſt, omnes prorsùs cæco naturæ impetu æſtuque abreptos, veritatis & fidei limites tranſiliiſſe, non veritus affirmare.*

Hæc exempla recentia ſunt; at ultrà ibunt ſi nemo cohibeat. Veniamus ad 5. rationem quæ ad rem publicam & politicam pertinet. Repeto quod ſupra dixi, jam non agi neque de diſceſſione à Patribus Jeſuitis facienda, neque de ſocietate arctiori ineunda aut cum Patribus Dominicanis, aut cum alio aliquo Religioſorum Ordine; ſed unum hoc nobis eſſe negotium, ut nobis adjungamus filios & diſcipulos genuinos S.P. N. Auguſtini, id eſt eos qui ex animo ejus doctrinam ſequuntur & aliis ſequendam tradunt, ſive ii Dominicani ſint, ſive Jeſuitæ, ſive alii quicumque. Is maximè noſter erit qui pro Patris noſtri doctrina, & autoritate fortiùs pugnaverit.

Quod veretur R. T. ne Patres Dominicani Societatem noſtram ambiant hoc uno conſilio, ut tentent an Jeſuitas ſuperare non poſſint adjunctis ſibi aliis Ordinibus, vanum mihi quidem videtur. Nam non arbitror eos de Jeſuitis velle triumphare, ſed de ea quæ apud eos traditur doctrina, quæ Sanctis Patribus, præcipuiſque veterum Autorum contraria eſt. Quamvis autem tibi videatur, R. P. aut tibi ab aliis perſuaſum ſit, Patres Dominicanos aliorum auxilio deſtitutos non potuiſſe Theologos Societatis ſuperare: certè aliud conſtat ex Actis Congregationis *de Auxiliis*, & ex Idea Bullæ Pauli V. Pontificis continuò poſt illam Congregationem apparatæ, in qua quinquaginta circiter Molinæ aſſertiones ut Sancto Auguſtino contrariæ reprobantur.

At nihil eſt quod magis mirer, quàm quod à te dicitur, R. P. Doctrinam Patrum Dominicanorum, quæ Divi Thomæ eſt, in dies delabi. Quis enim ignorat eam ab univerſa Eccleſia, & ab omnibus bonis veriſque Theologis, qui animi impetu propriiſve opinionibus non ducuntur, pro ſecura & genuina Theologiæ norma haberi? Qui diverſum aut affirmat aut ſibi perſuadet, eum oportet ineptiſſimè ſentire de recentioribus Theologis, qui per invidiam Divi Thomæ gloriam & æſtimationem ferre non poſſunt. Quid quod hodiéque Ordinis noſtri in Univerſitate Salmanticenſi Profeſſores, Pater Magiſter Gamboa, Pater Magiſter Oviedo, Pater Magiſter Aguilar, ac Illuſtriſſimus Epiſcopus Gaditanus, meri Thomiſtæ ſunt: ſimiliter & Ordinis de Mercede & cæteri celebriores hujus Academiæ, aliarumque ſcholarum Hiſpanienſium Theologi prævalent, quod cuivis notum eſt. Siqua ſchola eſt quæ Divo Thomæ non adhæret, in contemtu eſt. Quis neſcit in Gallia Univerſitatem Pariſienſem S. Thomæ doctrinam profiteri, Toloſanam etiam Sacramento ad eam tuendam ſe adſtringere? Quis neſcit eam in omnibus partium ſeptemtrionalium Academiis florere? Lovanienſis D. Thomam ſecundum poſt Sanctum Auguſtinum Magiſtrum habet: Duacena illum ſequitur. In Colonienſi omnes in ejus ſententiam jurant. Jam verò rerum ſit ignorantiſſimus, qui neſciat eam in omnibus Italiæ Univerſitatibus teneri: Neapolitanos Divum Thomam & pro ſcholarum Magiſtro & pro Patriæ Patrono ac præcipuo Ornamento venerari. Ut paucis abſolvam, Sancti Thomæ doctrinam omnes Europæ Academiæ amplectuntur & venerantur: quo mihi ſpes certa naſcitur omnem dæmonum vim atque artes nihil adversùs eam valituras.

Sed id ipſum quod contendimus ex verbis tuis conficio. Nam ſi verum eſt, doctrinam Sancti Thomæ in dies delabi, neceſſe eſt unà peſſumdet S. Auguſtini Patris noſtri doctrina quácum altera, utpote merum ejus compendium, firmiſſimè cohæret. Id fateri debent qui tantillum operæ binis illis Viris Sanctis dederunt. * Vix enim in Divi Thomæ Summa Articulum reperias, in quo S. Auguſtinum non citet, ſuaſque reſponſiones ejus autoritate confirmet. Cur ergò non judices, R. P. in tanto periculo jungendas

* *Citatur S. Auguſtinus circiter 1500 in Summa D. Thomæ*

das esse dexteras ad autoritatem ac doctrinã glorioſiſſimi Patris noſtri defendendam?

Fortaſſis verum eſt, & per me credatur licet, *Jeſuitas nunquam non laudi ſibi duxiſſe, Sancti Auguſtini gnavos diſcipulos ſe haberi:* ſed jam ſupra in reſponſione mea ad quartam tuam rationem demonſtratum eſt, quodnam illi genus diſcipuli Sancti illius Doctoris ſint. Et certè præclarum illius rei argumentum dederunt, dum Univerſitatis Salmanticenſis jurijurando, cui conſtituendo noſtri ac Dominicani Ordinis Profeſſores Theologi adlaboraverant, interceſſerunt.

Nec memini in eorum Autoribus ac Scriptoribus advertiſſe eos multùm eſſe ſollicitos, ut ſuæ opiniones cum S. Auguſtini placitis concordent: hæc intelligo de divinæ gratiæ & liberi arbitrii, prædeſtinationiſque materia, quæ ſunt præcipua doctrinæ ejus capita. Immò verò S. Auguſtini diſcipuli de iis omninò diverſa quotidie demonſtrant. Et ut primùm cœperunt in eum injurioſi eſſe, eo crimine præſertim in Congregatione *de auxiliis* coram ſummo Pontifice palàm convicti fuere.

Verum eſt eos, ab eo tempore, poſtquàm Clemens VIII. Pontifex dixerat ut in illis atque aliis omnibus de prædeſtinatione, de gratia & libero arbitrio diſputationibus Sancti Auguſtini doctrina pro judiciorum norma haberetur, cœpiſſe in S. Auguſtini doctrinam paulò reverentiores eſſe. Sed major eis cura fuit, ut Sancti Viri doctrinam ad ſuam aptarent, quàm ut ſuam illius placitis conformarent. Videriſque id ſentire R. P. dùm poſt affirmas, Autores noſtros cum Autoribus Societatis ſententiis concordare, veluti ſi non Sancti Auguſtini ſed Jeſuitarum placita norma eſſent ad quam doctrinam noſtram exigere teneremur.

Cæterùm quod ſcribis, R. P. *doctrinam Societatis & noſtram ſic concordare*, per me licet, ſint ex omni parte conformes, modò legitimæ ſint ejuſdem Patris, id eſt Sancti Auguſtini, filiæ; ſi verò ejuſdem Patris ſint filiæ, oportet eas ex omni parte concordes eſſe cum doctrina Divi Thomæ, quippe qui ſit S. P. N. Auguſtini filius, & diſcipulus fideliſſimus. Atque ita tantùm aberit ut autores noſtros, qui ſemper lubenti animo Sanctum Thomam ſecuti ſunt, improbemus, ut contrà eos eâ cauſâ prædicemus. Ægidius Romanus non ſolùm diſcipulus, ſed etiam auditor Divi Thomæ fuit, & ex ejus ore didicit quidquid ſubinde ſcriptis mandavit. Pater Magiſter Guevara, Bannezii competitor, ſacer D. Thomæ Sectator erat, & tanta neceſſitudine competitori conjunctus, ut cum eo convivari eo die non dubitaverit, quo ei alter in cathedræ petitione antelatus fuerat. Non minori ſtudio Sanctum Thomam ſecutus eſt Pater magiſter Cornejo, ut ejus ſcripta declarant. Iſque ex iis fuit qui Salmanticenſis juris-jurandi negotium ſollicitaverunt, quique libello apologetico in eam rem edito ſubſcripſerunt. Quis verò neſcit Patrem Magiſtrum Baſilium Pontium Legionenſem fuiſſe illius conſilii de inſtituendo jure-jurando autorem & ducem.

Hæc ſunt R. P. quæ rationibus tuis ſummo animi candore reſpondenda putavi. Adeóque pro ea qua polles prudentia ſingulari, & pietatis ſtudio, ut dignum decet Patris noſtri filium, ſpero fore ut fortiter in defenſionem honoris ejus incumbas, & quantum in te erit adjuves cœpta noſtra, quibus nihil aliud quærimus quàm majorem Dei Gloriam, glorioſi Patris noſtri Auguſtini honorem, & Sancti Ordinis noſtri exiſtimationem. Sic habeto, R. P. me ſemper futurum obſervantiſſimum tui Filium, ſinceriſſimum amicum, & ad officia omnia paratiſſimum famulum.

F. Bartholomæus de los Rios.

ALTERUM MEMORIALE

A REVERENDO PATRE MAGISTRO

BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS

OBLATUM

INQUISITORI GENERALI

Sub initium menſis Septembris 1650.

ex Hiſpanico in latinum verſum.

Illustrissime Domine

Pater Magiſter Bartholomæus de los Rios Regius Eccleſiaſtes, & primarius hujus Provinciæ Caſtellanenſis Ordinis S. P. N. Auguſtini Definitor, nomine dictæ Provinciæ, item Andaluſienſis & Tarraconenſis exponit, quòd etſi dignatus ſis Decretum tuum ad omnes Inquiſitiones mittere, juſſeriſque mandatis ſolennibus in locis omnibus jurisdictioni tuæ ſubjectis

ctis publicari Cenſuram & Judicium à te latum in 22. Propoſitiones, quas homines audaces in Hiſpania ſparſerunt, contrarias Doctrinæ Catholicæ & Sanctæ Divi Auguſtini Patris noſtri, ejuſque autoritati, quæ & ſumma & firmiſſima eſt; tamen necdum publicata ſint neque in hac civitate Regia, neque in ullo alio loco hujus Archiepiſcopatus Toletani; quod mirum videatur: quia quemadmodum ad primi mobilis motum cætera omnia moventur, ita dùm hoc ſacrum & ſupremum Tribunal ſancta ſua Decreta edidit, ipſius exemplum omnes hujus Monarchiæ Inquiſitiones ſequi & ſolent & debent. Qua de cauſa te ſuppliciter & demiſſiſſimè orat, ut jubeas Madriti, Toleti, & in aliis omnibus hujus Archiepiſcopatus locis publicari Cenſuram dictarum Propoſitionum, inſertis in Decretum, & ſigillatim deſignatis ſingulis illis 22. Propoſitionibus, ut evitetur incommodum quod aut temporis omnia ferentis diuturnitas, aut malitia eorum qui Propoſitionum illarum autores ſunt, adferre poſſet, ſi ſolùm referrentur prima & poſtrema earum, quæ in Libello ſupplice Pontifici oblato exprimuntur. Cum enim in pauciſſimorum manus libellus ille venerit, fluxu temporis fieri poſſet ut aſſuti & maligni homines cæterarum, quæ inter primam & poſtremam comprehenſæ ſunt, memoriam abolere, primamque ultimæ connectere, ut hac ratione perſuadeant, cæteras proſcriptas non fuiſſe, ſed eas ſolummodò quæ primo & ulloco jacent.

Item petit ut ſibi tradi præcipias exemplum authenticum Decreti tui & mandati, fiatque facultas illud typis excudendi mittendique ad omnes trium Provinciarum Conventus, in Tabulariis domeſticis aſſervandum, in quibus erit inſtar armorum quæ in promtu ſint ad ſacram Doctrinam S. P. N. Auguſtini defendendam: Auguſtini, inquam, qui certum in te habet præſidium illud atque tutamen, quod nunquam non præſtatur à te ubicumque Religionis, fidei Catholicæ, & Sanctæ Matris Eccleſiæ utilitas poſtulat, quemadmodum à Vincentio Lirinenſi dictum eſt: *Quo quiſque religioſior eſt, eo promtiùs novellis adinventionibus contradicit.*

Gelaſius I. Pontifex ſummo illo ſtudio adferendi malis promta remedia, illiſque occurrendi ſub ipſa initia, incitatus, præclarè dixit: *Æſtimantes meliùs nos videri impatientiùs talia inveſtigare voluiſſe, quàm creſcere diſſimulando perniciem: neque enim vel ſilentio premere cauſas hujuſmodi vel differendo fovere deberemus, dicente Magiſtro gentium, Sollicitudine non pigri; atque iterum, Qui præeſt in ſollicitudine: reos procul dubio nos, niſi continuò quæreremus, etiam ſi inaniter vulgata convincerent. Nec intereſt per quos ad aures noſtras eadem perveniſſent, dum quomodolibet iſta referentibus, noſtram conſcientiã penetrarent in his veraciter indagandis, Paſtorales excubias eſſe non oportuerit negligentes, quatenus vel è veſtigio poſſet lupis inhiantibus obviari, vel nullis exiſtentibus feris ovium cuſtodia ſecura perſiſteret.*

II. MEMORIALE REGI HISPANIARUM OBLATUM A R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS *Ordinis Eremitarum* S. AUGUSTINI *Religioſo.*

* *Sub initium menſ. Septembris.* 1650.

REX

Pater Magiſter de los Rios apud Regiam tuam Majeſtatem Verbi Divini Præco, & primarius in hac Caſtellanenſi Provincia Ordinis S. Auguſtini Definitor, exhibet ſe abhinc duobus circiter menſibus ad Majeſtatis tuæ genua proſtratum ex nomine & mandato hujus Provinciæ, item Andaluſienſis & Tarraconenſis, obtuliſſe Libellum ſupplicem, quo V. M. ſuppliciter, & demiſſiſſimè orabat, ut pro honorifico Defenſoris Eccleſiæ titulo, quo jure merito ante omnes Chriſtianos Reges gaudet, quemque à majoribus fortibus factis promeritum hæreditario jure accepit, autoritatem ſuam, apud ſummum Pontificem interponere dignaretur, datiſque litteris enixè flagitaret, ne pateretur labefactari autoritatem S. Auguſtini Doctorum Eccleſiæ Coryphæi, in quem quidam ejuſdem Eccleſiæ filii multa temerè & inſolenter dixerunt, quorum nonnullæ aſſertiones in Memoriali primùm oblato relatæ ſunt: ne ſi ſcintillæ illæ negligantur magnum in univerſa Eccleſia excitetur incendium. Hoc enim ſummi momenti negotium eſt, atque adeò ejuſmodi, ut non ſolùm de S. Auguſtini aut Ordinis noſtri honore, ſed de totius Eccleſiæ everſione agatur. Quæ cauſa eſt cur Orator tam ardenti & ſollicito ſtudio id beneficii flagitat.

Fretus igitur benignitate & benevolentiâ Veſtra, Rex Clementiſſime, tituloque Defenſoris Eccleſiæ & Sanctorum ejus, quo meritò ornatus es, iterum pedibus Majeſtatis Veſtræ advolutus te Regem fidei & Religionis ſtudioſiſſimum ſuppliciter orat, ne diutiùs differat V. M. ad Pontificẽ ſcribere. Nam quò majus eſt illius in Eccleſiam Religionemque Catholicam ſtudium, eò certior eſt ſpes illam ſine mora auctoritatem Regiam interpoſituram, ut novitates tantæ tamque pernicioſæ comprimantur. Qua de re Vincentius Lirinenſis olim hæc pronunciavit, *Quò quiſque Religioſior eſt, eò promtiùs novellis adinventionibus contradicit.* Item quod Innocentius Pontifex in re ſimili dixit, hîc in rem noſtram facit: *Sanandum ergò celeriùs ne longiùs exſecrandus animis morbus inſerpat: ſicut medicus cum viderit hujus terreni corporis aliquem eſſe languorem, magnum ſuæ artis æſtimat documentum, ſi citò quis, illius interventu, deſperatus evadat; vel cum putre vulnus adſpexerit, adhibet fomenta vel cætera quibus illud poſſit; quod natum fuerat, vulnus obduci. At ſi id manens ſanari non potuerit, ne corpus reliquum ſua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat, quo reliquum integrum ſervet & intactum. Præcidendum id ergò eſt, quod velut puro ſano que nimium corpori vulnus obrepſit, ne cum tardiis abſtergitur, in ipſis penè viſceribus hujus mali non exhaurienda poſt ſentina conſidat.* Et paulò poſt: *Avellendi ſunt longiùs & ab Eccleſiæ procul removendi viſceribus, ne diutius multa occupans, inſanabilis poſt error increſcat. Si enim diu ſub hac fuerint impunitate verſati, neceſſe eſt multos in hanc ſuæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potiùs imprudentes, qui fidem Catholicam non ſequuntur. Putabunt enim eos rectè ſentire quod adhuc viderint in Eccleſia perdurare. Separetur ergò à ſano corpore vulnus inſanum, remotoque morbi ſævientis afflatu, cautiùs quæ ſunt ſincera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.*

Eadem mente Epiſcopi Africani à Traſimundo Vandalorum Rege in Sardiniam Inſulam relegati, omnes ferè S. P. N. Auguſtini Inſtitutum profeſſi, dixere. *Quantum membra Eccleſiaſtici corporis per Chriſti gratiam in unitate fidei compages retinet caritatis, tantum neceſſe eſt ut pro invicem ſollicita ſint membra: ut repulſo cujuslibet pravi dogmatis verbo, non ſolùm ſervandæ, ſed & reparandæ ſanitati jugis atque indefeſſa tam ſermonis quàm orationis impendatur inſtantia: quia ſicut ipſam dilectionem dono gratiæ ſpiritualis accipimus, ita dum pro fratribus ſolliciti ſumus, non ſolùm Divinam ineſſe nobis gratiam demonſtramus, verùm etiam quantò magis à nobis puritas caritatis impenditur, tantò magis gratia nobis divinæ reſtitutionis augetur.*

Et certè in hac occaſione, tres Provinciæ, ex quarum nomine & mandato pedibus Majeſtatis tuæ hîc advolvor, Rex, videntur poſſe Majeſtati tuæ proponere hæc Gelaſii Pontificis verba. *Non putavimus ullatenus differendum quo minùs hæc diligentiùs inquirentes, aut ſi fortè ſubrepſerant, de proximo ſanarentur, aut anxietatem noſtram, ſi falſa probarentur jactata, relevarent. Æſtimantes meliùs nos videri impatientiùs talia inveſtigare voluiſſe, quàm creſcere diſſimulando perniciem: neque enim vel ſilentio premere cauſas hujuſmodi, vel differendo fovere deberemus, dicente Magiſtro gentium,* Sollicitudine non pigri: *atque iterum,* Qui præeſt in ſollicitudine: *reos procul dubio nos, niſi continuo quæreremus, etiam ſi inaniter eſſent vulgata, convincerent. Nec intereſt per quos ad aures noſtras eadem perveniſſent, dum quomodolibet iſta referentibus poſtquam noſtram conſcientiam penetrarent in his veraciter indagandis, Paſtorales excubias eſſe non oportuerit negligentes, quatenus vel è veſtigio poſſit lupis inhiantibus obviari, vel nullis exiſtentibus feris ovium cuſtodia ſecura perſiſteret.*

Ad extremum, Rex, nihil ad rem noſtram accommodatiùs eſſe, aut Majeſtati tuæ convenientiùs dici poterat, quàm hæc S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis Toleto oriundi, viri Sanctiſſimi atque Sapientiſſimi Ordinis S. P. N. Auguſtini Religioſi oratio: *Magis*, inquit, *Chriſtianum regitur ac propagatur Imperium dum Eccleſiaſtico ſtatui per univerſam terram conſulitur, quàm cum in parte quacumque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur.*

Has ob cauſas, Rex, atque imprimis ob eximiam pietatem tuam, & ſingulare ſtudium in univerſæ Eccleſiæ, & præſertim in harum trium Provinciarum bonum, quæ dotes tuæ toti orbi notiſſimæ, omnium Eccleſiæ filiorum amorem & reverentiam tibi pepererunt; trium harum Provinciarum Religioſi ſervi tui confidunt, fore ut non vana ſpe fiduciam poſuerint in amore eximio ſummaque tua pietate in ſanctum Patrem Noſtrum Auguſtinum, quem ſummi Pontifices, Synodi œcumenicæ, ſancti Patres, & Scriptores Catholici multis & pulcherrimis laudibus celebrarunt: qua de re libri

bri etiam ſcripti ſunt, atque alii ſcribi poſſent. Adeóque manifeſtum eſt ſacram, ſupremam atque univerſalem Inquiſitionem pro jurato ſuo in Eccleſiam ſtudio jure meritiſſimo 22. illas Aſſertiones ex mandato tuo proſcripſerit & notaverit tanquàm reſpectivè falſas, improbabiles, abſurdas, male-ſonantes, piarum aurium offenſivas, temerarias, ſapientes hæreſim & contumelioſiſſimas ſanctitati, pietati, & Doctrinæ S. P. N. Auguſtini inclyti Eccleſiæ columinis.

Ex his conficitur, has Provincias jure merito & optimis rationibus nixas à te, Rex ſapientiſſime, ſupplices orare, ut datis ad ſummum Pontificem litteris ab eo petas, ut in univerſa Eccleſia fieri jubeat quod ab Inquiſitione generali, & hujus juſſu ab aliis ipſi ſubjectis Inquiſitionibus tum Hiſpaniæ tum aliorum locorum factum eſt: quando quò malum latiùs graſſatur, eò latiùs extendendum eſt remedium. Nec videtur quidquam convenientiùs fieri poſſe, quàm ſi ad ſupremum Paſtorem confugiatur, petaturque, quod ab eo exſpectandum eſt, neceſſarium malis remedium.

Hæc, Rex, jam indè ſemel atque iterum ad pedes Majeſtatis tuæ demiſſiſſimè proſtratus quanta maximâ potui contentione & reverentia petii, idque ipſum rurſus peto. Sic te Chriſtus Jeſus in multa ſecula ſalvum & incolumem ſervet.

III. MEMORIALE

INQUISITORI GENERALI HISPANIÆ

OBLATUM

A R.P. BARTHOL. DE LOS RIOS.

ILLUSTRISSIME DOMINE

Pater Magiſter Bartholomæus de los Rios Eccleſiaſtes Regius, & primarius in Provincia Caſtellanenſi Ordinis S. Auguſtini Definitor, ex nomine & mandato hujus Provinciæ, item Tarraconenſis & Andaluſienſis exhibet oblato à ſe Libello ſupplice Magnitudini tuæ, ex nomine earumdem Provinciarum, quo tibi ſupplicabat, opemque tuam & præſidium implorabat adverſus aſſertiones quaſdam autoritati & doctrinæ Sancti Patris noſtri Auguſtini Doctorum Eccleſiæ Coryphæi contumelioſiſſimas; te, Illuſtriſſime Domine, pro eo quod in te eſt fidei conſervandæ ſtudio, proque tua rerum Eccleſiæ Catholicæ promovendarum vigilantiſſima ſollicitudine, & ſummo in autoritatem & Doctrinam SS. Patrum affectu, proſcripſiſſe aſſertiones illas, cenſuràque meritâ notatas prohibuiſſe Decreto publico. Sed quoniam Decretum iſtud pauciſſimis notum aut viſum fuit, eo quod à quibuſdam hominibus, qui ægrè ferunt Sanctum Auguſtinum coli & æſtimari, ab Eccleſiis ubi affixum fuerat, detractum ſit: (quod conſtat in hac civitate Regia Madritenſi, & Salmanticæ fuiſſe factum, itemque in aliis locis factitatum fuiſſe veroſimile eſt) multi dubitant fueritne cenſura illa publicata, aut editum illud Decretum. Quod cùm ita ſit, deſperandus eſt fructus qui exſpectabatur à remedio quod tantis malis Magnitudo tua attulerat. Immò verò fuit nuper qui inſolenter Decretum illud contemſit, & in Scripto typis excuſo hanc orationem petulantiſſimam effutiit: *Nolite ferre, ut decretis Pontificum opponatur Cenſura trium fortè aut quatuor Theologorum qui proſcripſerunt (quo die? quo menſe? quo anno?) viginti duas Propoſitiones, quæ ad Doctrinam nihil attinent; ſed eo titulo quod æqua lance Doctrinam Sancti Auguſtini non æſtimarent.*

Malum jam inveteratum eſſe indicat, cùm id quod jam narratum eſt, tum ea audacia qua decreta veſtra detrahuntur ab iis locis in quibus affixa fuerant ut eſſent publica, quâque in ſcripto publico vilipenduntur.

Ad hæc à viris fide dignis accepi editum fuiſſe in Gallia anno ſuperiori librum autore quodam Joanne Adam, in quo Scriptor ille impudentiſſimè & contumelioſiſſimè Doctrinam & autoritatem P. S. N. Auguſtini deſtruit & evertit.

His de cauſis Orator Pietatem tuam rursùs implorans exhibet Principes & Judices non eſſe timori boni operis, ſed mali, nec ſine cauſa eos gladium portare, leges verò & ſanctiones publicas eſſe lucernas quæ non ſint ponendæ ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceant omnibus qui in domo ſunt.

Quare à te, Illuſtriſſime Domine, ex nomine trium dictarum Provinciarum qua debet reverentiâ flagitat, ut manifeſtes & notiùs reddas tuum illud ſtudium amoremque fidei & Eccleſiæ Catholicæ (quæ in ſummo periculo verſatur, præſertim dum ejus columnæ principes & validiſſimæ ſubruuntur) aut mandando, ut rurſus Decretum tuum publicetur, & curando ne detra-

hatur, aut tradendo Oratori exemplum authenticum illius Censuræ, in quo ad verbum expressæ sint illæ viginti duæ assertiones, ut eo uti valeat adversùs eos qui eam in dubium revocant aut arroganter despiciunt: aut efficiendo ea ratione quæ Magnitudini tuæ cõvenientior videbitur, ut mandata tua & Censura omnibus sic innotescant, ut de iis neque dubium ullum remaneat, neque ulla controversia sit.

Quod si faciat Magnitudo tua, de Ecclesia Catholica, de Sanctis Patribus atque inprimis de S. P. N. Augustino & de Ordine nostro optimè merebitur.

EPISTOLA

R. P. BARTHO. DE LOS RIOS AUGUSTINIANI AD R. P. PHILIPPUM VICECOMITEM *Augustiniani Ordinis Generalem.*

Circa 20. Junii 1650.

REverendissime Pater

Ave Maria. Litteras R. P. V. 28. Januarii Romæ ad me datas nonis Martii recepi: verùm, sive quòd Aulæ Concionibus tunc occurrentibus detinerer, sive quòd Tabellarii copia destituerer, sive denique quòd ad hujus Provinciæ Capituli iter me accingerem, curisque in eam rem necessariis distraherer, hactenus tanto favori quo me tam benignè & liberaliter prosequi dignata est R. V. P. gratias, ut par erat, habere non potui. Nunc ergo mihi quodammodo restitutus ex intimo cordis manum R. P. V. exosculans, quo possum cultu & observantia gratias habeo, tantæque benevolentiæ gratam memoriam æternùm conservabo, confidens quòd quo me affectu excipere cœpit, posthac etiam complecti non dedignabitur.

Detrectabam ob ætatem graviorem Capitulo Provinciæ hujus præsentem me exhibere: verùm desideriis & precibus R. P. M. Gamboa (cujus curâ & vigilantiâ res ibi promovebatur) victus obtemperavi. Egerunt ut totius Provinciæ sarcinam susciperem; sed quia multis jam annis in Belgio commoratus, minùs hîc innotueram, gravesque præterea difficultates in variis Conventibus superandæ erant, quas infelicis & carioſi seculi licentia invexit, discolisque non paucis ferro & igne medendum erat; abnuendum duxi. Non potui tamen effugere quin oneris saltem particula in me derivaretur: coactus ergo sum primum inter Definitores locum admittere: Utinam qualis qualis opella ista mea Provinciæ & Ordini utilis ac Deo grata esse queat. Nihil interim prætermittam, quo precibus & suffragiis meis, Deo, Ordini & bono publico satisfiat: jucundissimumque semper fuerit promtissimè & alacriter R. P. V. inservire; ejusque purpuræ (Deus audiat) aliquando flexo poplite advolvi & exosculari.

Reverendissime Pater, non me contineo, quin gemitus cordis mei apud R. V. P. filialiter eructem, confidenterque deponam. Redierunt scilicet Prosperi tempora: quibus licentiosa garrulitas in S. P. N. Augustinum voces & calamos maledicos insolenter armavit: Gratiam Dei (ut cum eodem Prospero contr. Coll. c. 1. interruptis singultibus eloquar) qua Christiani sumus, quidam dicere audent à S. memoriæ Augustino Episcopo non rectè esse defensam, librosque ejus contrà errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quiescunt. Quibus ibi non tam suæ ætatis effigiem, quàm seculi nostri infelicitatem, ad vivum representare videtur. Pro sui gravitate, tantæque licentiæ indignitate res ista Definitorium nostrum adeò exulceravit, ut pro opportuno remedio S. Majestati Catholico Regi nostro supplicandum censuerit, quatenus Regiæ suæ Autoritatis interventu apud S. Sedem, quod olim Prosper & Hilarius à Cœlestino, hodie ab Innocentio X. impetret petulantiæ istius necessariam coercionem. Hæc mihi provincia demandata est: & jam cœpi nomine Provinciarum Castiliæ, Aragoniæ & Andalusiæ, & ex earumdem commissione, tum apud Catholicam suam Majestatem, cum apud Generalem nostram Inquisitionem insistere, ut de remedio adversùs tam pernicioſum quod serpit incendium, dignarentur cogitare. Impetravi à S. Majestate secretam audientiam, ut tanto liberiùs confidentiúsque justissimas querelas nostras pro rei gravitate dolenter exponerem, porrexique hunc adjunctum libellum. Addixit verò sua Majestas, pro solita sua clementia & in Divum Augustinum P. Patris affectu, patrocinium suum apud S. Sedem, efficaceſque litteras in eam rem daturum se adpromisit. Ordinem S. Patris Dominici imminens quoque incendium similiter excitavit

citavit, magnamque in hac causa operam conferunt; immò (ad verecundiam nostram dico) ardentiores nobis sunt. Jungo quædam scripta, quæ lucem aliquam & instructionem dare possunt. Memoriale hoc S. Sanctitati præsentatum, typis evulgatum accepi ex Belgio: reliqua duo impressa & excerpta sunt ex libris in Gallia impressis. Non dubitamus quin R. P. V, autoritate etiam sua præsens in curia ista totius S. Ordinis nostri, immò totius Ecclesiæ causam promovere dignabitur.

Pervenit ad nos rumor propediem nobis adfuturam R. P. V. utinam! utinam! de hoc si constaret, animos Magnatum & præcipuorum Ministrorum suæ Majestatis pro debito cultu, & reverentia, & veneratione exhibendis studiosè prævenirem; immò si quid ulterius desiderari videbitur, sum etenim ex animo & toto corde

R. P. V. *Minimus Servus & Filius*

F. Bartholomæus de los Rios.

EPISTOLA

R. P. PHILIPPI, VICECOMITIS AUGUST. ORDINIS GENERALIS,

A D

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS

ejusdem Ordinis.

Reverende Pater

Filiorum est Patris conservare hæreditatem, custodire depositum, tueri honorem, & Augustini sanam, catholicamque doctrinam defendere, lætamurque te inter alios hunc à Domino consequutum spiritum, ut plurimùm cupias doctrinam ejus à quibusdam nescio ventilatam, & ad certamen vocatam pro viribus defendere: & cum à nobis nostram quoque operam implores, etiam ita spondemus, ut cum reliquo religioso cœtu, nullum desiderandum relinquamus majus studium pro communis Patris honore. Quamquàm causa potiùs publica sit totius Catholici nominis, & hujus in primis S. Sedis: tamen & nostros quoque calamos, linguasque acuendas exigit pietas, ut tanti Patris vindicemus injurias. Porrò pro certò habemus, quòd qui volunt ad pugnam exhumare, sanctosque cineres profana manu ventilare, ossa corrodere, in hoc adamantino Viro suos fracturos esse dentes: & si mortuos insultaverint vel timidos lepores, ex nostra Eremo non deerunt leunculi, qui leonem hunc emortuum, semper tamen victurum, defendant, & ex ejus ore mel suavissimum prodire ostendant. Tametsi ex ejus collisis ossibus etiam scintillæ prosiliant, quibus vel excitentur mentes ad agnoscendam veritatem, vel stipulæ adversantium veritati comburantur. Vale P. T. R.

Romæ 2. Martii 1651.

Amantissimus

F. Phil. Vicecomes *Gener.*

EPISTOLA

EJUSDEM

R. P. BARTHOLO. DE LOS RIOS

ad eumdem suum Generalem.

Reverendissime Pater

AVE MARIA. Ut non desint Eremo nostræ cervo fugaciores leporéque timidiores homines; pauci, inquam, prout olim Prosperi nostri ætate, supersint fortasse intrepidi perfectæ Gratiæ amatores, qui tantis contradictoribus audeant contraire; nonnullis spe, ambitu, metu enervatis (licebitne addere quod probro nobis non parùm vertitur) etiam ipso circa P. N. S. Augustini doctrinam, in plerisque nimis supino studii neglectu, qui relicto fonte aquæ vivæ, fodiunt sibi cisternas dissipatas; Leone tamen duce, qualem ex ungue & litteris R. P. V. esse dignoscimus, strenuum videlicet & non degenerem S. P. nostri Successorem, non deerit unquam generosus Leunculorum manipulus, Catulive leonum rugientes ut rapiant; qui inverecundæ obtrectatorum audaciæ, viriliter generositatem suam opponant. Etsi verò auscultare & obtemperare proclivius sit devotissimis tuis Filiis, Reverendissime Pater, promtosque & alacres ad ejusdem R. P. T. jussa capescenda accinctos semper reperies; si quid tamen, communicatis iis quas ad me dirigere dignata est, harum Provinciarum Superioribus ac Magistris visum fuerit pro feliciore causæ istius directione & patrocinio S. P. N. suggerere, verecundè ac reverenter audebimus. Certè

tam

tam altè impreſſa eſt omnium noſtrûm medullis S. P. N. veneratio, ut ſi ita neceſſe judicabitur, non dubitabunt ad S. Sedem, dicti Proſperi noſtri exemplo provocati, conſimilique zelo ſuccenſi (bonâ cum R. P. V. licentiâ) accurrere, querelas ſuas deponere, remedia tantis malis deprecari: neque Sanctitatem ſuam dimittent, donec benedixerit eis. Quid quod vel laicum hominem, Hilarium, olim in S. P. N. jactata contumelia (longè tamen minor quàm quæ hodie, ſi circumſtantias omnes attentiùs penſiculemus) tantum potuit exulcerare, ut ſe Proſpero ad ſanctam Sedem properanti, non dubitarit gemebundum comitem adjungere? An fortè à Religioſis Viris, Auguſtini diſcipulis ac filiis, Eccleſiæque Ducibus, minus aliquid exſpectandum? Veſtem priùs ac nomen Auguſtinianum abjicient.

Audio, felici & grato nuntio, ex parte Definitorii Religioſiſſimi Ordinis Sancti Dominici, cujus Fratres, tanquam fidiſſimi canes ad Ovile Dominicum adversùs lupos tam diligenter excubant (qui Paſtorem ovium lædere vult, lupus eſt; canebat olim in hac eadem cauſa Proſper) ſcriptas in hanc rem noſtram, ſeu veriùs Eccleſiæ, litteras ad ipſorum Generalem, quas ab eis dolor & zelus expreſſit. Fortè offeret ſeſe occaſio R. P. V. cum eo ſermones miſcendi, & de mediis ac remediis conſulendi. Deus mentem bonam inſpiret, animos confortet, vires & ſalutem conſervet. Dabam Madriti in Regali Conventu S. Philippi 20. Maii 1651.

Reverendiſſimæ P. V.

Devotiſſimus & obedientiſſimus in Chriſto Filius

F. BARTHOLOMÆUS DE LOS RIOS.

EPISTOLA
EJUSDEM R. GENERALIS
AD EUMDEM.

REVERENDE PATER

Ex litteris tuis, annexiſque Propoſitionibus, & laudabilem tuum pro communis noſtri Parentis honore zelum, & obtrectatorum ejus impudentem veſaniam cognovimus. Et hanc quidem ad ſtuporem uſque ſumus demirati. Si enim, ut antiquorum Patrum quiſpiam dixit, *Ille ſe ore proprio hæreticum eſſe convincit, qui Auguſtinum in aliquo putaverit reprehendendum eſſe eloquio:* quo tandem nomine cenſendi ſunt perditi illi tenebriones, qui ad ſplendidiſſimum tanti ſolis fulgorem caligantes, non ſolùm maculas in ejus limpidiſſima puritate nituntur oſtendere, verùm etiam ejus lucem ægris ſuis oculis odioſam moliuntur infuſcare? Illum verò, hoc eſt, zelum tuum, probavimus laudavimuſque: decet enim filios, haud degeneres in ſui parentis contumelia commoveri. Quia tamen Spiritu S. per Scripturam monente, non eſt reſpondendum ſtulto juxtà ſtultitiam ſuam; & quia S. Auguſtinus non ſolùm Inſtituti noſtri autor & parens eſt, verùm etiam Catholicæ univerſalis Eccleſiæ Doctor & Magiſter, cujus doctrinam tum per ſummos Pontifices, tum per ſacra œcumenica Concilia toties approbavit, & quodammodò conſecravit; non exiſtimamus niſi ſigno ab ipſa dato, nobis eſſe contra furentes ejuſmodi graſſatores arma aſſumenda. Quos ipſa fortaſſè ſperat faciliùs ad bonam mentem redituros, ſi eorum furori ad tempus cedatur, ipſique interea cœleſti medico, qui ſolus eos ſanare poteſt, ferventibus aſſiduiſque precibus commendentur. Quo ſpiritualium armorum genere ipſum etiam Auguſtinum, dum viveret, inſultantium impetus fregiſſe, geſtorum ejus monumentis edocemur. Hoc igitur ejus exemplo cum primis faciendum eſt: deinde Sanctiſſimo Domino, ejuſque miniſtris quorum intereſt, ſupplicandum, ne tam perniciоſam peſtem diutiùs ſerpere ſinant: in quo partes noſtras deſiderari non patiemur. Vale. Romæ die 15. Septembris 1651.

P. T. R.

Amantiſſimus

F. PHILIPPUS VICECOMES GENE.

EPISTOLA
EJUSDEM P. GENERALIS
AD
P. CAROLUM MOREAU
GALLUM, EJUSDEM ORDINIS.

REVERENDE PATER

Quod Crœſi Filium hiſtoriis celebrem imitatus diuturnum ſilentium viſo Patris periculo perrupiſti, quodque præferentibus

tibus facem Ægidio Romano & Gregorio Ariminensi ad investigandam in sublimioribus profundioribusque Theologiæ disciplinæ quæstionibus Augustini mentem, animum applicuisti, aliisque ut idem facerent autor fuisti, id verè pergratum nobis perque jucundum accidit : decet enim filios non degeneres ad parentis contumeliam commoveri ; & cum eumdem Augustinum habeamus, non solùm vitæ morumque Doctorem, verùm etiam doctrinæ christianæ atque Apostolicæ Magistrum, ad ejus potissimùm normam nos in utroque convenit adaptari ac dirigi. Porrò tutiùs longè ac securiùs in hac temporum conditione antiquorum illorum quàm modernorum vestigiis insistitur, quoniam adversariorum artibus factum est, ut qui nuda profert Augustini sensa, is Jansenianum aliquid personare clamitetur, adeóque sub odioso nomine, veritatis assertores vapulare cogantur. Hinc est etiam, quòd iidem aliquas earum Propositionum, quas olim Augustino & Prospero Massilienses objiciebant, non ut Augustini aut Prosperi, verùm ut Jansenii fraudulenter promulgarunt, quatenùs ab eis propugnandis veritatis amatores hac larva perterriti prohiberentur. Quidquid tamen moliantur & quantascumque tenebras Augustino Soli offundere nitantur (non enim Deus Ecclesiam suam deseret, aut permittet ut Augustini dogmata, quæ priùs ipsa consecravit, & approbando collaudandoque sua fecit, improbentur) nos certè pro modulo nostro adlaborabimus, ut sua illis dignitas & autoritas sarta tecta Conservetur, & ut circa erudiendam juventutem antiquæ Ordinis constitutiones ubique à Professoribus observentur. Vale. Romæ 24. Febr. 1653.

Reverende Pater
Amantissimus
F. PHILIPPUS VICECOMES GEN. IND.

AUCTARIUM
DE PECCATO PHILOSOPHICO

Ad Caput XLVIII. Libri III. in Addendis pag. 82.

Quàm intentis animis incumbant Societatis Patres in peccatum Philosophicum denuò instaurandum, monueram illius Capitis initio, referre contentus quam nuper scenam Germanus Becheferius Societatis in Parisiensi Collegio Theologus explicuerat, ut hoc scholæ suæ placitum novam in lucem ederet. Sed cum ad illud consilium exsequendum alii aliis viarum diverticulis progrediantur, operæ pretium putavi duobus vel tribus aliis, iisque recentissimis, exemplis Sociorum mentem certiorem lectori facere, præsertim cum eorum nonnulli dum Philosophici peccati errorem abjicere se simulant, pejus aliquid in ejus locum substituant: in hoc unum omnes intenti, ut peccatores à peccati reatu æternaque, vel etiam temporali omni pœna, securos faciant.

Principium illis omnibus commune hoc est, eum peccati culpâ carere Deumque non offendere, cui nullum sufficiens gratiæ actualis auxilium præsto fuerit, quo illius mens illustretur, exciteturque voluntas. Ex illo principio deduxerat Becheferius pravum istud dogma : Peccatori planè obcæcato & indurato peccata non imputari ; qui secus sentirent, errare.

Thesis Jesuitarum Lugdunensium ejusque Censura.

Jesuitæ Lugdunenses Theses Theologicas propugnaverunt 26. Augusti anni 1697. inter quas hæc de peccatis quarta legitur. *Dari non potest peccatum merè Philosophicum. Verùm etsi esset possibile, falsum est, ut nonnullis crasso errore placuit, hac opinione excusari posse omnia scelera perditissimorum hominum.* *Lion.* *V. Lib. cui titul.* Theses Theolog. Jesuitar. Lugdun. die 26. aug. 1697. propugnatæ Censoriis notis distinctæ & confixæ. De peccatis propos. 4. habentur in Collectione Gallica pro Defensione Moralis & Gratiæ Christianæ. Tomo 2. *pag.* 30.

* Enimverò Professor ille fingit sibi suisque collegis impossibile haberi peccatum merè Philosophicum, ut securiùs illudat Decreto quo Alexander PP. VIII. infaustum illud & erroneum dogma proscriptum voluit cum suis consequentiis. Sed juvat hic inserere doctissimi è Sancti Thomæ Schola Theologi celeberrimique simul Scriptoris censuram, qua non ita pridem Thesim illam publicè notavit.

† *Hæc Propositio*, inquit ille, *quatenùs negat ex peccato merè Philosophico sequi, ut excusentur omnia scelera perditissimorum hominum qui Deum vel ignorant, vel de Deo actu non cogitant, falsa est : illudit Decreto Alexandri* † *Censura.*

dri VIII. Pontificis Optimi Maximi die 24. Augusti 1690. edito, quo peccati Philosophici consectarium illud damnatur: viam aperit ad propugnandam erroneam & temerariam peccati Philosophici doctrinam, cùm eam innoxiam esse, & à perniciosâ scandalosâque consequentiâ divulsam contendit. Opinionem præterea vocat Propositionem quæ ab Ecclesiâ damnata est ut erronea: Hac opinione, *&c.* Excusari *denique* posse omnia scelera perditissimorum hominum hac (*ut loquitur*) opinione *negat: excusari posse plurima, vel certè aliqua, non diffitetur, quæ scilicet ab eo fiunt qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat. Vel eatenus excusari negat ut gravia peccata non sint, quamvis eatenus excusari fortè velit ut non sint offensæ Dei, neque peccata mortalia, & æternâ pœnâ digna, ut peccati Philosophici Vindices locuti sunt.*

Secunda Propositio ab Alexandro VIII. damnata.

Probatio Censuræ.

Peccatum Philosophicum seu Morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò & mortale, est transgressio libera divinæ Legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.

Secundam hanc *Propositionem* Summus Pontifex *declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam esse, sicuti damnat & prohibet: ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, aut de ea etiam disputaverit publicè seu privatim, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit ab alio (præterquam in articulo mortis) nisi à Romano Pontifice absolvi.*

Actio vel omissio, quæ non est libera transgressio divinæ Legis, ad peccatum non imputatur, nec æternæ damnationis reum hominem constituit. *Peccatum usque adeò voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi*; utique liberâ. Unde à S. Augustino alibi definitur, *Voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Itaque si possibile esset peccatum quod merè Philosophicum appellant, actus scilicet humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi, qui tamen non esset transgressio libera divinæ Legis; non esset offensa Dei, neque hominem faceret æternæ pœnæ obnoxium.

S. Aug. lib. de vera Relig. c. 4.

Lib. de duabus Anim. cont. Manich. c. 11.

Thesis itaque illudit Pontificio Decreto, cùm id sequi negat, etiamsi peccatum merè Philosophicum asseratur; & systema erroneum, temerarium, & scandalosum peccati Philosophici, à Sede Apostolica damnatum, innoxium esse obliquè propugnat, & ad quæstionem duntaxat metaphysicam, de possibili, pertinere innuit. *Hucusque Viri Clarissimi Censura.*

Dictata & Thesis Autissiodorensium Jesuitarum. *Auxerre.*

Verùm à Theologorum adytis ad Philosophorum Scholas descendamus. Nam peccatum Philosophicum ab illis malè exceptum ad Philosophica Gymnasia velut ad natale solum confugit, amicam sedem ac tutiores latebras in adolescentium mentibus inventurum se confidens. Pronis enim auribus auscultant, suspiciunt, mirantur, ac tenaci memoria retinent rudiores illi sapientiæ candidati quæcumque sibi à loquacibus magistris confidentiùs traduntur, velut certiora instituendæ moralis vitæ principia. Illorum pars maxima proni ad vitia, Legi divinæ parùm intenti, ad peccati malitiam vix aliquando animum advertentes, ab agenda de admissis pœnitentia abhorrentes, avidè accipiunt ea morum præcepta quæ liberiori indoli ac lubricæ ætati gratificantur, impunitatem promittunt, ab importunis de pœnitentiæ necessitate cogitationibus liberant, ac peccandi libertatem omnis reatus vacuam, nullique pœnæ obnoxiam, tantò ampliorem indulgent, quantò minùs de Deo, ejusque Lege, aut de peccati malitia ac turpitudine miseri discipuli cogitant. Denique cum plerique ejusmodi Philosophiæ studiosi ad Theologicam palæstram inde non transeant, sed alii aliud in seculo vitæ genus sortiantur à Theologia alienum, iisdem præceptis quibus malè imbuti sunt à Philosophiæ Professoribus, ad seram plerumque ætatem retinent, & ad illa vitam moresque componunt.

Hujusmodi est doctrina quam discipulis suis tradidit Pater Debar Augustodunensis in Autissiodorensi Societatis Collegio, anno proximè elapso 1700. Philosophiæ Professor. Sic ille in *disputatione* 1. *de Moralitate actuum humanorum in genere.*

Quæres 1. *Quid ſit actus moralis? Reſpondeo actum moralem definiri poſſe eum qui fit liberè & cum advertentia ad rationes æternas, hoc eſt ad honeſtatem aut ad turpitudinem.*

Dicitur 1. *is qui fit liberè, quia per actum moralem eum communiter intelligimus qui eſt imputabilis ad laudem aut ad vituperium. Solus autem actus liber poteſt eſſe talis.*

Dicitur 2. *qui fit cum advertentia ad honeſtatem aut turpitudinem: nam ſi fiat cum advertentia ad rationem commodi aut incommodi, poterit quidem eſſe liber, ſed non erit moralis. Unde vides omnem actum moralem eſſe liberum; ſed non viciſſim omnem actum liberum eſſe moralem.*

Quam in ſcholaſtico pulvere auditoribus ſuis explicuerat doctrinam, eandem in publica urbis luce propugnavit idem Profeſſor Autiſſiodorenſis menſe Auguſto ejuſdem anni. Hæc ſunt Theſis defenſæ verba: *Eſt in homine libertas arbitrii ad meritum morale ſufficiens, cujus eſſentia conſiſtit in activa contradictionis indifferentia. Finis ut finis non eſt libertatis objectum. Sedem habet in voluntate libertas, radicem in intellectu. Exercitium libertatis vel poſitivum eſt vel negativum: iſtud eſt actus poſitivus; hoc, omiſſio actus. Actus moralis dicitur ille qui fit non ſolùm cum libertate, ſed etiam cum advertentia ad regulas morum.*

Reims *Dictata & Theſis Remenſium Jeſuitarum.*

Eumdem errorem in adoleſcentium Remenſium animos inſtillavit eodem anno Pater de Briel Philoſophiæ Profeſſor in Remenſi Jeſuitarum Collegio, nec dubium quin pariter in Sedanenſi & Carolopolitano Collegiis idem error diſſeminetur à Sociis illic Philoſophiæ Magiſtris.

En excerptum damus Scriptorum Remenſis Profeſſoris, quæ ex dictantis ore excepta ſunt, & à tribus illius diſcipulis repræſentata ac diligentiſſimè cum diverſis illorum exemplaribus ſunt collata.

ASSERTIO V.

Moralitas actûs eſt denominatio extrinſeca actui, ducta ab advertentia agentis ad regulam morum.

Probatur. Poſitâ præcisè advertentiâ agentis ad regulam morum, actus fit moralis; ſublatâ, actus non eſt moralis: ergo moralitas actus petitur extrinſecè ab illa advertentia.

Conſequentia patet. Antecedens probatur; quia in tantum actus dicitur moralis, in quantum agens advertit utrum actus à regula morum imperetur, aut prohibeatur, aut permittatur.

Res illuſtratur exemplo. Fac enim, V. G. Petrum die veneris comedere carnes, ita tamen ut primo quadrante ad nullam omninò regulam advertat, neque prohibentem, neque permittentem; ſequente quadrante advertat, tunc actus ille primo quadrante non erit moralis, ſed purè naturalis, perinde ac ſi dormiendo comederet; ſecundo verò quadrante idem ille actus fiet moralis & quidem malus, ſi advertat ad regulam prohibentem. Idem porrò dici debet de omni alio actu.

RESOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Objicies. Moralitas eſt aliquid intrinſecum actui: ergo non eſt denominatio purè extrinſeca. Reſpondeo, nego antecedens. Probatur. Moralitas actûs eſt dependentia actûs ab advertentia agentis ad regulam morum: ſed hæc dependentia eſt intrinſeca actui, ſicut omnis alia relatio: ergo moralitas eſt aliquid intrinſecum actui.

Reſpondeo. Nego majorem. Nam moralitas dependet quidem ab advertentia, ſed non eſt ipſa dependentia; ſicut denominatio viſi in pariete dependet quidem à viſione, ſed non eſt dependentia à viſione.

Inſtabis 1. Atqui moralitas non eſt tantùm denominatio ducta extrinſecè ab illa advertentia. Ergo eſt ipſa formalis dependentia actûs à tali advertentia.

Reſpondeo, nego ſubſumptum.

Probatur. Plures actus independenter ab advertentia ſunt morales; ergo moralitas non eſt denominatio ducta extrinſecè ab illa advertentia. Reſpondeo, nego antecedens.

Probatur; ille actus eſt moralis, qui habet vim inducendi bonos aut malos mores; ſed plures actus independenter ab advertentia habent hanc vim: ergo plures actus independenter ab advertentia ſunt morales.

Reſpondeo. Diſtinguo majorem. Qui habet vim inducendi bonos aut malos mores formaliter concedo: fundamentaliter tantum, nego maj. & diſtinguo minorem. Plures actus independenter ab advertentia habent hanc vim, id eſt, habent vim inducendi bonos aut malos mores fundamentaliter, eſto; formaliter, nego minorem & diſtinguo conſequens. Ergo plures actus independenter ab advertentia

tia sunt morales : fundamentaliter; esto, formaliter, nego consequentiam. Dico itaque eo modo actum esse moralem quo inducit bonos aut malos mores. Prædicti autem actus quamdiu fiunt sine advertentia inducunt tantùm mores fundamentaliter bonos aut malos ; undè sunt etiam tantùm fundamentaliter morales.

Instabis 2. Atqui non potest intelligi moralitas actûs nisi per aliquid intrinsecum actui : ergo nulla solutio.

Respondeo, nego subsumptum. Probatur: Bonitas & malitia sunt quid intrinsecum actui , ergo & moralitas. Respondeo, concedo antecedens , nego consequentiam. Probatur. Bonitas & malitia sunt differentiæ specificæ , quarum moralitas est genus ; nam actus dividitur in moralem & in non moralem , & moralis in bonum & malum ; atqui ubi species sunt intrinsecæ, genus est etiam intrinsecum ; ergo si bonitas & malitia sunt quid intrinsecum actui , etiam moralitas est quid intrinsecum.

Respondeo, distinguo majorem. Bonitas & malitia sunt species, quarum moralitas est genus, prout genus significat partem essentialem speciei, nego; prout significat quemcumque terminum superiorem licet accidentalem & extrinsecum: permitto majorem, & distinguo minorem Ubi species sunt intrinsecæ etiam genus est intrinsecum, si per genus significatur pars essentialis , concedo; si significatur tantùm terminus superior, licet extrinsecus & accidentalis, nego minorem & consequentiam. Certè determinatio visi potest dici genus respectu hujus vel illius coloris visi ; non tamen est propterea denominatio intrinseca, sicuti est denominatio colorati. Permisi suprà majorem : Ratio est, quia sicut actus moralis dividitur in bonum & malum , sic posset etiam actus de se vel bonus vel malus dividi in moralem & non moralem : undè sunt termini excedentes & excessi ; quare neuter est genus respectu alterius.

Inst. 3. Moralitas actus est principium meriti quod est in actu ; ergo est aliquid intrinsecum actui. Respondeo : nego ant. est enim tantùm conditio sine qua actus non esset in actu secundo meritorius ; quòd si aliquandò dicitur principium meriti , tunc tò principium latè sumitur pro quocumque requisito ad meritum.

Inst. 4. Libenter quærerem, an denominatio moralis sicut & liberi æquè primariò conveniat actui externo ac interno, Respondeo, primariò & immediatè convenire actui interno , actui verò externo mediatè & secundariò. Ratio est quia in tantum actus externus est liber & moralis, in quantum imperatur ab interno. Ergo prius est internum esse liberum & moralem, quàm externum.

Hactenus Patris de Briel verba inscriptis privatim dictatis. Idem nunc audiendus eamdem doctrinam publicè propugnans in Thesibus publicæ disputationi expositis 23. & 24. die mensis Augusti anni proximè elapsi 1700. In secunda ergo Columna , è tribus in quas Theses dividuntur, hæc Propositio habetur: *Moralitas actus humani nihil aliud est quàm denominatio extrinseca actui, ducta ab advertentia agentis ad regulam morum, unde actus moralis appellatur.* Hucusque Professor.

Infinitus sim, si omnes ejusmodi Propositiones è publicis Jesuitarum Thesibus referre velim. En tamen adhuc aliam quam 27. Julii anni 1697. propugnavit Aginnense Societatis Collegium: *Actum humanum & moralem distinguimus ; alius à libertate est praciſe ; alius à libertate quidem , sed cum advertentia ad aliquam regulam morum ; unde admittimus posse dari aliquos actus indifferentes , etiam in individuo , & non tantùm in specie. In actibus autem moralibus, actui interno efficaci nihil per se loquendo, bonitatis vel malitiæ actus externus addere potest.* Agen

CLARA sunt verba nec interprete indigent, sed Episcopali autoritate, quæ in tam pestilentem doctrinam Ecclesiasticæ Censuræ gladium exerat , recidatque repullulantes excisæ nuper malæ arboris surculos, Philosophici, inquam, peccati ab Apostolica Sede proscripti : quod frustra à Theologorum confessibus eliminatum fuerit , si tamen eliminatum, quamdiu per Philosophiæ scholas impunè grassari , adolescentium mentes inficere, lethalequevirus longè latéque spargere sinitur. Plura non addam, ne Illustrissimorum Antistitum sententiam antevertere videar. Servorum est Patrisfamilias de superseminatis in ejus agro zizaniis monere; illius est Messoribus suis seu autoritatis suæ Vicariis præcipere ut zizania colligant & alligent in fasciculos ad comburendum.

FINIS.

INDEX ADDENDORUM.

ADDENDA *suis locis in Historia Congregationum de Auxiliis sub summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. celebratarum, Anno* 1700. *edita.* pag. 1

ADDENDA *in Historia.* 11

CAP. XV. *Molinæ Concordia malè à multis habita, ut quæ errores Petri de Rivo à Sixto IV. proscriptos, denuò suscitabat.* 18

Excerptum ex Censura & Declaratione Conventus Generalis Cleri Gallicani Congregati in Palatio Regio San-Germano anno millesimo septingentesimo, in materia Fidei & morum, ejusdem generalis Conventus jußu publicata, & typis edita. 25

CAP. XIX. *Molinam, ejusque recens inducta Paradoxa, pari zelo exagitant Galli è Societate Professores, uti antiquæ Patrum Traditioni, maximè verò D. Augustino injuria.* 33

CAP. XX. *Privata Molinæ causa, communibus votis à Societate suscipitur, adversùs FF. Prædicatorum oppugnationes.* 41

ADDENDA *in Libro secundo Historiæ Congregationum de Auxiliis.* 43

CAP. X. *Stat Pontifex in incœpto: Tertium Causæ hujus examen, seu veriùs novam primi examinis recognitionem edicit. Interea multa Jesuitæ moliuntur, ut litem implicent.* 51

ADDENDA *in Libro tertio Historiæ Congregationum de Auxiliis.* 61

CAP. VIII. *Distincta quinti hujus examinis Historia texitur. Quis in celebrandis Congressibus servatus ordo: quæ lex à Clemente VIII. antiquæ Traditionis Hærede, disputantibus data; ut videlicet ad S. Augustini mentem Controversiæ omnes exigerentur.* 56

CAP. IX. *Argumenta disputationum quinti Examinis, à Clemente VIII. pro nata difficultate, identidem designata.* 77

CAP. XLVIII. *Bastidæ commentum, à Germano Becheferio Societatis Theologo nuper Parisiis instauratum, de peccatis obduratorum non imputandis, cumulatissimè confutatur. Peccati Philosophici nuperrimè recusus error exploditur,*

1. *Ex hoc effato: Ut peccatum imputetur nullam supernaturalem mentis illustrationem, aut excitationem voluntatis esse necessariam.* 82

CAP. XLIX. *Ejusdem insulsi systematis falsitas demonstratur ex altero hoc Christianæ Moralis Theologiæ axiomate: A culpa non excusare impotentiam voluntariam seu propria iniquitate contractam.* 96

ADDENDA *in Libro quarto Historiæ Congregationum de Auxiliis.* 115

CAP. III. *Nova arte Pontificem à resumenda lite dehortantur: quòd quæstiones in controversiam vocatæ nihil ad fidem attineant; earumque numero sint habendæ, quas nec contemnendas nec adstruendas censuit Cœlestinus.* ibid.

CAP. IV. *Superior Molinianorum expostulatio, à nonnullis nuper instaurata confutatur: Quæstiones in jus vocatas, Cœlestini Capitulis arctissimè cohærere, multis ostenditur.* 121

CAP. V. *Petita ex Brevi Pontificio Innocentii XII. Theologis Lovanienßibus inscripto, difficultas eliditur.* 134

Instrumentum Academiæ Ingolstadienßis. 150

Instrumentum Academiæ Græcenßis. ibid.

Instrumentum Academiæ Dilinganæ. 151

Instrumentum Academiæ Wirceburgenßis. ibid.

Instrumentum Academiæ Moguntinæ. 152

Instrumentum Academiæ Trevirenßis. 153

Instrumentum Academiæ Viennenßis. 157

Instrumentum Academiæ Mußipontanæ in Lotharingia. ibid.

CAP. XIX. *Paulus V. inito finiendæ Controversiæ consilio Bullam Pontificiam Consultoribus delineandam committit: quam illi, diligenti studio elaboratam, Sanctitati suæ tradunt.* 159

CAP. XXVI. *Objecta Thomæ de Lemos, aliisque nonnullis Thomistis palinodia confutatur.* 169

CAP. ULT. *Quadraginta in gratiam Scholæ Augustino-Thomisticæ, adversùs Molinianam Præjudicia, ex superiori Auxiliorum Historiâ derivata.* 178

ADDENDA *in Appendice Historiæ Congrega-*

INDEX

gregationum de Auxiliis. 184

EPISTOLA *Joannis Antonii Bovii ad Paulum V. quâ ſuam, de finiendâ Auxiliorum Controverſiâ ſententiam dicit, à cæteris Cenſoribus diſſentientem.* ibid.

DE JURAMENTO *quo Academia Salmanticenſis S. Auguſtini Doctrinæ & S. Thomæ Concluſionibus docendis ſe addixit: nec non de ejuſdem Juramenti Apologia Excerptum è quibusdam MSS. Doctrinæ Auguſtinianæ Vindiciis.* 206

Monitum Typographi de ſubſequenti Opuſculo. &c. 228

NARRATIO *rerum geſtarum in negotio Cenſuræ ab Hiſpanicis Inquiſitionibus latæ adversùs XXII. Propoſitiones à Jeſuitis eorúmque aſſeclis aſſertas contra S. Auguſtinum.* ibid.

Decretum & Cenſura Inquiſitionis Vallisoletanæ in viginti & duas Propoſitiones S. Auguſtino contumelioſiſſimas. 247

Decretum & Cenſura Inquiſitionis generalis Hiſpaniarum adversùs duas & viginti Propoſitiones S. Auguſtino perquam injurias. 248

Memoriale Regi Catholico oblatum per Reverendum Patrem Bartholomæum de los Rios. 249

Scriptum in quo proponuntur Rationes & Fundamenta quibus nititur Liber Memorialis à Patre Bartholomæo de los Rios Regi Catholico, nomine trium Provinciarum Caſtellanenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis, Ordinis Eremit. S. Auguſtini. 252

I. Memoriale Inquiſitori generali oblatum à R. P. Bartholomæo de los Rios. 255

Epiſtola à R. P. Bartholomæo de los Rios ad P. Thomam Figuerola Provincia Tarraconenſis Provincialem. 256

Epiſtola R. P. Petri de Perrez Provincialis Andaluſienſis ad R. P. Bartholomæum de los Rios. 257

Epiſtola R. P. Thomæ Figuerola Provincialis Tarraconenſis ad R. P. Bartholomæum de los Rios. 258

Epiſtola R. P. Thomæ Figuerola Provincialis Tarraconenſis ad R. P. Bartholomæum de los Rios. 260

Cauſæ & Rationes, &c. ibid.

Reſponſio R. P. Magiſtri Bartholomæi de los Rios in Provincia Caſtellanenſi Ordinis S. P. N. Auguſtini Primarii Definitoris, & Concionatoris Regii ad Cauſas & Rationes R. P. Magiſtri Thomæ de Figuerola in Provincia Tarraconenſi ejuſdem Ordinis S. P. N. Auguſtini Provincialis. 264

Alterum Memoriale à R. P. Magiſtro Bartholomæo de los Rios oblatum Inquiſitori generali ſub initium menſis Septembris 1650. ex hiſpanico in latinum verſum. 280

II. Memoriale Regi Hiſpaniarum oblatum à R. P. Bartholomæo de los Rios Ordinis Eremitarum S. Auguſtini religioſo. 282

III. Memoriale Inquiſitori generali Hiſpaniæ oblatum à R. P. Bartholomæo de los Rios. 285

Epiſtola R. P. Bartholomæi de los Rios Auguſtiniani ad R. P. Philippum Vicecomitem Auguſtiniani Ordinis Generalem. 287

Epiſtola R. P. Philippi Vicecomitis Auguſtiniani Ordinis Generalis ad R. P. Bartholomæum de los Rios ejuſdem Ordinis. 289

Epiſtola ejuſdem R. P. Bartholomæi de los Rios ad eumdem ſuum Generalem. 290

Epiſtola ejuſdem R. P. Generalis ad eumdem. 291

Epiſtola ejuſdem R. P. Generalis ad P. Carolum Moreau Gallum ejuſdem Ordinis 292

AUCTUARIUM *de peccato Philoſophico ad Cap. XLVIII. Libri III. in Addendis pagina* 82. 291

Lugdunenſium Jeſuitarum Theſis cum ejuſdem Cenſura. 294

Autiſſiodorenſium Jeſuitarum dictata & Theſis. 296

Remenſium Jeſuitarum dictata & Theſis 297

CENSURA.

INfra ſcripti teſtamur, à nobis accuratè lecta ac recenſita fuiſſe quædam Auctaria, ſeu, ut præfert titulus, *Addenda ſuis locis in Hiſtoria Congregationum de Auxiliis, ſub Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. celebratarum Anno* 1700. *edita*; nihilque in illis occurriſſe quod Fidei Catholicæ dogmatibus, morúmque Chriſtianorum legibus adverſum nobis viſum fuerit. In cujus Fidem ſubſcripſimus.

ARN. EYBEN *Cath. Antverp. Can. Theolog. Librorum Cenſor. Antverpiæ* 12. *Julii* 1701.

H. DENIS *S. Th. Licentiatus, Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis Canonicus Theologus. Leodii* 29. *Junii* 1701.

J. M. DE HONDT *Presbyter, S. Th. in Academia Lovanienſi Licent. Ex-Præpoſitus Congregationis Oratorii D. Jeſu. Bruxellis* 4. *Julii* 1701.

FR. HENRICUS A S.TO IGNATIO *Vicarius Provincialis Carmelitarum Wallo-Belgarum, S. Theologiæ Profeſſor emeritus. Bruxellis* 4. *Julii* 1701.

FR. PHILIPPUS VERDIN *Ord. FF. Minimorum S. P. Franciſci de Paula per Belgium & inferiorem Germaniam Provincialis, & S. Theol. Lector. Leodii* 29. *Junii* 1701.

FR. PHILIPPUS DURAND *S. Th. Doctor Ordinis FF. Prad. Ex-Provincialis & Prior. Branæ-Comitis* 22. *Junii* 1701.

ERRATA IN ADDENDIS.

Pagina	*Linea*	*Errata*	*Correctio*
P. 30.	L. 19.	antiqui ora	antiquiora
p. 54.	l. 39.	& Rufino	ad Rufinum
p. 58.	l. 26.	abfuit	obfuit
p. 66.	l. 46.	quod uti	uti
p. 81.	l. 27.	dirimiſſet	diremiſſet
p. 109.	l. 48.	quod	quot
p. 122.	l. 11.	eoque	eaque
p. 151.	l. 50.	nullo omninò demto	Euchario demto
p. 164.	l. 4.	ac	at
p. 168.	l. 34.	oppignoravit	oppigneravit

In Hiſtoriæ Præfatione pag. 35. ad calcem Paragraphi 10. dele tres lineas ab iis ſcilicet verbis, *una enim*, uſque ad *minimè conſtare*.

LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE, M D CCI.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Historia addenda in historiam Congregationum de Auxiliis Sub Clemente VIII et Paulo V celebratarum

Lovanii 1701

2 J.can.p. 97 c
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10488971-3